


HISTORIÆ CONSTANTINOPOLITANÆ,

Pars Secunda.

REPRÆSENTANS,
SERIEM ET RES GESTAS,
REGUM ATQUE IMPERATORUM TURCICORUM.

COLLECTORE
CHRISTOPHORO BESOLDO, JC.



ARGENTORATI.
Sumptibus Hæredum LAZARI ZETZNERI.
DC. XXXIV.



SERIES, ET RES GESTÆ, REGUM, IMPERATORUMQUE TURCICORUM: AB OTTOMANO, usque ad præsens tempus.

SAraceni Regni, *Mahomed*, sive *Muhammed* (quasi desiderabilis, laudabilis, aut celebris: à חמד, quod Hebr. desideravit, optavit; Arabibus verò, laudavit, celebravit denotat) fundamenta jecit. Sed ejusdem successorum potentia, paulatim diminuta, ac ferè in totum absorpta fuit à Turcis: quorum Imperiũ, circa Annum Christi 1300, aut 1309. à Tartaris hactenus oppressum, longè, lateque propagari cœpit.

2. Saracenicam Historiam conscripsit, Georgius Elmacinus, operâ Thomæ Erpenii redditã Latinè, Rodericus item Ximenes, Archiepiscopus Toletanus, ut & Cælius Augustinus Curio: ac videri quoque potest Leunclavius, *hist. Musulman.*

man.lib.1. Ac in eo maximè differunt Saraceni à Turcis; quòd illi litteratissimi inprimis fuerunt, & infinites libros Chymicos, Medicos, Mathematicos, Astrologicos, Philosophicos, historicos, Geographicos, poeticos &c. conscripserunt, *Claude Duret. en l'hist. des Langues, cap. 45. & cap. seq. fol. 433. &c. c. p. item 47. f l. 477. Erpenius de Lingua Arab. orat. 1 & 2.* Turcæ verò non illiterati solùm, sed & vastatores sunt. Adeò ut apud Dalmatas in proverbio sit: Quodcunque solum, Turcæ equorum suorum ungulis attigerunt, illud de cætero, ne vernis quidem imbribus revirescere, aut herbis vestiri. *Ludov. Tubero d. temporib. suu lib. 6.*

3. De origine autem Turcarum, ita scribit Cuspinianus, *de Cæsaribus fol. 425. & seqq* Investiganti mihi accuratè originem Turcorum, & veterum & neotericorum scripta discutere pernecessarium duxi. Quod dùm facio, inter Latinos primus occurrit Pomponius Mela, qui in fine Geographiæ, cùm Scythiæ populos, & qui Tanaidē paludem, ac Riphæos montes incolunt, describit: Iuxta (inquit) Thussagetæ, Turcæque, vastas sylvas occupant, aluntur q; venando. Quod Plinius repetit *lib. 6 cap. 7.* Thussagetæ & Turcæ, à quibus hodiè, qui latè in Asia imperitant, Turci orti quibusdam judicantur. Eustathius Dionysii poëte interpres, aliam originem eorum commemorat: Post Scythas (inquit) eos, qui mari Cronio vicini, Caspium accolunt, Vnni sunt, quos Simocatus historiarum conditor, à Persis vocari Turcos existimat; ad Orientem vernum spectantes. Ob id magis probandos censet, qui scribunt, Vnnos sine th, quam qui illos populos Thunnos vocant. Ptolomæus inter Sarmatas

Asia-

Asiaticos, supra Caspias portas, Turcos ponit, qui iidem videntur cum Turcis. Neoterici omnes hanc secuti opinionem, illic prodiisse Turcos unanime norunt. Antistes ille Frisingensis Otto, dicti Leopoldi filius, l. 5. Annal. à Caspiis portis egressos Turcos scribit, anno humanæ redemptionis, septingentesimo quinquagesimo nono, & [illegible] ac cum Avaribus populis (qui hodie Hungari dicuntur) multis profligatis, conflixisse, Pipino apud Francos regnante, patre Caroli Magni. Martinus Segonius Novomonianus ex quorundam opinione scribit Turcos ex Caucasiis portis egressos, primum finitimas gentes, & [illegible] Armenios invasisse. Indè minorem Asiam, quam armis occupatam, anno à mundi origine, [illegible] & sexagesimo, super nongentesimum & quinquies millesimum. Anno verò salutis octogentesimo quadragesimo quarto, quum Byzantii imperaret Constantinus V. Leonis III filius, Stephano III Pontifice maximo. Platina [illegible] Turcos meliores sedes postulâsse: ac primo Alanos, mox Colchos & Armenios, inde minoris Asiæ populos, postremò Persas & Saracenos vicisse & oppressisse. Anno Christi, septingentesimo quinquagesimo quinto. Sunt etiam, qui [illegible] fingunt, qui hos fuisse Scythas scribant, ex [illegible] scriptum, quos Alexander Macedonum rex, [illegible] Hyperboreos montes, ferreis repagulis [illegible] hac metaphora usi, quod gentem indomitam, in angulum illum, tanquam in ergastulum conclusisset. Inter Græcos autores Scilix, qui historiam Constantinopolitanam edidit; [illegible] de Turcis scripta reliquit, quæ cum prioribus conveniunt: Turcorum (inquit) genus, un-

 nicu n

nicum est, circa Caucasum montem, gens maxima, atque libera. Quum Saraceni latè dominarentur in Asia, atque inter se diffiderent, Mauginet princeps Persidis & Mediæ, contra Imbraelem, item Saracenum, Babyloniæ principem, auxilia Turcorum accersivit. Illi, duce Mucaleth, victoriâ potiti ad Imperium Persiæ aspirare cœperunt: præsidiaque in Araxis ponte constituta, à Saracenis, ne Scythæ transirent in Persiã, dum amovere conarentur, prohibiti manu valida prodromo, duce Strangolice, contra exercitũ Mauginet veniunt, ac tandem potiuntur totius Persiæ. Stragolix Sultanus efficitur; ruptisque Caucasi claustris, Turcos alios evocat, vicinisq; bellum suscitat. Babylonem, Pissassirio rege superato, in potestatem redigit. Contra Carbassen Arabiæ principem, bellum primùm per Guelman legatum, deindè per Asan, fratris filium, infœliciter gessit; amissis copiis, ac profligatis. Verùm hi atque alii, hujus nationis insurgentes; totam Asiam occupavêre, atque cum Saracenis de una lege convenere: cùm prius, uti reliqui Scythæ, Idola colerent. Insequentibus deinde temporibus, diversi ex iis duces ac principes, loca diversa cepere. SOLIMANVS Nicæam, usque ad Hellespontum & Tarsum Ciliciæ occupavit: qui in prima expeditione Hierosolymitana, expulsus à nostris, cum tota familia fuit. DVCATH Damascum, omnemque regionem Decapoleos subegit. ASSVNGVR Alapiam, quam nunc Alepum dicunt; olim Epiphania dicta. ANEXIANVS Antiochiam, cum modicis finibus. Nam usque Laodiceam Syriæ, CALIPHA Aegypti, è gente Saracenica, pos-

ta, possidebat regiones. Post annos deinceps circiter octuaginta, regnante apud Hierosolymas ex nostris Almerico, Syracinus Notandini Damasceni principis dux, simulatione ferendi auxilii, Caliphæ Aegyptio, qui tunc à nostris oppugnabatur, eum obtruncavit. Soldanumque se primum Aegypti constituit. Hujus Saladinus successor, Hierosolymæ Syriæque regnum, nostris expulsis, in potestatem recepit: processuque temporis, & ipsi Saracenicum nomen ex Turcis, quod inter Arabes versarentur, usque in hodiernum diem accepère: perpetuaque postmodum lege sanxêre, ne quis Turcus aut in secta Mahumetana natus, Sultanus esset: sed aut Christianus fidei desertor, aut alterius nationis captivus ac servus. Zonaras, qui Ioannes Monachus dicitur, in Græcis Imperatoribus, de origine Turcorum scribens, tradit eos tenuissimis primordiis, & obscuris planè, septingentesimo abhinc anno, ex Caspiis montibus, natali solo relicto, in Persidem & minorem Asiam, primùm impetum fecisse, vagosque latrocinantes, magis quàm belligerantes provincias vastâsse. Prima stipendia, Basilio Macedone imperante, sub Muchumetrio Saracenorum principe, meruisse, quorum opera, Babylonios, Indosque ille vicerit. Sed peperit iis virtus invidiam, prohibitique, ad sua redire, indignati primò secedunt. Indè uno, alteroque prælio, Tangrolipicis Mucalecii ducis eorum, auspiciis feliciter adversus Saracenos gesto: tandem egregiè vincunt, Muchumetiumque profligatum acie obtruncant: ex quo res Turcica, ad Tangrolipicem delata. Is aliis Turcis ad se accersitis; Cucumetium nepotem,

adverſus Arabas cum paratiſſimis copiis miſit. Qui prælio ab iis victus, cùm à patruo, per ſummum contemptum exceptus eſſet, ejus iracundiã veritus, ab illo deficit: & Peiarâ Choraſmiorum urbe munitiſſimâ, ſeſe includit. Tangrolipix intereà, prælio genti funeſtiſſimo, in Mediæ finibus cum Romanis, Aſani alterius nepotis ductu, conflixit. Quo victo & cæſo, indignatus ille, Aleimum fratrem, iterum in Romanos miſit. Qui egregiam victoriam, capto Liparite Græcorum duce, & cæſis etiam Iberis Romanorum ſociis, retulit. Sed cum Liparitem primùm, mox & dona à principe miſſa, facilè Turcus reddidiſſet: nec præſtarent Romani quod promiſerant, ingentibus copiis accinctus Tangrolipix, Aſiam omnem ad Euxinum mare, aut vaſtat, aut ſubigit. Variatum deindè in gente factionibus exortis, ad Gallorum uſque memorabilem illam expeditionem, quâ Franci ab iis ſæpiùs, magnâ etiam Imperii parte mulctati ſunt: donec Othomannus veterem gentis gloriam aſſerere eſt auſus. Pius Senenſis, *in Aſia ſua, & in libro, uo quæ ſub Friderico tertio geſta ſunt, continentur cui titulus eſt Europa*, errore eos teneri magno docet: qui Turcos Teucros nominant, quòd Troiam poſſident, quorum origo ex Creta commemoratur: cùm Turcorum gens barbara ſit, ac Scythica. Citatur ab eo Hetichus philoſophus (neſcio quis) qui tradit: Turcos in Aſiatica Scythia, ultra Perichios montes & Taracuntas inſulas, contra Aquilonis ubera, id eſt, ad Septentrionalem Oceanum ſedes patrias habuiſſe: quæ gens ſit truculenta, ignominioſa, & in cunctis ſtupris ac lupanaribus fornicaria, comedens quæ cęteri abominen-

mictus, jumentorum, leporum & vulturum carnes, vixque abortivis hominum, abstinet. Diem festum nullum colit, nisi mense Augusto Saturnalia. Romanum Imperium audivit magis, quam sensit: quamvis Octaviano Augusto, in auro l[illegible]orio censum dederit, & id quidem sponte. Nam cum vicinas undique regiones, annua illi tributa reddere animadvertisset, novum dierum ac temporum exortum esse Deum arbitrata, munera illi quotannis misit. Exin Pontum, Cappadociamque transgressa, ad reliquas finitimas gentes, sensim illapsa est; more latronum, clandestinis excursionibus vires sibi vendicans, occupatis montibus & claustris opportunis, undè facilè irruptiones fieri possent: usque adeò emersit, ac sublata est animis, ut palam jam & pari Marte, adversum finitimos, de agri possessione certaret. Denique tempore succedenti, non solùm Pontum & Cappadociam, verum etiam Galatiam, Bithyniam, Pamphyliam, Pisidiam, utramque Phrygiam, Cilices, Cares, & eam Asiam, quæ Minor vocatur, ad oras usq; Ioniæ, & littora Græci maris, occupaverit. Nicolaus Euboicus Saguntinus, qui ab aliis Secundinus dicitur, vir græcè ac latinè peritissimus: qui Florentiæ sub Eugenio quarto, ubi Græcorum causâ concilium agebatur, eruditissime disputationes Græcorum interpretabatur, & illustre nomen fidi interpretis consequutus est, ad Æneam Sylvium Senensem, tum præsulem, libellum scripsit tersissimum, de origine & familia Othomannorum. In quo differit, Turcorum gentem, ab annis sexcentis & supra, è Scythis, qui trans Tanaim Asiam versus, nullâ stabi-

ſtabili ſede, nullis urbibus, nullis certis ac perpetuis domiciliis campos parentes, vagè paſſimque coluêre, originem traxiſſe: & tanquam rivulum quendam, è fonte indè emanaſſe. Argumentum autem affert, quòd primò Pontum & Cappadociam transgreſſi, ad reliquas indè finitimas partes, ſenſim illapſi ſunt. Accedit vitæ morumque ſimilitudo, habitus, cultus corporis, equitandi, ſagittandique ratio, & omninò rei militaris communis quædam, & patria diſciplina: & quòd ſine ullâ dubitatione cuiquam probari poſſit: linguæ ipſius, ac uſus loquendi cognatio. Hi parvâ manu, primò latronum more, clandeſtinis quibusdam excurſionibus ac inſultibus, vires ſibi vendicare conati ſunt. Confluenteque ſubindè (ut fit) hujuscemodi generis hominum multitudine, occupatis opportunis quibusdam montibus clauſtrisque, undè per occaſiones facilè irruptiones fieri poſſent; uſque adeo emerſerunt, ac ſublati ſunt animis, ut palàm jam, & pari Marte, adverſum finitimos de agri poſſeſſione certare non vererentur. Deniq; procedente tempore, ſivè negligentiâ Grecorum (quorum de re agebatur) ſivè fatali quadam neceſſitate, & rerum varietate humanarum, ſivè permiſſu cœleſtium, aliter jam de hujusmodi imperio præſcribentium, ob Chriſtianorum crimina hæc crudelia poſteris flagella miſſa ſunt: ac ita celeri ſuccrevere curſu, ut opinione omniū citiùs, non modo Pontum & Cappadociam, verùm etiam Galatiam, Bithyniam, Pamphyliam, Piſidiam, utramque Phrygiam, Cilices, Cares, & eam Aſiam, quæ minor vocatur, ad oras uſq; Ioniæ, & littora Græci maris occuparint, & in

ſuam

ſuam poteſtatem redegerint, variis ducibus uſi. Antonius Sabellicus, ſibi obtigiſſe narrat, Nicolaum Chalcocondylem, graviſſimum autorem, qui res Turcorum, à primâ origine, ad noſtra tempora uſque decem voluminibus complexus eſt; arbitraturque neminem veterum ſcriptorum demonſtraſſe, qui olim fuerint Turci, aut ubi terrarum egerint? ut ne nomem quidem, ſit ab ullo vetuſtiorum, litterarum monimentis traditum: præter Pomponium, qui inter Scythicas gentes Turcas poſuit. Cæterùm, ſivè in voce mutatio facta ſit ſivè omnino gens diverſa fuerit, communi omnium conſenſu, hi, quorum opes hodiè longè latèque patent, ac pollent, Turci nominantur, non Turcæ; ut omnes Græci & Latini autores eos appellant. Verùm de iis, non unus eſt ſermo. Ipſi de ſe, ita prædicant; ut ſuæ gentis autores, ex Caſpiis montibus à finitimis pulſi, in Perſidem & minorem Aſiam deſcenderint. Nec prius cœpiſſe apud eos regiam familiam, quàm ſint ex Scythia profecti: quùm anteà ſine duce, ſine legibus viverent: vagi, diſpalatique, tantùm prædâ, & rapto viventes. Indè ut ſunt humanarũ rerum vices, ex cujuſdam Othomanni ſucceſſu, celebrari familiam unam contigiſſe, ex quâ reges creari conſueverint: idque ita accidiſſe memorant: ut tres numero fratres, in ampla & Regiâ fortunâ relicti; cùm viciſſim imperitare cœpiſſent, ſivè pudore impediente, ſivè metu, quia parùm tutum eſſet non cedere natu; duo minores natu, Aleus, & Othomannus, regno majori fratri relicto, ac domo, uterq; cum ſuâ manu profecti, hic Cappadociam & Galatiam & Bithyniam occuparit; ille Cara-

maniam, Lycaoniam, & eas terras, quæ Tauro monti adjacent. Et hæc Turci de se memorant, quibus se Scythas esse fatentur. Chalcocondyles autem, qui plura de Turcorum rebus scripsisse à Sabellico memoratur, quàm Latinorum aut Græcorum quisquam: Multi (inquit) Turcorum linguam, & mores secuti, Scythas eos autumant; qui ex Tanaide sint profecti, Parthis latè imperantibus, Persarum terram, Medorum & Assyriorum invasère. Postquàm verò in Asiam progressi sunt, fuerunt (ait) qui Parthorum progeniem existimarent: Parthi enim, & ipsi à Scythis orti. Alii (nomen fortassis secuti) à Turce Persarum urbe magnâ, & opulentâ, eam gentem ortam crediderunt. Dandalus Venetus, scriptor Annalium, historiæ sacræ non ignarus, opinioni proximæ astipulari videtur. Is quendam Bolzothemum prodidit, Orientis regem potentissimum, cum Romano (id enim nomen illi fuit) Constantinopolitano Imperatore, acrem pugnam depugnâsse: Romanumque post maximam suorum stragem fusum, porroque fugatum, Asiam à victore hoste, cum tota Syria subactam. Quibus provinciis, victor Barbarus, quatuor velut compedes iniecerit: Quippè qui Solymanno nepoti suo, Turciam obtinendam dederit: inter Persidem & Imperii fines, & de Turcia sive Turce, hæc ille. Cætera loca, quæ præsidiis sunt ab eo firmata, Damascus, Antiochia, & Alapia. Non defuerunt prætereà, qui Turcos ex Arabiâ, quique ex Syriâ ortos arbitrarentur. Verùm quæcunque illis origo est, ex Scythia utique est, & ut quidam adiiciunt, ex Europæis Scythis: qui præ cæteris ad Orientem vergunt, se-

desque

desque circa Tanaim habent. Cujus causâ indè profecti sint, non facilè apud autores invenitur. Hoc satis constat, parvam fuisse ab initio manum, ac turbam pastoralem: quæ alia, atque alia appetendo, in Persas & Medos processerit, adeo interim obscura famâ, ut eo bello, quod Heraclius princeps, in Cosdroem Parthorum regem gessit, cum Hierosolymam (quæ semper hactenus sub Rom. Imperio fuerat) caperet, vix sit earum nomen auditum. Indè gentis opibus, circa eis fidem auctis, Saracenos ad eam desperationem deduxere, ut Mahometi fide ab his recepta, passi sint eos in Perside regnare: ut nescias, utra gens majorem fecerit jacturam, qui tanto regno cesserint, an qui eam sibi pestem inculcari passi sunt, regnandi cupiditate. Vnius itaque fidei vinculum, ita utramque gentem copulavit, ut Saraceni pro Turcis, & contra Turci pro Saracenis indiscretâ appellatione, aliquandiu vocati sint. Nunc Turcorum nomen adeò invaluit, altero pene abolito. Creverunt indè plus nimio gentis opes, innumeris populis, aliis post alios subactis, usque ad Othomanni tempus, ob discordiam Christianorum.

4. Reinerus Reineccius, vir clarissimus, & in omniũ gentiũ historiâ versatissimus, de Turcis, *in append. ad Haytonem*, ita scribit. Vetustas gentis, & nominis TVRCORVM, nota est è Plinio, & Pomponio Mela. Nam ab utroque, inter Scythicos populos celebrantur. Sunt etiam, qui ab Herodoto ἰύρκας dici existiment: forsan librariorum injuriâ, T. in Ι. mutato: id quod quidem facillimum esse, nemo non videt. Origo, procul dubio est à MAGOG, qui Gen. 10. inter

filios Iapheti numeratur. Nam adhuc hodie, Turcos à Persis MOGORES nominari, docet Emanuelis, regis Lusitaniæ, ad Paulum III. Papam, epistola. Et astipulantur oracula Ezechielis, cap. 38. & seq. ac Ioannis Apocal. cap. 20. de GOG & MAGOG. Et credamus, primùm eos SARACENIS innotuisse, & misceri cœpisse; belli Persici contra HORMISDAM regem occasione: quamvis Tyrius variet. Ac nescio, quod discrimen nominum, TVRCI & TVRCOMANI non nemo facit: & nunc Turcos, nunc Turquimanos inculcant. Quod totum in medio relinquamus; cùm utriusque usus etiamnum duret. Nisi quod à Perside occupatâ, Turci tam Byzantinis quàm nostris scriptoribus, sæpè Persarum appellatione veniunt. Estque indè, quòd Haythonus, Belchiarocum regem Persarum, Nicetas Turcos Iconienses, Persas Iconienses, & alibi Persamenios vocavit. Iam nec istud reticendum erat, de Turcici regni principio, aliter Tyrium, aliter Haythonum sentire: quia ille vix triginta, aut 40. annis, Hierosolymitano, à GODEFRIDO, anno Christo 1099. inchoato, antiquius facit: hic verò, in An. Christi 1051. collocat, ut Hierosolymitanum, annos 48. antecesserit. Sed rectè ab utroque, è Zonaræ & Curopalatæ auctoritate (Cedreni enim expositiones indisertæ sunt) discesserimus. Nam ut Tyrium mittamus; Haythonus quidem, tot Soldanorum successione satis seipsum refutavit: nec obscurè reliquæ historiæ ejus circumstantiæ convincunt, magis librarii seu interpretis, quàm ipsius σφάλμα esse. Sequitur etiam Zonaram Cœlius Augustinus, & ita sequitur, ut Turcicum

regnum exordiendum existimet, ab ann. Christi 1000. Cui calculationi & nos subscribimus. Siquide per hoc tempus, TANGROLIPECIS posteritas, in tot simul successores, simul sanguinis gradus, quot Haythonus commemorat, propagari potuit. Quàm diù autem singuli regnárint, incertum est. Et ingentem scrupulum, tam Zonaras quàm Credenus de Tangrolipece, cujus regnum usque ad CONSTANTINI Monomachi Imp. tempora extenderunt; ut sit annorum circiter 50. Tyrius *lib. 1. cap. 9. & iterum lib. 3. cap. 1. item lib. 4. cap. 11.* de BELFERCHO, quem & Belfer & Belphetoch vocat, & rursus Zonaras, ac Curopalates de AXANE, seu Asa Soldano, injiciunt. Ac de Tangrolipece, omninò aqua hærere videtur. De altero auctores, quos dixi, in eo conveniunt, quòd Romanum Diogenem Imperat. ab utroque captum affirmant. Quapropter nos eundem statuimus. Nam quod ad nominum discrepantiam attinet, ea in Barbaris mira videri non debet: quippè qui diversis quasi titulis, quos aliâs alii casus largirentur, gavisi, & à suis celebrati: indè scriptores quoque, facilè in errorem pertrahere potuerint. Nec obscura similis ferè veterum Imperatorum Rom. consuetudo: Vt nisi bonorum auctorum sedulitas, quasi fide jussisset, vix eosdem agnosceres. Accedit jam aliud dubium; nempè quisnam in tradito ab Haythono stemmate, Axanis & Belferchi nominibus accipi debeat. Qua in parte illud primùm tereatur; scriptoris illius expositiones, si ad Chronologiam revocentur, perturbatiores deprehendi. Ergo si conjecturas è Tyrio sequi nobis licet, eadē nomina BELCHIAROCO

accommodarim. Neque enim adeò ſono diſcrepant, Belchiarocus & Belſerchus. Et Tyrius lib. 5. c. 11. diſertè teſtatur; Antiochiam tantùm 14. annis in Turcorum poteſtate fuiſſe. Atqui hanc, Belſerchum DARSIANO (ipſe Accianum, Haythonus Artotu n vocat) permiſiſſe, idem Tyrius docet lib. 4. c. 11. Addit præterea, eodem tempore, & ab eodem hoc rege, SOLYMANVM Nicæâ, DVCATVM, (quem alibi Doldequinum, auctor Chronic. Hieroſolymitani, nunc Dochinum & Dodechinum, nunc Hertoldinum nominat: & quandoque Regem, quandoque Principem agnoſcit) Damaſco: ASSANGVREM Alapiâ donatum. Quâ de re iterùm Tyrii auctoritatem, quæ etiam Abbatis Vrſpergenſis teſtimonio roboratur, potiorem ducamus: conficieturque hinc, Belchiaroci regnum, quàm concedere Haythoni expoſitiones videantur, diuturnius, hoc eſt annorum circiter 30. Etenim ROMANI Diogenis primus Imperii annus collocatur, in An. Chr. 1071. & inchoatum à GODEFRIDO Hieroſolym. regnum An. C. 1099. poſt quod quidem tempus, victo aliquantò antè Corbahane, non diu Belchiarocum ſuperſtitem fuiſſe, crediderim. Porrò SOLYMANVS, Belchiaroci è fratre nepos, principio Sa, id eſt Rex, ut Tyrius, à morte Belchiaroci (ſic enim ſuſpicamur) Soldanus Turciæ, ut Haythonus: Turcorum Occidentaliū, ut Zonaras *in Alexio Comneno*, appellatus: ademit Byzantino Imperio Romaniam, & in ea caput, & nulli comparem, Nicæam civitatem, ut Robertus Monachus lib. 3. Hâc GODEFRIDI Bilioney armis recuperatâ, Sebaſtiam Cappadociæ cum aliis provinciis retinet:

tinet: nam eò retulerim, quòd Speculum Vincentii lib. 31. c. 142. urbem illam, regalem sedem vocat: retulerim, quod Chalcocondyles libr. 3. quondam regni Turcici sedem fuisse, tradit: Cũ Nicætas TANISMANIO, regnum Cappadociam, regiam Gangram, MVCHVMETO itidem regiam Cæsaream attribuere videatur. Nec audiendus Chronici Hierosolymit. auctor, qui Solymanum à Godefrido ita finibus pulsum ait: ut solam Foloracam arcem conservârit. De eo scripsit Tyrius, lib. 3. c. 1. hominem vafrũ, strenuum & Christiani nominis hostem acerrimum extitisse. Vxor, Nicææ cum duobus filiis, tum adhuc admodum tenellis, ut præter Chronicon Hierosolym. Tyrius lib. 3. c. 10. in GODEFRIDI potestatem devenit: à quo missi ad ALEXIVM Comnenum, Imp. Constantinop. non solùm liberaliter habentur; verùm etiam mox patri restituuntur, ut Tyrius ibid. cap. seq. Nam Zonaras, etiam fœderis pactionem intercessisse docet: sic ut ipse Soldanus, seu Solymanus (hunc enim intelligit) Imperatorem adierit, & cum discederet, unà cum suis, magnâ pecuniâ donatus sit. Meminit ejusdem fœderis Nicetas *in Ioann. e Comneno.* Et quoque idem, à MANVELE cum Masuto redintegratum, ita CONRADVM III. Cæs. Græcis exprobrantem introducit: Haud scio, inquit, cur Romani (Byzantini) tanquam lupos in suam cædem alunt, & per dedecus, suo amore saginant. Cum excitatis animis, & cogitatione cordato viro dignâ susceptâ: tanquam feræ à gregibus, sic illi ab ipsorum provinciis, atque urbibus pellendi essent. Cæterum, ut SOLYMANI, ut posterorum poten-

tia, à Belchiaroci morte, aucta fuerit, Haythonus memorat; & plenius demonstrat Fragmentum Speculi Vincentii. Ac constitit illa, usque ad Tartaricas irruptiones. Tum enim primùm inclinari cœpta; demùm magis intestinâ, discordiâ, seu procerum perfidiâ, καὶ πλεονεξίᾳ, quàm externis armis concidit. Fuit etiam inter posteros Solymani, GAIAZADINVS, Haythono Gujatadin, Gregoræ & Pachimerio, AZATINES; filius nothus Alatini: is designatur regni successor à patre, & confirmatur Sadadini Satrapæ artibus. Vt contra Tartaros se-muniret, cum IOANNE DVCA, Imp. fœdus feriit. Et cum in eodem tempore, Turci maximâ annonæ penuriâ conflictarentur, & commeatum petere, à Græcis cogerentur; Augusta ex ovis gallinaceis, tantùm pecuniæ collegit, ut indè coronam, margaritis pretiosissimis distinctam, elaborarí curârit, deque eventu isto, OVATAM cognominari voluerit. MICHAELEM PALEOLOGVM, metu THEODORI LASCARIS, II. ad se profugum, habuit comiter & benignè. Cùmque tum bellum, in BAYDONEM, Ducem Tartarorum, pararet, Græcas copias Palæologo commisit: ex eodem bello superior discessurus, nisi in ipso conflictu, cognatorum quidam ad hostem transiisset. Ergò in fugam actus, & magnâ ditionis parte exutus, post regiam quoque amittit, & exul ad Palæologum, tum Imperatorem, se deportare cogitur; simul uxorem & liberos secum ducens. A quo tempore, cùm aliquantisper Constantinopoli subsisteret, sacra & doxologiam Christianorum frequentavit: quippè qui infans baptismo initiatus

tiatus

natus & Christianâ matre, non utroque parente, ut Gregoras, natus esset: Nam idem alibi, ab ineunte ætate, regio fastu educatum affirmat: id quod non nisi in fortuna regiâ fieri potuit. Vt neque hoc fidem mereatur, quòd fortunæ impetu factum Soldanum dicit; cùm ea res jus sanguinis spectârit. Deindè ad Ænum oppidulum, degere jussus, quia ibi veluti in custodia detinebatur, cum CONSTANTINO Tœcho, Walachorum regulo, conspirat, nec multo pòst Tartaris Europæis, quos Walachus evocârat, irruentibus, seu Barbarorum avertendorum gratiâ, his ab Oppidanis deditur; seu sponte profugit (nam Gregoræ expositiones istæ, perturbationes sunt) & priusquàm, quod animo destinârat, perficeret, cedit è vita. Meminit Pachymerius lib. 3. & magno luxu in Byzantii compitis, totos dies potando & comessando exegisse, ait. Quadrat huic, quod de temulentiâ ejus, & socordiâ in copiis cogendis ante prælium cum Tartaris, indeque accepta clade, Vincentii Speculo proditum est. Vbi rebellio ejus emanavit, uxor & liberi in custodiam traditi fuêre, pecuniâ in fiscum relatâ, ut Gregoras. Nam Speculum Vincentii planè discrepat. Cæterùm inter varios motus, regiâ stirpe vilescente, tyrannides apud Turcos enatæ fuere; de quibus Speculum Vincentii lib. 31. & seq. Plurimùm etiam violentiâ suâ Paconalius, seu Melecus, nocuit. Quapropter proceres, rerum summam ad se pertrahere cœperunt, institutâ πολυαρχία: quemadmodùm Pachymerius loquitur lib. 10. Verùm ut mirificè inter se discordarent, & militum vulgus inconditâ licentia tumultuaretur. Quia, inquit, Duces sibi elige-

eligebant,quorum ductu & auſpiciis divite præda locupletarentur : ſtatimque illos ademptâ lucri ſpe, quæ non niſi à bellis perpetuis erat, deſerebant. De eâdem re ad hunc modum Nicephorus Gregoras lib. 5. Turcico imperio ſic everſo (loquitur de interitu Meleci) & ex honeſtâ diſciplinâ & ſplendidâ fortunâ; ad maximam perturbationem perlapſo : non modò Satrapæ, & nobilitate præſtantes, omne regnum in plurimas partes divellerunt : ſed multi etiam obſcuri & ignobiles homines,infimâ plebe aſcitâ, latrocinari cœperunt, præter arcum & pharetram nihil ſecum geſtantes : qui faucibus montium inſeſſis, finitimos agros & urbes Romanorum (Conſtantinopolitanorum) crebris, & occultis incurſionibus vexabant. Nam paulò ante acciderat,ut præſidia, quæ arces tuebantur,indè migrarent; Cùm annua ſtipendia à fiſco Imperatorio non numerarentur. Quod initiò,ut res parvi momenti, neglectum, maximas tandem clades Romanis importavit. Turci autem, Satrapis illis variè diviſis, cùm à Scythis (Tartaris) pellerentur, Romanos pellebant : & quam infirmi erant contra Scythas,tam fortes contra Romanos extiterunt: ut Scytharum incurſio, non calamitatis cauſa,ſed ſummo felicitatis occaſio illis eſſet. Hæc ille. In quo ipſo teſtimonio cùm mentio fiat de præſidiis, quæ Barbaris in finibus oppoſita eſſent,neglectis; quæ res deindè cladium omnium, & everſionis imperii Byzant. fons & origo extiterit, placuit inſtar corollarii de eo plenius agere. Quandò nimirum ſit, unde noſtrum quoq; ſeculum documentum capere poſſit. Sic igitur Zonaras in Conſtantino Monoma-

modo: Cum provinciæ quædam essent immunes, quæ pro omnibus vectigalibus locorum angustias tuerentur; & Barbaros aditu Romanarum ditionum prohiberent: custodijs abolitis, tributa iis provinciis imperavit. Vnde Barbaris sine ullo negocio patuerunt. Illud certè quidem, si quis verè consideret, ei acceptum ferri potest, quod oriens Marte Barbarico est subactus. Et iterum, in Constantino Ducâ. Iam, ut erat tenax & parcus, cum animo suo constituit, nolle se bellis conflictari, sed gentes muneribus & aliis obsequijs devincire, & Rom. imperio conciliare: qua re duo commoda venabatur, alterum ne plura in expeditionibus consumeret; alterum ut per summum otium, cumulandis thesauris invigilaret. Ita fiebat; ut militares catalogos negligeret, ac potius fortissimos quosque, ob stipendii magnitudinem deleret. Vndè Barbari ferociores evadebant, Romanæ verò legiones timidiores & humiliores, atque imperium minuebatur. Item in Eudocia. Barbari, orientem diripere soliti, Romanas provincias incursare, & indies vexare non desistebant; militibus, ut jam dixi, tenacitate Imperatoris, & imminutis & afflictis. Quòd si qui adhuc restabant militiæ dediti, ii propter negata solita stipendia, minimè erant alacres ad confligendum cum hostibus. Hactenus Zonaras. Quibus etsi rectè adjici poterant, quæ in eandem sententiam Nicetas lib. 1. & 7. de imperio Manuel. Comneni, Gregoras lib. 6 lib. 8. disseruere, tamen prolixitatis vitandæ gratia omittenda duximus, nunc ad propositum redituri. Posteaquam SOLYMANI familia, ejusque regno everso, ad eum modum,

de

de quo diximus, πολυαρχία successit; Satrapæ (Chalcocondyles septem fuisse scripsit) contentionum pertæsi, aliquanto pòst reconciliatâ gratia concordiam inter se sanxere; & in conjunctis viribus Constantinopolitani imperii, in Asia provincias adorti, eas inter se dispertiti sorte fuere. Celebrantur autem in Satrapis illis potissimùm, & Pachymerio quidem Solymanpaxes, seu SOLYMANVS Bassa (nam ita denominationem istam resolvo) item AMVRIVS, à Nicephoro Gregora CARAMANVS, Alisurius, & Atman, seu OTHOMANVS, ut Laonicus Chalcocondyles & alii nominârunt. Solymanpaxes, ANDRONICI Paleologi II. Imp. affinitatem promeruit, sed quâ neutri commodaretur; Turcico regno jam in πολυαρχίαν divulso, & Orientalibus Imperii Constantinopol. provinciis in eum statum redactis, ut nullos indè Andronicus reditus perciperet, sed magnos potius in eas sumptus faceret, ut idem Pachymerius *lib. 12. videri etiam hâc de re possunt narrationes Turcia, Ioachimi Camerarii à pr.*

5. Iohannes quoque Leunclavius, in historia Musulmana, ejusque lib. 1. de tribus Imperiis Musulmanicis; Agarenico, Tograno & Aladinio, lib. item. 2. de Ertogrule Osmanitarumque Origine, pluribus agit, & inter alia (lib. 1. fol. 22. &c.) ait: Historiam illius Imperii, memorabilem admodùm esse; propter amplitudinem tyrannici dominatus, rerumque varietatem, & atrocibus exemplis inauditæ ab omni ævo perfidiæ, fraudulentiæ, sævitiæque plenum: quâ majorem generis humani partem, gens orbis excidio nata, gravissimis calamitatibus adflixit, ad-
mistis

mistis interim & justitiæ rigidioris, & aliarum quoque virtutum speciminibus haudquaquam barbaris. Et paulò post addit, sunt profectò pleraque, si rectè considerentur, in hoc populo pænè prodigiosa. Primùm exordia gentis, perquàm humilia; quæ initio trans Tanaim, nullâ sede stabili, nullis certis perpetuisve domiciliis usa, sed longè lateque patentes campos, cum familiis, & armentariâ pecuariaque re, passim solita pervagari; tamdem propiùs ad Pontum Euxinum, & Iberas veteres, quos ibidem adhuc habitantes, Curgginos, vel Georgianos adpellamus, accessit: ubi partem eorum, stipendiis oblatis invitatam, Flavius Heraclius Augustus, adversus Persas, id temporis per Pontum Euxinum navigans, copiis suis adscripsit; ut apud exaratum manu Symeonem, Magistrum officiorum, hoc est agminum palatinorum ducem, memoriæ proditum legimus. Hinc ulterius in Armeniam, ad Araxim fluvium progressi, suas ibidem sedes, nec dum priscis Nomadum moribus exutis, habuerunt: donec imperante Constantino Monomacho Augusto, de Cedrini Græci sententiâ, vel secundum ipsorum rationes paullo antè, sub Romano Argyro, Monomachi decessore, quodam à Rege Persarũ, Saracenicæ originis, quem Turci Machmutem Sebicteginem; Cedrinus, Curopalates, & alii, Muchumetem nominant; muneribus & annonis, ad belli societatem adversus Indos, & Bagdatinum Chalipham, pellecti: Araxe transito, Persidem, Tograˆ Selzuccio duce, quem Græci Tagrolipicem adpellant, invaserunt; & extincto in pugna rege, qui evocatos in sepsum converterat, Chorasanem primum, dein.

deinde reliquas regni Persici provincias, & majorem Asiæ partem occuparunt. Longo pòst intervallo, successit ingens rerum mutatio; Zengi Tartarorum principe maximis cum copiis in Aiemiam, sivè Persarum regiones irruente; qui Turcos partim graviter adflixit, partim Aiemiæ finibus excedere coëgit. Sed enim vexari, deprimi, Persicis exui provinciis Turcorum natio potuit, à Tartaris extingui non potuit. Quippè novum in Asia minori, Sultano Aladine Selzuccio duce, regnum condidit; quod à regia principum, Iconiense vocant: Aladinium nobis, ab auctore, licebit adpellare. Hoc deinceps, perpetuis Tartarorum incursionibus debilitato, partimque pulsis, partim absque liberis decedentibus Aladinis primi successoribus; peropportuna, semet obtulit Oguziis, Selzucciorum gentilibus, exiguas opes amplificandi occasio, novique principatus fundamenta jaciendi. Quod enim Tartaris oppugnandis fortem, compluribus ab annis, operam principibus Aladiniis navassent; prædiis & agris quibusdam in Bithyniâ, vicinaque Phrygiâ donati; carpere paulatim vicinos Christianorum fines cœperant, deq; die in diem pomœrii proferre limites: eò quidem liberius, quòd suis adversus Scythas occupati bellis Aladinii, non admodùm solliciti de alienis essent; & Oguzios, tam origine generis, quàm Musulmanæ superstitionis vinculo sibi conjunctos, & imbecilles adhuc, regno suo vicinos habere, quàm Christianos, mallent. Hinc Oguzii, præsertim ex quo ducem nacti fuissent Osmanem; virum astutum, animosum & impigrum, prædis tem domi familiarem collocupletarunt, lati-

fundia

sidia foris auxerunt: terrori fuerunt hostibus, præsidio suis; perpetuo denique in armis exerciti, non multò post, deficientibus Aladiniis, de successione spes animis majores conceperunt. Nam quod usu venire plerunque solet, ut magni principatus, legitimis heredibus orbati, quorumvis involantium prædæ, ac libidini exponantur: id vel inprimis in Aladinio regno, post Aladinis secundi, vel ultimi potius obitum, accidisse videmus. Licet enim Sahibus, Aladini superstiti primus à consiliis, quem id temporis, ut nunc quoque, Vezir-azemem, dicere Turci solebāt, hac heri morte ad se raperet imperium; cujus jam ante, vivo adhuc principe, clavum tenuerat: tamen nec ipse diu potestate regiâ frui, nec suos ad posteros, eam transmittere potuit. Quippè non deerant alii quoque, præcipuis nati familiis, & auctoritate præstantes in Aladinio regno viri; qui eam dignitatem sui similibus inviderent, nec æquis animis dominatum equalium ferre possent. Itaque tamdem, discerpto plures in ditiones regulorum tam pulcro & amplo imperio, suum Cilicia principem, Caramanem accepit; Ionia maritima, Saruchanem; Lydia, Caralim; Isfendiares, Omeris filios, Pontus & Paphlagonia; Troadis & Mysiæ regio, ad Cariam usque, Aidinem: alias alii denique provincias invaserunt, ac pro ratione virium & armorum, magnas aut exiguas sibi satrapias adquisivere. Græci sanè scriptores, Gregoras & Chalcocondyles, septem ordine duces recensent; & in his tradunt Osmanem, Ertogrulis filium, Bithyniam, cum regionibus Olympo mōti vicinis, & cum Tekie, quam Turci Feken nominant,

minant, mediterraneis Phrygiæ majoris inclusam, consequutum fuisse: quibus terminis circumscriptam provinciam, deinceps Osmanidis ab eo nomen accepisse, constat. Et ceteri quidem horum populorum novi duces, ab iis erant Turcis orti, quos cum Sultanis Musulmanorum Selzucciis & Aladiniis, è Perside pulsos à Tataris, in Asiam hanc inferiorem venisse diximus. Solus Osman, gente licet ortus eâdem, non tamen aliis acceptus erat, nec in has provincias tantùm habere juris existimabatur, quantùm illi priores sibi vindicabant: ut qui longioris temporis quasi præscriptione niterentur, & Osmanis virtuti, præclarisque successibus inviderent: adeoque nescio quo præsagio formidare viderentur, ne sibi suisque posteris, adeò feliciter augescens hujus viri, gentisque potestas, Oguziæ, tamdem aliquandò fatalem interitum pareret. Hinc semper & Osmani, & successoribus ejus, infesti fuêre. Sed nihil hæc eis profuit æmulatio, nihil perpetua de maturè redigendis in ordinem, vel exstirpandis, si fieri posset, Osmanidis valuere consilia. Mutationes rerum majores, & sua potius, aliorumq; fata præcipitarunt: quemadmodum fieri plerumque videmus, ut quò magis homines impedire progressus eorum nituntur, quos cœlestis providentia magnis destinavit imperiis, eò faciliorem ipsis, ad præfixam divinitus metam perveniendi, viam efficiant. Ita omnes eos, & insuper præpotentes illos Sultanos, è collegio Mamelucorum Ægyptios, cum Aladeuliis, & Aphricanis, Tartaricisque nonnullis principibus, partim deletos, partim redactos in servitutem videmus: qui quidem omnes,
se

& Musulmanos profitebantur Ita jam Persarum regnis inhiant, quos in Musulmanorum numero ponendos, ob sectæ diversitatem, inficiari solent; Muhumetanos esse, negare non possunt. Quid ego nunc amplissima Christianorum Regna, cum provinciis opulentis, ab his intercepta commemorem? imperia Græcorum duo reperiemus, Constantinopolitanum & Trapezuntium: regna Thessalorum, Macedonum, Peloponesi, Epirotarum, Bulgarorum, Serviorum, Pozinensium, Valachorum, Georgianorum, Armeniorum, Cypriorum, & Pannonum. Admirandi sanè progressus, & eò quidem magis: quòd alios alii non magnis temporum intervallis sequuti sint.

6 Horum autem tam mirandorum, & celerium successuum caussas (ita pergit ibid. Leunclavius) si considerare libuerit, inveniemus duplices, externas nimirum, & internas. In externis commemorandæ veniunt pœnæ scelerum, quas infligere populis enormium flagitiorum reis iratum numen, per alios immites quasi carnifices, suæque vindices justitiæ, & voluntatis exsequuturos, solet: itemque rerum humanarum inconstantia, quæ variis obnoxiæ mutationibus, semper in eodem manere statu nequeunt: sed velut a ventis oceanus, ita & ipsæ perpetuis diversorum motuum, vicissitudinumque fluctibus agitantur. Accesserunt in nostris hominibus, hoc est Christianis, curæ de republica segniores, ejusque tuendæ remissa studia: continuæ dissensiones animorum, & intestina tam odia, quàm bella; quibus distracti, nunquàm vires suas adversus hostem communem junxere

re vires : & femetipfos debilitando, fores ad opprimendos fingulos Turcis aperuere: qui confociatis armis, univerfi non tantùm eis refiftere, fed etiam poffeffores injuftos occupatis ejicere provinciis nullo pæne labore potuiffent. Ita nobilis illa Græcorum natio, fuismet exhaufta diffcidiis periit, quum fufceptis inter fe graviffimis inimicitiis parentes adverfus liberos, foceri contra generos, liberi generique viciffim adverfus parentes, fratres adverfus germanos fratres; Turcorum fubfidia, qui fortunis omnium infidiabantur, ad perniciem mutuam arcefferent. Ita deferti, per ignaviam focordiamq; vicinis à regibus, aliifque principibus Chriftianis, Epirotæ, Bulgari, Servii, Valachi, Bozinenfes, Rhodii, fub jugum miffi fuerunt. Ita florentiffimum Pannoniæ regnum, partim per occafionem execrandæ ambitionis, civilifque difcordiæ; dum qui viribus imbecillior erat, cum internecione patriæ totius, & fuo, gravique rei Chriftianæ detrimento, Turcica follicitat auxilia; partim etiã veterno noftrorum, ad reftinguendum vicini parietis incendium, non ea concurrentium fide, ftudio, alacritateque animorum, quæ merito effe debebat in omnibus, peffum ire nemo non videt. Mitto recẽfere prolixiùs, caufas alias, vndè noftri (quod ajũt) fundi calamitas hactenus extitit: in quibus funt privatorum ftudia commodorum, publicæ neglectus rei; libertas propè nimia, nonnumquàm fuperiorum imperia detrectans: animorum acerbitas & diffidentia mutua, fuperioribus feculis inter Græcos, & Ecclefiæ Romanæ adhærentes, deinceps inter nos ipfos, ex opinionum in religione difcidiis [illegible]:
dum

[illegible] pars non [illegible] unquam nobis est præsidiis [illegible] ad nos, a qua jam pridem sibi [illegible] propulsandam; altera plerumque animis pro- [illegible] in quæritis, nec adhibere valet remedia [illegible] mixta Consiliis & auxiliis, excitatas in [illegible] Adversariorum suspiciones, quotidie magis ac magis accendit. Mitto fœdum in quo- [illegible] hominum genere luxum, crapulam, fastum, quibus patrimonia privatorum exhauriuntur, ut publicis subvenire difficultatibus nequeant [illegible] salutaris illius, & accuratæ majorum no- [illegible] disciplinæ militaris abolitionem, quæ [illegible] contemptum in animis hostium excitat. Ad eas Turcicorum successuum causas accedo, quas internas dicere propterea volui, quod in ipsorum industria sitæ, non ab alienâ vel imperitia, vel oscitantia pendeant. Hæ vero sunt, pri- [illegible] ac [illegible] & perpetui quidam ambitionis immensæ stimuli; quâ totius orbis imperium sibi jam dudum animis despondent: concordia quædam rara, qua res suas stabiliunt, fortunas alienas evertunt; vnde semetipsi nominare consueverunt Islamos, hoc est vnanimes, & inter se pacificos, Deumque precari non cessant, ut inter discordes perpetuo Gauros esse velit. His adjungo de superiorum temporum successibus audaciam, captandis occasionibus propagandi regni vigilantiam summam: in victu potuq; frugalitatem ac temperantiam, studium servandæ militaris disciplinæ: spontaneam & incredibilem quamdam obedientiam, qua suis hactenùs [illegible] principibus; ut nulla cum eis, hâc quidem in parte, comparari natio mortalium poterit. Eadem hæ causæ sunt, quamobrem

Dd tam

tam diu stabile manserit ipsorum imperium: sed adde proposita virtuti præmia, quá vilis admodum originis homũcionibus, etiam castratis, ad supremos honores, ad illustres magistratus civiles & castrenses, ad opes propè regias, ad ipsum denique Sultanorum adfinitatem, vel infimæ fortunæ mancipiis aditus patet. Ex adverso considerandus etiam rigor, & suppliciorum diritas, quibus apud eos semper adfecti fuere, quicumq; suo non satis fecissent officio, vel pro republica mortem obire formidassent. Vnde constat, captivis apud Turcos, superioribus sæculis nullum postliminii jus fuisse: quod ipsis incitamentum erat, ut animam profundere fortiter in acie pugnando, mallent; quàm hostibus se dedendo, deinceps à patria, liberis, uxoribus, carissimis quibusque, per omnem vitam exsulare. Huic expositioni, de caussis tam diu durantis hactenus imperii barbari adjiciamus ipsorum paradoxa duo, portentis similia. Nam primùm ajunt, perfidiam suis utilem fuisse rebus: qui ex usu suo fidem datam fallendo, pactaque conventa pro lubitu violando, sæpè conditionem suam meliorem effecerint, & aliquando magnis hostium potiti provinciis hâc viâ fuerint: opinione longè diversâ, Mahumetis illius à sententia, qui Saracenorũm regis Abdulmelichi dux, confusis ab Imperatore Iustiniano II. fœderibus, in persuasione certá, vindicaturum haud dubiè numen hanc Iustiniani perfidiam: pacis tabulas, summa vexilli hastá (flandulium dixit Cedrinus) præfixas ad prœlii locum, & ipsam in aciem præferri jussit, & insignem de perjuro principe victoriam obtinuit: cujus narrationem, memorabili Græcus

cus hiſtoriæ ſcriptor, manu exaratus, epiphonema ei adludens: Omnia, inquit, illa gravia mala, quæ in hodiernum usq; diem nobis evenerunt, fœderum leges & pacta, cum hoſtibus inita, minime violari debere docens: etiamſi cum iis ſancita fuerint, qui à religione noſtra ſunt alieni. Verùm Osmanidæ, lege ſua Muhumetanâ, quam Coranum adpellant, permitti ſibi volunt: ut in rebus ad incrementa regni ſpectantibus, ex commodo ſuo metiantur, an hoſti data fides ſervari debeat: & ut promiſſorum, Gauris factorum, nullam pro ſua libidine rationem habere poſſint. Alterum paradoxum, priori etiam inſolentius eſt: quo perſuadere nituntur, non tam durabile futurum fuiſſe ſuum illud Osmanidarum imperium: ſi non inauditis apud alias gentes parricidiis, ſemper unus aliquis, ut ſolus rerum potiretur, reliquos ordine fratres, & fratrum filios, in ipſis auſpiciis regni de medio ſuſtuliſſet. Conſimilia hiſce, tradit Ioach. Camerarius, *Imperat. Turci. is fol. 22. &c.* inter alia, ſcribit Nomen Chriſtianum ſuperioribus temporibus, legitimis juſtorum bellorum muneribus & operis, tractandique armis, & in re militari, ita ſe exercuit: ut qui honeſtiores eſſe, haberique vellent, ubicunque locorum verſarentur, ii omnia alia negoria, ſtudio huic poſtponerent: contenti iis facultatibus, quæ vitæ frugaliter degendæ ſufficerent ſuo loco, ſuaque conditione cuique. Nunquam igitur defuere nomini Chriſtiano, & patriæ defenſores, propugnatoresque: qui non ſolum bona ſua omnia, ſed vitam quoque, & ſanguinē, patriæ impendere vellent ac cuperent. Hic ordo, dignitate & uſu præſtans, in anguſtum

 admo-

admodum est coactus; tractatione usque armorum veluti ordinatio, devoluto ad paucos, qui à jure communi civitatum, muneribus & oneribus publicis eximi se studuerunt: & perfecerunt, ut immunitates quasdam & privilegia singularis status obtinerent. Illis, qui in civili societate remansissent, alias operas dantibus faciendis mercaturis, & quæstibus, aut in otiosa vita delitescentibus. Quod autem Spartiatis oraculum prædixisse fertur. Avaritiam ipsis exitio fore; Id nimirum in omnibus mortalibus, publicè privatimque verum fuisse, experiendo cognitum est, & ita deinceps futurum semper statui deber. Itaque recidit jam militia Christiani nominis, ferè ad mercenariam manum hominum, neque cum re, neque cum spe præcipuâ, & nullis fere vinculis patriæ astrictorum. In quâ paucissimi sunt veterani, tirones, vel ne tirones quidem; sed à sella excitati, & officinis evocati plurimi, quibus non ut suos tueantur, & domesticos lares defendant, sed ut stipem mereant, & aliquid acquirant audaciâ suâ, quod temeritate mox effundant, propositum est. Horum plerique, cùm quid militia sit, ne audiverint quidem, neque cogitarint; arreptis armis, & insolente deformique vestitu ornati, milites statim fiunt, quales fabulæ ferunt, statu dentium Draconis terræ olim fuisse exortos. Qui ut repentè extiterant, sic quoque subito interierunt. Essent autem arma preciosa merx, quemadmodùm alicubi scripsit Xenophon; si tantam vim haberent, ut his sumtis, confestim milites efficerentur. Atqui hâc, neque malleus, neque serra, neque alterum ullius officinæ instrumentum, potestate est prædi-

præditum, ut acceptum in manus ſine præceptis, exercitatione, uſu, ex imperito, artificem efficiat. Ducum quidem & Imperatorum (quorum etiam indies pauciores inveniuntur) quantam præſtantiam ingenii, virtutis, ſapientiæque eſſe oporteat, hoc loco perſtringendo non eſt inculcandum. De militari autem diſciplinâ, pudet ac piget verba facere, quæ adeò jam nulla eſt, ut non multùm referat incolarum, hoſtiumne, apud ſe, an propugnatorum verſentur exercitus; cum jam prędas agere in pacato agro, aut omni vi injuriaque vexare cives, & eos, quorum defenſionis gratia coactæ, adductæque copiæ fuerint ſumma poteſtas planeque licentia extiterit. Iam, ſi verum dicendum eſt, (eſt autem certè, ſi forte dolorem faciendo, medicina ſalutaris hâc mentione contineatur.) Nimia eſt profectò potentiæ, excelſitatisque, & opulentiæ aviditas, in quibusdam potentioribus. Et invaſit in aulas maxima levitas, atque petulantia; intolerabilis ſuperbia, profuſi ſumtus, inſolens elatio, inhumaniſſimum faſtidium, negligentia atque planè contemtus omnis ſeverioris diſciplinæ, & veterum morum. Vndè tanquàm à capite, in reliqua membra manavit, ſumma vitæ diſſolutio, licentia; cupiditatum effrenata excurſio, & fœda jam, planeque jam intolerabilis in victu cultuq; luxuria, & eorum, quæ ad DEVM atque homines, manifeſtam gravium peccatorum habent turpitudinem, impunitas. Itaque ea eſt confuſio perturbatioque vitæ, ut ſi non aliqua in tantis tenebris, quaſi lux diſpoſitionis & ordinis, divinitùs exoriatur, ne celeriter in interitum præcipitentur omnia, magnoperè pertimeſcendum

esse videatur. Scripsit quidam, Baydonem seu Bathyn, Hoccatæ Tartari filium, educturum exercitum hostilem in quedam loca, quæ pòst crudeliter vastavit: consuluisse vates suos, interrogantes simulacra quædam consecrata, certæ superstitionis magico ritu, de eventu belli. Et tunc responsum esse datum tale: Pergeret sine cunctatione & morâ. iam enim præcessisse spiritus tres, profligatores adversariorum ipsius; quos spiritus, scriptor sanè autoritatis nequaquàm præcipuæ, sed in hac tamen parte rem narrans, consideratione dignam, nominat: Primum, contemtæ neglectæque sanctæ religionis atque pietatis. Secundum dissensionum & alienationum. Tertium, ignaviæ & timiditatis. Quos spiritus, nostris quoq; temporibus, emitti adversus nomen Christianum, & antecedere hostes illius, sanè est verendum; & cùm victoriæ ipsius obstare, tum clades, detrimenta, perniciem inferre, eosque repelli oportere, in spe eventus felicis, perspicuum est. Ita autem scilicet repellentur, si ante omnia religionis pietas, & vitæ sanctitas falsitate refutatâ, & conservatâ veritate, cordi curæque esse æquè omnibus incipiat; & mox reconcilietur inter dissidentes gratia, & pax in nomine Christiano instauretur, & virtutis rursum actiones in precio sint, atque usurpentur. Nihil omninò fit aut accidit temere in utramque partem, sed regit, gubernat, providet, disponit, ordinat cuncta autor creatorque & conservator generis humani, DEVS æternus, & pertinet respectus illius ad res humanas universas; non modò providentiâ conservantis tuendo omnia, sed animadversione etiam corrigentis, & emendantis casti-

castigando. Vt autem in medicina sunt quædam, corporis vires præstantia integras, & contraria aggressionibus morborum; quædam curantia in hos delapsos, & sanitatem laborantibus restituentia: Sic, benignitate divinâ, ad salutarem statum, & quasi sanam vitam in communitate hominum, tribuuntur quoquo tempore ea, quibus mala & infelicitates tam avertantur, quàm corrigantur, & remedia suppetant, & prohibentia illas, & depellentia: sed nihil proficitur ad eos, qui sic degunt, ut ægrotantes aut proclives ad morbos nonnulli. Nam bellæ sunt scilicet, quemadmodùm apud Platonem Socrates alicubi inquit, curationes istorum, qui vitæ intemperantis & luxuriosæ consuetudinem, mutare nolunt. His enim nihil quicquàm proficitur, ac sæpenumero varietas quædam & incrementum accersitur, malæ valetudinis atque vitiorum; cum tales quidem medicandi finem non faciant, & quodcunque remedium ostensum fortè est, eo cupide utantur, in spe, fore ut sanitas recuperetur. Atque est istud magis etiam bellum: quòd tales molestè ferunt & irascuntur, si quis veritatem dicere audeat: Nihil profuturam ipsis medicinam (sivè secari, sivè uri sese patiantur, sivè etiam carminum, & eorum, quæ amuleta vocantur, opem experiri velint) priusquam desinant vitam degere per ebrietatem, & helluationes & coenas voluptates ac libidines, in turpi desidia atque otio. Quid autem ii faciunt aliud? qui ostensa in hujus vitæ terrenæ societate, atque proposita ad salutem respuunt, & in iis, quæ efficientia sunt interitus, contumaciter perseverant. Interea autem modò hæc, modò illa usur-

 pant,

[illegible]o facere non possum, quin Philippi Mornæi sententiam exponam, *ex libro ejus Gallice scripto, de veritate religionis Christianæ contra paganos, Iudæos, Mahumetanos, & alios.* Nam eadem operâ, de Turcorum etiam origine, quiddam non temerè rejiciendum intelligimus. Ait ergo Mornæus, Israelitas fuisse transportatos, etiam Herodoto teste, ultra Mediam, ad regiones id temporis inhabitatas: & ab eis partim Colchos originem duxisse, qui Herodoti tempore circumcidebantur; partim Tartaros, qui circa annum Christianum 1200. ductu Zingis Chanis, velut inundatione quadam orbem terrarum obruerunt: & imperium deinde Chanis illius Chitairi constituerunt. Erant autem, inquit, hi circumcisi priùs etiam, quàm Mahumetis nomen audissent: eoq; procliviores fuerunt ad amplectendum legem Mahumetis, quòd ex parte cum ipsorum religione conveniret. Vox ipso Tartari sive Totari, linguâ Syriaca reliquias, sivè residuos significat, ait. Inter hordas quoque Tatariæ, versus partem ejus magis aquilonarem, nonnulli nomina Dan, Zabulon, Nephtali, retinuerunt. Vndè non est, quòd miremur, tantam Hebræorum esse copiam in regionibus Russiæ, Sarmatiæ, Lithuaniæ. Putat etiam, eo plures istic Hebræos inveniri, quò propius ad Tartaros accedatur. Equidem ut obiter, aliquam de meo velut symbolam, his adjiciam (ita scribit Leunclavius) adulescens in Livoniam, nec dùm collegio Teutonicorum equitum dissipato, à Cunrado patre missus ad Albertum patruum; quùm alia istic animadvertere memini: tum etiam versus Lithuaniam, in vicinia metropolis Rigæ, (quæ in edito Livonico,

vitiosè transpositis litteris scribitur Vera, pro Ryca: sicut ibidem pro Euphlaste, reponendum Eiflante. Sic enim Germani cæteri, vocant Livoniam, Saxones nostri Liflandam. Gallicus interpres, Veram vult esse Nouogrodiam, puerili errore: quàm dicat auctor, suis urbem legibus & libertate frui, ab optimatibus regi; ad mare sitam esse: Danos, Anglos, Gallos eò commerciorum causâ navigare: quæ de Novogradia intelligi nequeunt) in hujus ergò Rigæ viciniâ, nationem quamdam esse barbaram Lettorum, à cæteris Livoniæ barbaris incolis, Curonibus & Estonibus, linguâ planè discrepantem: qui perpetuo in ore quasi lamentationem quamdam habent, quam vociferando per agros adsiduò repetunt. Ieru, Ieru, Masco Lon. quibus verbis Ierusalem & Damascum intelligere creduntur: cæterarum in antiquâ patriâ rerum, tot à sæculis, & in remotissimis ab eâ solitudinibus, obliti. Ad Morneum ut redeamus; putat hoc idem non minùs esse vero simile, de Turcis, quàm de Tataris: quùm nomen ipsum Turcorum, Hebraicâ linguâ significet exsules, & contumeliosum apud ipsos habeatur. *vide tr. C. Besoldi, de Saracenis. num. 11. ad fin.*

8. De etymo Turcorum, sæpè dictus Leunclavius, ita scribit, *in Onomastico priore,* Iurchi, qui & Iurchæ, & Iurkæ; Herodoto, rectè scripto veteri vocabulo ἰύρκαι: Sunt illi ipsi, quos nunc Turcas & Turcos dicimus: & ipsorum more Tzurcos, aut Tzurucos: literâ I per Z, vel Tz fortiùs expressâ. Vocabulum vero Zurki, vel Tzurki, significat ipsorum lingua prorsus id, quod Græcum Nomades, παρὰ τὰς νομὰς, hoc est, à pascuis dedu-

deductum. Quippè notum, Nomadas dici, qui nullis certis domiciliis fixis, pascuorum causâ hinc indè cum familiis, armentis & gregibus, obvagantur. Et erant olim Turci tales, & sunt in Anatolia passim hodieque Turcomanleri. Ferunt etiam molestè nunc Osmanci, milites & aulici, quùm quis eos Turcos, ceu Rusticos, adpellat. Et in ipsorum comœdiis semper introducitur aliquis Turcus, aut Turcman, velut rusticus; perinde ac Italicæ Comœdiæ, Zano suo non carent.

Turcæ Saracenicum Imperium, à Mahomete fonditum, in quo 3, successoribus ducenti autem, extinxerunt. 1.

Saraceni culti & literati: Turcæ Vastatores. 2.

De origine Turcarum, quid sentiat Cuspinianus? 3.

Quid Reinerus Reineccius. 4.

Quid Leunclavius? Et quam miraculosi illorum Imperii fuerint progressus. 5.

Ex parvis, obscuris, & quandoque incognitis initiis; magna sæpe Imperia oriuntur: in iisque fundandis ac stabiliendis, providentia Divina, miris, omnemque captum humanum superantibus, rationibus utitur. 3.4.5.

Caussæ & occasiones, admirandorum Turcicorum progressuum. 6.

Christianorum socordia, intestina dissidia; & cum Turcis inita fœdera Barbaros firmàrunt. 6.

Musulmanus, quid significet: Et quod Tartari & Turcæ, decem Israelis Tribuum reliquiæ. 7.

Quid denotet Turci nomen? 8.

Othomanus.

Anno Christi. 1300.

TUrcæ inprimis fortitudini Ottomani (qui ipsorum Linguâ Sultan OSMAN,

vel OTMAN vocatur) incrementa sua acceptum ferre debent. Is enim occupatâ per filium Orchanem Prusâ (quæ nunc vulgò Bursa) Bythiniæ, Imperii ibi posuit sedem. A Castello autem Galatiæ, quod à Brusiâ Trapezuntem versùs, sex dierum itinere distat, à se capto; sic dictus ille fuit: licet alii, id ejus natale solum scribunt extitisse. *Cuspinian. sed v. Leunclav. in Pandect. fol. 102. & seq.*

2. De Osmanis nativitate ita scribunt, Annales Sultanorum Osmanidarum, *editi à Leunclavio, fol. 102.* Accidit aliquandò, ut fessus Ertucules, interdiù semet ad quietem componeret. Ibi tum ei somnium se quoddam obrulit, quo viso fuit experrectus. Mox hinc & inde rem cogitabundus expendens, corpus abluit, preces suas absolvit: habituque mutato, Coniam profectus, urbem ingreditur. Agebat istic vir auctoritatis ex doctrina maximæ, cui nomen Edebales, operum effector & prodigiorum admirabilium: in quem conjecti erant omnium oculi, quòd eos in lege Mahumetanâ instituerêt, ac facultates cæteroquin amplissimas possideret. Etiam Sultanus Aladines plurimùm ei tribuebat. Hunc ubi convenisset Ertucules, ut somnium illi suum exponeret: Venerande vir, ait, per quietem visus sum videre splendorem Lunæ, prodeuntem è sinu tuo, qui meum in sinum penetraret. Eò quum delatus esset, ex umbilico meo, mox enatam fuisse arborem, quæ regiones aliquot,

quot, ac præaltos montes, latosque campos umbra sua tegeret. Ad ipsas autem radices arboris perennes aquas emanâsse, quibus vineæ passim, & horti rigarentur: ac secundum hæc, experrectus fui. Postea quàm diù multùm semet Edebales, qui a suis vir sanctus habebatur, ob interpretationem somnii torsisset: tandem, oratione ad Ertuculem conversa, Nascetur tibi filius, inquit, vir optime, cui nomen erit Osman. Is bella plurima geret, ac posteri sui deinceps reges, terrarumque principes erunt. Mea quoque filia, nupturâ est Osmani, ex quâ procreabit ille liberos, qui regiam ad dignitatem pervenient, ac populis suis imperio præerunt. Secundum illa natus fuit Osman: qui quum adolevisset, Mahumetanæ vatis illius filiam duxit uxorem, de quâ natus est ei filius Vrchan. Quumque provinciis aliquot occupatis, principatum sibi constituisset: partem ditionum inter duces militares, qui eâ in loca Ertucule patre venerant, liberaliter distribuit: a quibus illæ regiones hodieque nomina sua sortitæ sunt. Leunclavius verò, *lib. 3. hist. Musulm.* idem hocce somnium, filio Ertuculis Osmano oblatum fuisse, refert: ex eoque Turcicis historicis colligere ait: divinæ providentiæ soli, nec opinatam Osmanis evectionem ad insequutum illud sublime rerum culmen tribuit: eamque fortunam nihil tale cogitanti, cœlitùs fuisse nuntiatum referunt. Rebus autem hoc modo constitutis, pater & filius Vrchan, conjunctis copiis, arma in Christianos expediunt, omnia latè populantur, agros eorum occupant, magnam hominum multitudinem utriusque sexus captivam abducunt.

3. Qui tum temporis Teggiur, sive magistratus erat Prusæ, (quod addunt prædicti Annales) adjunctis sibi compluribus aliorum auxiliis, & coacto milite suo, de profligandis Turcis cogitare cepit Igitur hoc magnis cum copiis in Turcos ducente, minimè consternatus, Osman, animo invicto Christianis obviam prodit. Ad manus ubi ventum fuisset, strenuè dimicatū utrimque. Cæsi fratres Osmanis eo prælio, Gunduselpes & Aidogdis, ac secundum viam publicam ad fines Dobmuris sepulti. Osman, fratribus licet amissis; tandem tamen victoriâ potitus est. Teggiur, Edrenosius, & Prusæus, initâ fugâ, Prusam delati, semet in urbem includunt: quos à tergo cum suis insequutus Osman, in itinere oppidum Vlubadam, militari corona cingit, cujus Teggiur mox certis conditionibus cum eo trāsegit. Hinc Prusam cum exercitu properans, urbis obsidionem molitur. Cumque vi admotâ, nihil effecturum se videret, ad ejus expugnationem: primùm in adversa urbi parte, juxta thermas, quæ Caplice Turcis dicuntur, vallo ducto, munimentum pro suis erigit; cui fratris Gunduselpis filium, Agdemurem præficit, hominem rei bellicæ peritissimum, adjunctis ei militibus egregiis. Indè munimentum aliud excitat versus eum montem, quem Geschisdage, hoc est, montem monachorum vocant. Illius curam Belebanzuco cuidam ex suis, viro strenuo committit. Hoc modo duobus hisce munimentis exstructis, & actis aggeribus ac fossis, civitatem obsessam tam arcte clauserunt; ut nemini vel accessus ad eam, vel exitus pateret: atque interim agrum omnem in potestatem suam redegerunt;

nihil

nihil ut obsessis, præter ipsam urbem, reliqui facerent. Dum isthæc durat obsidio, cum parte exercitus, Osman Gases ipse Neapolim, quæ Genischeher linguâ Turcicâ dicitur, contendit. Ejus viciniæ Christiani omnes, coactis copiis suis, cum Osmane confligunt: sed Osman prælio superior, universâ illâ regione potitur. Ea vero Turcicorum militum, qui de spoliis opulenti evaserant, præsidium accepit, absque provincialium damno. His rebus ex animi sententia confectis, Osmam podagrâ laborans, Vrchanem filium ad expugnandam Prusam ablegat. Horum militum accessione adauctis Turcorum castris, gravior inclusis esse cepit obsidio. Quãobrem viribus obsessorum exhaustis, quum omnis jam commeatus defecisset, ac nihilominus ipsi tam noctu, quam interdiu, in armis esse, propugnandæ civitatis causâ, cogerentur: tandem ipse Teggiur, cui nomen Iussuphes, pactis intervenientibus, Vrchani Prusæ deditionem fecit. Is adeo religiosè pactis conventis stetit, ut hosti absque ullo impedimento & injuriâ, cum uxore, liberis, facultatibus universis, abeundi potestatem faceret, ne manguro quidem ablato: statimque patrem, Osmanem Gasem, de Prusâ in deditionem acceptâ, certiorem reddidit. Occupata fuit ab Vrchane Gasi Prusa, Mahumetani calculi anno DCCXXVI. Anno Christi, 1327. Osman ipse tum temporis quiescens, occupationi Prusæ non interfuit: partim tumore cruciatuque pedum impeditus, partim quod se superstite filium Vrchanem aliquid fortiter agere cuperet, ad excitandos in eo generosi animi spiritus. Tandem exactis in Imperio XXVIIII. an-

nis, Osman Gases vitam cùm morte commutavit. Ejus loco rerum administrationem consequutus est Vrchan filius, anno Mahumetano DCCXXVII. Ante mortem præcepit, ut Prusæ in argentea tumba conca ... erata conderetur.

4. Fuêre autem Magistratus initio, tenues adhuc Osmanis fortunæ: Adeò ut quidam scribunt, aratum exire solitum Osmanem, & quoties ei prandium adferretur, jussisse tubâ cani: cujus audito clangore, vicini ad eum agricolæ prandii causa convenerint. Pòst verò multis arcibus potitus infra fines earum juris & æqui servandi studiosissimus erat. Cujus quidem justitiæ famâ moti agricolæ, qui prius ex illis locis metu Turcorum aufugerant, suas ad ædes ac possessiones ultrò redierũt; ac deinceps in summa securitate rebus suis uti frui potuerunt. Nec deerant Christiani, qui tranquillitatis hujus, pacisque causâ, de locis aliis, in Osmaneam ditionem, magno numero commigrarent. Addunt etiam, Sultanum Aladinem, Tympana militaria, Tubam, Vexillum (tanquam indicia principalis dignitatis) Osmani offerri jussisse; & insuper mandatis Actemuri dedisse; suo nomine diceret Osmani, quidquid Musulmanæ religionis hostibus Christianis eripuisset, bona cum Aladinis ipsius pace sibi retineret: iidemque se Osmani signandæ monetæ potestatem concedere, cum precibus Hutbeis, die Veneris, hebdomadario Musulmanorum festo, pro ipsius incolumitate dicendis; quæ duo duntaxat ad jus regium pertineant. Magnaque deinum potitus Nicæâ, quum non multo pòst, Sultani mors Aladinis etiam sequuta fuisset; adspirandum denique

maxi-

mirificè tum amplificatâ, tum stabilita potentia regia ad imperium censuit; & inprimis opportuno tempore f[illegible]ciundum principatus initium prorsus ut cœlesti providetia sic illas fuisse res administradas adpareat, ut extinctæ genti Aladinianorum, mox Osmanea felicissimis auspiciis succederet. Leunclavius libr. 3. Qui idem tam memorabile maximi, post homines natos, imperii principium, ad annum à Christo nato CIↃ. CCC. referri debere, autumat. Ordinatis ergo hoc modo precibus Hutbeis, etiam ad alia principum jura, quæ Regalia vulgus Iurisconsultorum vocat, sibi vindicanda, progressus est Osman, suoque nomine signari cujusvis materiæ nummos jussit. Indè Cadios auctoritate suâ, sive prætores instituit; qui novi principatus populo jus in causis ceremoniariis, civilibus, ac militaribus dicerent. His addidit præfectum, & executorem rerum capitalium; quem ipsi sua lingua Subassam vocant. Neque multò pòst, è Germeani reguli ditione, quidam ad Osmanem accessit, oblatisque nummis, publicani munus redimere voluit; ut vectigal, cui Batzi nomen dant Barbari, de mercibus, ad forum rerum vænalium importatis, exigeret. Osman verò: Quid hoc nominis Batz sibi vult? inquit. Tum alter ille: Vis ejus hæc est, ait, ut quicunque mercium certum quoddam pondus, & onus ad forum, ut distrahantur, vehi curaverit; eo nomine mihi, jussu tuo, vectigal solvat. Ad hæc Osman: Heus tu, inquit, ad forum qui veniunt nostris in ditionibus, an aliquo tibi nomine sunt obligati, ut tu pecuniam ab eis exigas? Ille verò respondens: In omnibus regnis, ait, omniumque principum ditioni-

tionibus, hic mos invaluit; ut pro vectura mercium, quilibet rex, aut princeps sibi certum vectigal solvi velit. Quo intellecto: Num divino jure fieri solet hoc, ait Osman, an noster ille propheta mentionem ejus fecit? an denique reges ac principes omnium populorum & nationum, quum recens imperio potiti sunt, ex semetipsis, hujusmodi jus quoddam sibi constituunt? Imo verò, inquit ille, jus ab hoc ipso rerum initio, reges ac Sultani semper habuerunt. Tum indignatione quadam animi commotus Osman: Abi, subjecit, in malam rem scelesté, ne his te posthàc conspiciam oculis: alioqui de te, pro merito tuo, pœnas exigam. Quippe qui sua manu, suo labore, suo sumtu, quid adquisivit, aut comparavit: quónam jure mihi sit obligatus, ut aliquid eo nomine solvat? Osmanei vero subditi, hoc ejus audito responso: Moris est, inquiunt, o Chan, (sic principem Turci suum adpellant) ut iis annonæ præbeantur, qui Agoranomi, sive judices forenses, vel alioqui forenses ministri sunt, ad fori custodiam constituti; ne suis rebus neglectis, absque fructu munus hoc suum curent. Id salarium, aliunde sumi necesse est. Tum Osman: Quando sic comparata res est, ut dicitis, unusquisque solvet in posterum pro vectura mercium suarū qualibet, axos, aut aspros, vel albos nummulos duos; modo merces illas suas in foro distrahat. Sin eæ venditæ non fuerint, nihil solvat. Hæc ab initio principatus, ab Osmane lata lex fuit. Nec multò post, aliam quoque legem, in hujusmodi sententiam, promulgavit. Quicumque Timaria, vel in villarum, vel aliorum prædiorum constituta provētibus, libe-

liberalitate nostra consequutus fuerit; eis sic uti frui debebit, ut illi absque justâ causâ, nemini ullo sive fraude, sive vi, adimantur. Quod si mortem successerit, eadem ipsius filio cedere volumus; etiamsi minor adhuc, sive pupillus sit: illâ tamen lege, ut belli tempore, pupilli loco, mittantur alii, donec ipse pupillus adoleverit, & armis gerendis idoneus evaserit. Si quis verò Canonicæ legis hujus nostræ paginam violare, vel mutare fuerit ausus; aut posteris, successoribus nostris, ejus abolendæ, mutandæ fuerit auctor. execratione nostrâ sic diris uterque devovetor, tam qui abrogaverit, mutaverit: quam qui abrogandi, mutandi auctor exstiterit; ut propitium sibi Deum non amplius experiatur, sed pariter & rectâ sententiâ religionis excidat, & quidquid fortunarum ac prosperitatis habet, amittat. Has constitutiones Osman statim ab initio principatu promulgavit, quæ quidem à Turcis adhuc vocabulo à Græcis accepto, Kanoni Osmanum, id est Osmani canones, aut regulæ sive leges adpellantur. Leunclavius lib. 3.

5. Referunt etiam Turcici Annales, in deditione Prusæ accidisse. Et nempè Christiani, liberum suis cum uxoribus, liberis, facultatibus, & armis discessum pacti sunt: promittente vicissim Vrchane per caput suum, qui Turcis jurãdi mos est, sanctè se præstaturum, quæ de tuenda ipsorum incolumitate pollicitus esset. Cum verò Christiani abitum pararent. Tum se convertens ad Christianos Vrchan: Melius est, inquit, hos mihi a vobis relinqui pueros, quàm Constantinopolim abduci: quum equidem perbenignè cum eis acturus sim. Respondêre Christiani, minimò

nimè pactorum fidem violari debere. Vrchanes contrà: Vobis equidem, ait, abeundi potestatem liberam facio. Sed qui scire possum, an his etiam pueris hinc discedere libeat? Nobiscum eos heic relinquite, dum adoleverint, & suum nobis animum aperire possint: quo tempore, si nobis desertis, ad vos conferre se volent, hoc ipsum eis per nos, uti faciant, liberrimum erit. Simul pueros vel invitis adimi jussit, & compellatis denuò Christianis: Debetur, inquit, ipsis etiam aliquid è facultatibus his, quas vobiscum tollitis: adeoque suam, ut eis portionem heic relinquatis, æquissimum fuerit: quum minimè ferendum sit, ut aliena bona vobiscum auferatis. Hoc modo quidquid lubuisset, eis eripuit: tandemque miseri Burusenses, suis spoliati carissimis pignoribus ac rebus, ibidem præ desperatione manendum, majori ex parte censuere: reliqui sanè pauci, perinsolenter ab Osmaneo tractati milite, facultatibus amissis, Cōstantinopolim se receperunt. Habent lectores insignis malitiæ strategema Turcicum, quod eò similius vero videtur, quò notius est usu rerum valētibus, nullos in orbe terrarum vafricie Turcis superiores esse barbaros, nec magis perfidos: quantumvis alii scriptores, eorum hac ipsa Burusæ deditione continentiam Vrchanis, & præstandis religione singulari promissis, integritatem laudent: ut & suprà n.3. dictum fuit.

6. Vixit Osman LXIX annis, regnavit XXVIIII Muhameticis, qui XXVIII Christiani sunt anni. In extremo voluntatis elogio, comprehensam inter alia fuisse perhibent Turci, quamdam ad Vrchanem filium exhortationem: quâ cōsilium hoc-

hanc ei dederit, ut siquis illi tentandæ, suspiciendæve rei alicujus auctor esse vellet, quam Deus ipse non mandasset: omnino sibi temperandum ab ejusmodi conatu ferret, ac talis auctoriati consultoris, haudquaquam parendum. Adeoque nihil sibi statueret agendum, quod esse alienum à Dei mandato animadverteret. Si quid occurreret aliquando (quod in hac caligine rerum humanarum, sæpe nobis usuvenire soleat) de quo dubitaret ipse, vel quid sequi potissimũ deberet, ignoraret: id totum ad legis divinæ peritos referret, eorumque sententias & judicia prudenter exquireret, & illo quidem studio: nihil ut unquam prius inchoaret, quàm aliquid certi de re tota percepisset, & quem illa videretur exitum habitura, singulari acrimonia judicii considerasset. Præterea subditos ac ministros suos, quos obsequẽtes & morigeros sibi cognovisset, non benignè tantummodo complecteretur, verum etiam in pretio haberet. Erga milites se beneficum, largum, ac liberalem gereret: eosque nec annonis in tempore præbendis, nec donativis conciliare sibi desineret. Sic enim comparatam esse naturam mortalium, libenter ut patronis clientes, heris suis ministri, dominis servi quam obligatissimos se profiteri soleant; quum eorum de se curam & sollicitudinem perspiciunt, ac ingenuam benignitatem & munificentiam experiuntur. Hæc Osman in testamento fertur Vrchani filio præcepta reliquisse, minime quidem ab ingenio profecta barbaro; sed tanti conditore imperii digna. De moribus ejus, & in egentes commiseratione quadam, humanitateque singulari, hoc etiam Turcicis in monumen-

numentis, relatum; cottidiè cibos affatim curâsse coqui, collectosque miseros & inopes eis pavisse: laceris indutos vestibus, & nudos, de suo vestivisse, copiose stipem, in viduas præsertim mulierculas, erogâsse.

7. Eodem tempore (ut Chalcocondiles, lib. 1. refert) Græcorum res, ancipiti fruebantur fortunâ; cùm intestinis discordiis agitarentur propter Byzantii regnum, reges ambo, avus & nepos Andronici, ex familia Paleologorum orti. Cum autem seditionibus jactarentur, quidam hunc, pars illum sequebantur; ex quo effectum est, ut planissimè res ipsorum interierint. Priori enim Andronico natus est filius, cui nomen inditum Michael: qui fato functus, antequam ad regnum promoveri posset. Post hujus mortem Andronicus filius, cum avus senio confectus foret, ad regiæ dignitatis culmen conscendere gestiens, inimicitias ex aperto cum avo suscepit. Cùm autem esset impudentior & præfractior, quàm ut meliora consulenti parêret, Græcos in gravissima discrimina adduxit. Accersit enim Tryballos, Græcorumque optimates in regni curam adhibitos sibi concilians, effecit ut nemo amplius Græcorum, Europæ accessu Turcos prohiberet. Vnde maxima Turcis per universam Asiam accessit potentia; transgressique in Europam, Thraciam gravissimè adflixerunt.

Turci, incrementa sui Imperii, Ottomanni fortitudini debent. 1.

Osmanni nativitas, & patris somnium propheticum. 2.

Prusa, Bythiniæ urbs, capitur a Turcis. 3.

Ottomanici Imperii principium, & quibus legibus illud ab initio fuerit firmatum. 4.

Timariæ ordinatæ, & vectigalia instituta. 4.

Insti-

[illegible] *perfidia Turcarum, æquitatu prætextu celeratur* [illegible] 5.

[illegible] *anus mors, & quæ Filio ederit præcepta.* 6.

[illegible] Turcæ Religionem, Deique cultum præ se ferunt, & suis expeditionibus bellicis prætendunt: bonis item operibus præfulgere non raro conspiciuntur. 6.

II. ORCHANES.

ORchanes, filius Ottomanni (Turcis URCHAN GASI, id est militaris, seu heros dictus) Anno Christi 1326. (vel ut alii 2[illegible].) imperare incepit. Hicque diffidus usus Græcorum Imperatorum, Mysios, Cares, Phrygas, cæteraque ad Hellespontum usque loca; ut & Nicæam & Nicomediam, Urbes florentissimas occupavit.

2. Sane tunc in Italia, Florentini & Lucenses: In Gallia, Philippus Rex & Flandri inter se pugnabant. Invaluit etiam admodum perniciosa Guelphorum & Gibellinorum factio. Pontifex Iohannes XXII. sacris interdixit Ludovicum Imperatorem: quod sine Papali consensu Cæsaris dignitate uteretur; unde schisma ortum gravissimum: quod totis XXIV. annis, orbem Christianum adflixit. In Græcia etiam Cantacuzenus, cum Iohanne Palæologo bella gessit. Qua de re ita Chalcocondyles lib. 1. Sub idem tempus cùm Orchanes iratus esset quibusdam in Asia degentibus satrapis, quosdam eorum sibi associans, reliquos debellavit. Tempore deinde

dè

de multò interjecto, Cantacuzeni Græcorum regis filiam uxorem duxit. Quæ affinitas ubi intercessit, pax inter Græcos & Turcos facta est: belloque Phrygiæ satrapas, cum discordia intervenisset, persequebatur. Andronicus Græcorum rex cùm moreretur, reliquit filium natum annos duodecim: tutoremque ei assignavit Cantacuzenum, virum opulentum magnaque potentia subnixum, ut puerum tutaretur, & curaret ad eam usque ætatem, quæ regno gubernando habilis foret. Hujus in fidem puerum regnumq; tradidit, jurejurandoque eum obstrinxit, ut sine dolo in administratione regni, educationeque pueri versaretur; quo ipsum nihil injuriarum à se expertum, tandem regno Græcorum præficeret. Vt autem rex excessit è vivis, nō modò pòst urgentibus & opitulantibus Græcis, tutor ad regni curam allectus est, puerum tamen nulla injuria affecit. Verùm cum eum affinem sibi fecisset, ut imbellem contemptui habuit, spem omnem in Græcis, quantum ad regnum retinendum attinebat, ponendo. At Cantacuzenus cùm pupillum regno privasset; Orchanemque datâ in uxorem filiâ affinem ascivisset, eum & amicissimum & familiarissimum in posterum expertus est.

3. Quamvis autem Chalcocondyles de Orchane referat; eum interemptis duobus fratribus natu majoribus, ad regiam dignitatem emersisse. Contrarium tamen Annales Turcici habent, nominatimque scribunt. Orchanes, Alim Bassam, fratrem suum, ad se uti veniret, arcessit; qui ad eum profectus, Nulla mihi ditione opus est, mi frater, ait: statimque facta cessione,

quam à patre ditionem acceperat, Vrchani Galli fratri sponte tradidit & commendavit. Certabāt id temporis fratres inter se mutuis officiis, & honorem alter alteri deferebat. Erant ejus ætatis homines ita comparati, ut frater consilia sua cum fratre communicaret: quique rectissime consuluisset, in ejus sententiam lubens alter ibat. Nulli mutuis se parricidiis fratres e medio sustulerunt, ante Baiasitis Chanis Imperium, quē Gilderumem adpellaverunt: scribitque Leunclavius, *lib. 4 Hist. Musulm.* Comitiis dictus aliá nullâ de causâ dies, quàm ercifcundæ familiæ paternæ de ipsorum sententia judicioque procerum, inter hos fratres, Osmanis hæredes. Posteaquam ad rem ventum fuisset, preter captas bello ditiones, reperti nusquam ulli thesauri, quos suis Osman cumulatos reliquisset. Nec auri, nec argenti, nec æris ulla, facti vel infecti, superabat in ærario mortui copia; qui liberalissima manu, quidquid è prædiis imperatorio nactus jure fuerat, in militem vivus erogaverat. Stabula tamen aliquot reperta fuerunt, equis plena generosis: itemque pecorum numerosi greges, qui nunc quoque in provincia Burusæa pasci solent, & peculio Sultani continentur. Reliquerat etiam in ditione Sultan-Vngınâ, numerum quendam equorum, & juga boum, quæ colendis agris privati aluerat. Præter hæc, omnino nihil inventum. Quapropter his inspectis, fratrem interrogavit Vrchan, quid faciundum de hac puta hereditate? Respondit Aladin, constituendum ante omnia regem in ditione paternâ, qui pastoris boni munere fungeretur, incolas regni benigne regeret ac defenderet, militum copiis

præesset, eisque necessarias annonas præberet. Huic & equos illos, & equas, & boves, & oves omnino deberi, ceu patrimonium principis: quandò pater etiam militiæ causa solitus fuerit hos alere. Nullum heic se vel hereditatis adeundæ, vel successionis sibi jus vindicare. Quibus auditis, Aladinem Bassam, denuò compellans Vrchan Gasis: Ergo tu mi frater, inquit, pastoris hoc munus in te suscipe. Nequit hoc fieri, subjecit Aladin, quandò pater adhuc superstes regiũ tibi jus, dignitatemque lubens tribuit. Te vivo nihil mihi deerit, quum & frater natu major, & patris mihi loco sis. His ab Aladine prolatis, magnopere laudata fuit ab omnibus, qui aderãt ætate provectis, ac proceribus, hæc ipsius oratio, probatumque consilium. Vrchan vero rursùm; Mi frater, ait, siquidem hæc animi tui sententia est, saltim illud abs te impetrem, ut in senatu meo Veziris Bassæ munus obeas. Verùm ne id quidem acceptaret, persuaderi Aladin ullâ ratione potuit. Ne tamen nihil à fratre peteret, tamdem esse dixit in planicie regionis Texersis villam quamdam, cui nomen Fodore. Si hanc ei donâsset Vrchan, nihil desideratuium amplius.

4. Latè etiam Leunclavius *eod lib. 4* tradit, quibus occasionibus Osmanis filius Vrchan, & nepos Suleiman fatali progressu trans Hellespontum in Europam copias trajecerint: & in eâ paullatim, perpetuâ cum Græci nominis infamiâ (quæ gens eis à principio per ignaviam, civilesque discordias, obviam ire neglexit) magis magisque pedem fixerint. Eaque de re; Annales Turcici, sequentia habent. Occupato Zemenico, quum

quum magnus jam Turcorum numerus in Græciam trans mare pervenisset; nullis oneribus molestiis, e Christiani, ad oppidum illud pertinentes, ab eis gravati sunt: sed transactum inter utramque partem constitutaque pax. Non uxores eorum, non liberi violati. sed ea cum moderatione habiti, ut Zemenico finitimi Christiani perlubenter se Turcis submitterent. A Zemenico non longe distat aliud opidum, Agaslevina, quo & ipso nullo negotio potiti, cum Christianis ejus agri pacem componunt; eademque in hos usi humanitate, quâ in illos priores, facilè duo istæc Græciæ castra suam in potestatem redegerunt. Harum rerum, tam feliciter in Romania gestarum, fama quum ad Turcos in Asiam trans mare perlata fuisset; quamplurimi spontè suâ transiecerunt, atque hoc modo passim per universam Romaniam diditus est de Turcorum adventu rumor. Neque multo post præmissi fuere, qui Gallipolim tentarent. Ejus loci Teggiur, animadverso tam suo, quam suorum periculo, collectisque perexiguis Christianorum copiis, animosè cum Turcis conflixit: sed prœlio victus, intra munitionem se recepit. Turci hostem à tergo sequuti, agrum omnem occupant: & in reditu ipsam quoque Gallipolim sibi cum arce subjiciunt. Et hoc est, quod de Vrchane Cuspinianus scribit, eum nempè liberalitate animi, facilitate morum, dexteritateque quadam ingenii & felicitatis, tum bene probeque imperandi opinione, ingentem sibi undiq; multitudinem comparasse. Quorum animos semel ad se prosequendum allectos atque conciliatos, populari deinceps facilitate & comitate quadam, perpe-

tuaque consuetudine atque largitionibus, mirum in modum in officio retinebat. Quo factum est, ut rem inchoatam à patre, suapte ipse industriâ, diligentiâ, studio, curâ, prudentiâ, commode prosequutus, auxerit, & longe provexerit ac propagarit. De eodem etiam ita Paulus Iovius. Orcanes, qui paternis virtutibus immensam animi magnitudinem, ac subtiliorem in acquirendis finitimis regionibus artem adjunxit. Liberalitatem erga milites pro comite perpetuò habuit: qua virtute nullam vividiorem princeps aliquis habere potest, ut magnus atq; adeò immortalis citò efficiatur. Copiosus ac ingeniosus in militari apparatu; necnon in novis bellicis machinis inveniendis fuit.

5. Orcanem autem, ex vulnere in oppugnatione Bursiæ accepto, occubuisse, perperam Iovius scribit: morte enim naturali extinctũ fuisse, Annales Turcici habent, & quidem duobus mensibus post filii sui, Soleimanis Bassæ obitũ. Cum tamen Chalcocondyles, libr. 1. Sulaimanem, Patris Orchanis successorem faciat; eumq; mortuo demùm patre, tertiam Turcorum in Europam incursionem fecisse dicat.

Orchanes, patri Ottomanno succedit. 1.

Dissidia varia Christianorum, Turcarum progressum promovent. 2.

Orchanes cum fratre suo, clementissime agit: ejusq; bonâ gratia, patri succedit. 1.

Etiam mobilia, Regni administrationi necessaria, primogenito cedunt. 3.

Turcæ in Europam veniunt: & callidè simulatâ benignitate, ac rectè imperandi ratione, Christianos (at in eorum perniciem) sibi conciliant. 4.

Amu-

III. *Amurathes. I.*

ANno Christi 1357. (alii 1359.) Morad, sivè Murates Chan Gasis, hoc est, heros, vulgò Amurathes, filius Orchanis, ad Imperium pervenit. Is contra Græcos dissidentes & rebelles ab Imperatore Calo Johanne Palæologo, in auxilium evocatus, Imperatoris quidem hostes prostravit: Sed paulò pòst, ipsi ferè nihil præter nomen reliquit. Nam traiiciens per Hellespontum, Callipolin, Philippolin ac Adrianopolin (quam Regiam sedem fecit, cum antè Brusa esset) occupavit; & Bulgariæ, Serviæque (seu Rasciæ, Leunclav. *in Pandect. c. 37.*) Despotas, ut & aliquot Albaniæ Proceres, qui vires conjunxerãt, vicit Janizarorum etiam seu Prætorianorum militum instituit phalangem.

2. De origine autem Ianizarorum, sequentia annales Turcici habent. Erat id temporis quidam Talismanus Turcicus, Cara Rustemes, qui ad exercitum è Caramania venerat. Is quum tantam & prædæ Christianis ereptæ copiam, & captivorum multitudinem in castra videret adduci: convento Cadilescher, cur talem tantumque thesaurum, magistratui supremo debitum, auferri temerè sineret, quærit? Ad ea Zenderlues Chelilles Cadilescherus: Quis tamdem ille thesaurus est, ait, quem tu quidem ad magistratum

pertinere, sed nullo cum fructu perire, ac prodigi refers? Dei mandatum est, inquit Cara Rustemes; ut omnium, quæ de Christianis capta, rapta fuerint, sivè mancipiorum, sivè animalium, sivè quarumlibet aliarum rerum, quinta quæque portio, juri Patiscachi cedat. Et cur illam vos non exigitis? Monitus ergò Cadilescherus, Gasi Murati Chani, rem exposuit: à quo responsum tulit; ut, siquidem hoc Dei mandatum sit, omninò jus suum urgeant. Igitur accersito ad se Cara Rusteme: Volumus, inquiunt, ô sancte vir, ut ipse Dei mandatum exequaris. Ille Gallipolim profectus, ibidem sibi domicilium constituit: ac pro quolibet mancipio Christiano, trans mare vehendo, aspros X X V. à Turcis exegit. Et certè adhuc hodiè, quintæ Gallipoli, pro Sultano Turcorum, tam mancipiorũ nomine, quàm reliquorum spoliorum exiguntur. Fuit & ab Eurenose Bego postulatum, ut in magistratus supremi, quintum quodque mancipium Christianorum à suis repeteret, ac imperatori traderet. Si quis verò non quinque, sed quatuor duntaxat mancipia possideret: ut ab eo singulorum nomine aspri XXV.. exigerentur; eaque pecunia fisco imperatoris cederet. Hâc nimirum occasione deinceps ille mos inolevit, ut ex omni mancipiorum numero, liberalioris formæ pueri, pro Sultano delecti, retinerentur: quæ quidem in hunc modum exacta tenerioris ętatis mancipia, deindè ad Imperatoris portam deducta, Murati offerebantur. Is vero pueros in Anatoliam trãsportatos, inter Turcos distribui jubebat: ut apud eos disciplinæ pariter, ac laboribus adsuescerẽt, & Turcicè discerent. Exactis autem duobus apud illos,

illos, vel tribus annis; jam ad labores condocefacti, linguæque Turcicæ periti, ad Portam reducebantur, Genizarorum ordinibus adscribendi. Genizari vero Sultani Turcorũ sclopetarii sunt, & inde ab illis usque temporibus, nomen hoc Genizarorum adepti retinent. Qua de re ita Leunclav. *in pandect. cap. 35.* Nusquam reperi Genizarorum originem verius descriptam, quàm jam modo relatis Turcicis Annalibus: ideoque locus est memorabilis, quo plurium alucinationes refutantur. Nam alii volunt institutos ab Othmane vel Osmane Gasi, nonnulli (quos inter est Iovius, & Geufræus) fuisse referunt ordinatam ipsorum militiam primum omnium à Murate II. quem ego numerum potius auxisse dixerim, quàm fuisse militiæ ipsius auctorem. Vocis etiam etymon controversum est. Alicubi Spandugini opinionẽ recitavi, de Saripago, quẽ Delus quidã ceperit, à quo fuerit ortus Osman. Ea locum habere nequit. Reineccius aliquoties repetit, Ianizarorum nomen ad notionem revocatum, à Ianua deduci: quum Turcis IANVAN aulam dici, constet. Ego verò fateor, adeoque vulgò notum est, aulam Sultani (Romani veteres, comitatum Principis adpellabant) à Turcis vocari Portam Osmanicam, quod Portæ nomen idem est fere cum Ianua: sed (quod ipsius pace, citra insectationem ullam dictum esto) cogitare debebat Turcis Portam dici suâ lingua, CAPI: a quo vocabulo derivari non Ianizârorum vel Genizarorum nomen potest, sed Capisilarorum, qui alii sunt. Paucis, ut verum etymon indicem, nomen Genizeri, Turcis novos homines, seu milites novos significat, seu Latinâ voce veteri Ti-

rones: cujus etymi ratio patet ex iis, quæ in prædictis annalibus exposita leguntur.

3. De amicitia verò Græcorum cum Turcis, ita Chalcocondyles lib 1. Susmanus, Triballorum sive Balachorum Dux, legatis missis ad Amuratem, qui pacem orarent; fœdere isto in societatem acceptus est, ut deinceps hospes & amicus Amurati foret. Hinc & affinis Amurati factus; datâ in uxorem filiâ suâ, formâ excellente; alteram connubio junxerat Græcorum regi, Andronico, Ioannis F. Ioannes enim regno jam expulerat Cantacuzenum, qui puerum ipsum gubernârat: quum arrepto Græcorum regno, filiorum quos habebat, alterum Emanuelem natu minorem, misit in Peloponnesum, ut esset Dux Mizithræ, quæ olim Sparta; natu verò majorem Græcorum regem esse jubet. Ioannes autem Andronici filius, cum jam eam attigisset ætatem, quæ rebus gerendis idonea erat, conspiratione factâ cum Græcis, rogavit ut regno præficeretur. Eodem autem tempore rex in Macedonia agebat, luxuriosiore victu, & intemperantiore dissolutius. Græci indignantes propter victus rationem dissolutiorem, & convicia regi facietes, ut quisque habebat quod crimini verteret: Ioannem Andronici filium in Macedoniam abductum, communi assensu applausuque regem designat. Initio regni, Cantacuzenum in Nazaræorum sive monachorum ordinem transtulit; quem mutato nomine Matthæum appellavit. Hujus senior filius, quem pater Græcis regem destinarat, in Rhodum navigat, petiturus à sacerdote summo, quem Magnum magistrum vocant, qui insulam regebat, auxilium; quo adjutus recuperaret

ret amissum regnum. Multis autem nequicquā pertentatis, quibus in suas partes sacerdotem pelliceret, ut spem auxilii affulgere vidit nullum, ad fratrem suum juniorem Emanuelem, in Peloponnesum Spartæ ducem iter flectit: apud quem vitæ consuetudinem & necessaria habuit. Ioannes autem cum Amurate in Europam trāsgresso, societatem contraxit; filioque suo Andronico, Mysiorum regis filiam uxorem dedit: ex qua duos sustulit filios Andronicus quidem natu maximus. Demetrius verò & Emanuel natu minores erant. Theodorus autem sequebatur Amuratem quocunque bellum advertisset. Reliqui, quos modo diximus, vectigales & stipendiarii erant Amuratis, ipsumque comitari cogebantur.

4. Amurathes autem, intestinis Asiaticis bellis & cōjuratione filiorum oppugnatus fuit. Quā de re, ita Chalcocondyles, lib. 1. Saures, natu maximus filiorum Amuratis in Europâ relictus, ut eam defenderet; & si qua seditio coorta esset, aut periculi quid ingrueret, curaret, ut Europæ res in tuto collocarentur. Hic seditionem excitavit, concilians Græcorum nobilium in Europâ animos. Cùm venisset colloquendi gratia ad Græcorum regis (Iohannis Palæologi) filium seniorem Andronicum, cui Byzantium, regnique curam mandarat pater, cùm proficisceretur cum Amurate in Asiam, adversus duces seditionis standem eò deducti sunt, ut uterq; patre deficeret suo, paternumque regnum teneret, eundemque; & hostem & amicum duceret, quem alter jussisset: præterea si quid ingrueret, alter alteri auxilio esse ne cunctaretur. Hæc

Ee 6 cùm

cùm ipsis visa essent, quò majoribus animis observarentur, majoreque fide colerentur, jurisjurandi religio utrinque interposita est; quibus expeditis, quam commodissimè ex aperto præparabantur obsistere Amurati, si in Europam transire conaretur. Vbi de istis certior factus est Amurates, advocato Iohanne rege Byzantii, hujusçemodi exorsus est orationem: Rex Græcorum, mihi nuper à fide dignissimis, in Europa nunciatum est, Sauzen filium meum, à filio tuo coactum instituere, ad extremam me devolvere miseriam; quâ ratione igitur fieri posset, ut inconsciis vobis ad tantam devenerint dementiam, ut non solum meus filius tam impia aggrediatur, verùm tuus accedat auxiliator & adjutor? Absque tuo consilio hæc parari, quo pacto cogitare possum? Verùm si pœnas exegeris de filio tuo, quas ego dictavero; certò sciam, te inscio & invito, ista contigisse. Sin autem alia tibi quam mihi placuerit puniendi filii sententia, scito harum turbarum culpam omnem me in te translaturum. Cui Græcorum rex respondit: Nequaquam ô rex, hanc culpam verè in me reiicies. Nam si nunc mihi daretur filius ille meus, quem ais adeò impia in te patrare: sanè cogniturus esses liquidò, quàm ardentissimis studiis, te, tuumque regnum complecterer. Sin autem mihi animadvertēdi in filium negotium injunxeris; ne me adeò dementem fore existimes, ut quicquam gratiâ repressus, de pœnæ severitate remittam: præsertim cùm is puniendus sit, qui tibique, mihique inimicissimus & infestissimus est. Rex dicendi cum finem fecisset, placuit ut uterque parens suum filium simili

pœnâ,

pœnâ, cùm crimen utriusque simile foret, feri-
rei. Pœna autem erat constituta, videlicet ut
utriusque oculi eruerentur. Hæc ubi sunt decre-
ta, Amurates copiis quàm potuit maximis suc-
cinctus, festinavit in Europam. Quibus transve-
ctis in Europam, summo studio contendit ad-
versus filium in eum locum, ubi eum cum Græ-
corum regis filio castra communivisse accepe-
rat. Qui quidem coacto in Europâ exercitu, ca-
stra metati sunt in Byzantii quodam loco, Api-
ridium dicto: quo sanè congregatos esse con-
stabat Græcos & optimos quosque ex Europa:
ibidem juxta torrentem quendam, quo quasi
vallo muniebatur, castra locavit Saures Amura-
tis filius, patris adventum expectaturus. Amura-
tes cum exploratum haberet, filium suum, addi-
tis Græcis, in prędicto loco castra posuisse, com-
posito agmine accedit præliaturus cum hoste.
Cùm autem prælium prohiberet torrens, etiam
se torrenti castra imposuit. Fama est, Græco-
rum quosdam congressos cum Amuratis mili-
tibus, eos fudisse. Deindè cùm cognovisset lo-
cum istum, ad prælium committendum minùs
esse opportunum, noctu profectus è regione ca-
strorum hostilium, ad oram torrẽtis, quàm pro-
xime ad hostium castra accedit. Hinc cùm faci-
lè exaudiri posset, sublatâ voce singulos nomi-
natim inclamavit: quorum egregia facta locis
temporibusque notata, oratione secundâ extol-
lebat. Deindè cùm singulos satis collaudasset,
eo transiit torrentem, & talem orationem ha-
buisse fertur: Viri heroes, quò fugitis, relicto
patre vestro? Quare præceptoris vestri disci-
plinam abiicientes, ad filium meum converti-

Ee 4 mini

mini desertorem? Qui ubi primùm captus in meas venerit manus, tergo suo pœnas pendet. Nam flagellis cædetur, si modò id per vos mihi licuerit: nec quicquam mali aliud adolescentis perpetietur corpus. Sin autem spretâ hâc sententiâ mecum volueritis decernere ferro; pro certo habetote, vos ad summam abituros miseriam, nec meam bonitatem unquam experturos. Agite ergò ad nos transite, nihil mali suspicantes. Nec ob nostræ virtutis reverentiam, nec etiam propter filii flagellationem, ad me confluere erubueritis. Iuro per eum, cujus ope ad istud insigne imperium conscendi, me nihil mali cuiquam vestrum illaturum. Fama est. Saucis milites, his auditis, non nihil confusos voce regis, quæ erat clarissima; sibique timuisse malè, virtutem ejus & fortunam optimè callentes. Attamen persuasi auctoritate dicentis, cùm inter se multum essent collocuti, nocte eâ, quæ insequebatur, castra deserunt: & quò cuiq; opportunum videbatur, eò dirigebat gressum. Plurimi cum Amuratis castra intrassent, deprecati sunt culpam, factum excusantes, se non sponte, verùm necessitate circundatos, castra Sauzis esse secutos. Sauzes, ubi intellexit milites suos è castris aufugisse, nec non illos, quos sibi fidissimos, & deditissimos judicabat, abiisse; concessit Didymotichum. Sequuti sunt eum Græcorum filii; qui eum auxilio subnixus, res quàm animosissimè gerebat. Amurates comperto filii discessu, è vestigio insequutus est, urbemque obsidione circundedit. Illi qui erant cum Sauze, fame oppugnati, cùm anteà nullum frumentum in arcem congessissent, semet fidei Amuratis, sine pactioni-

[illegible]bus tradidere. Amurates itaque, cum urbem fame enectam accepisset, etiam Sauzem filium cepit: quē oculis privari jussit. Græcos autem reliquos ex urbe vinctos, præcipites in flumen subjectum deiici imperavit. Castris autem juxta flumen fixis, spectabat optimates Græcorum, ut præcipitarentur ex urbe; nunc bini, deinde & terni. Studio deindè spectandi addictus, cùm intervenisset ex improviso lepus à canibus agitatus, fertur cachinnum sustulisse. Post hæc, parentibus eorum, qui se junxerant Sauci seditionem concitanti, præcepit, ut filios necarent suis manibus. Patres duo fuēre, qui noluēre tam crudele exequi imperium. Hi & ipsi trucidati sunt, simul cum filiis. Nam dicere solebat, nequaquam istos citra consilia parentum defecisse ad Saucem. Nunc autem cùm fortuna utantur dubiâ, eos nutare in utramque partem. His ita expeditis, nuncium mittit ad Græcorum regem, ut filium suum plecteret, sicuti initio convenerat: qui infundens oculis ejus acetum fervidum, visum ei ademit. Talem finem isti bello imposuit Amurates.

5. Alterum pariter filium, Iohannis Palæologi, Imp. Constantinopolitani, Emanuelem, in suam potestatem redegit Amurates: sed mitiùs tractavit. Quâ de re, ita Chalcocondyles, libr. 1. Posteà cum Emanuel, regis Græcorum filius, Macedoniæ Thermam, quam Thessalonicam nominant, regens, & auxilium nactus, deprehensus esset Pherris ubi insidias struere, resque novas contra Amuratem moliri, misso Charatine potentissimo viro, & militari scientia nulli postponendo, ei præcipit, ut Thermam occuparet,

nec reverteretur, nisi adducens filium Ioannis regis vinctum. His quidem Charatines efficiendis præcipuè intentus erat. Emanuel cum præsentiret urbem non posse sustinere Charatinis vires, cùm alioqui urbis res essent comminutæ, nec quicquam boni præ se ferrent (nam contumeliosiùs illum tractabant, quàm fieri par erat, viro maximè infensi) animo agitabat quàm ocyssimè mari contendere ad partem. Pater autem misso nuncio cum edixisset, ut aliò quàm ad se diverteret, quasi eum non amplius excipere auderet Amuratis metu: statuit ire ad Amuratem, huncque suppliciis fatigare, ut sibi admissorum impunitatem concedat. Amurates cognito, filium regis ad se venire, ejus admodùm gavisus est generosâ indole. Cui cùm processisset, ut anteà consueverat, obviam, primò eum allocutus est. Deindè paulisper silentium tenentem, cùm eum reprehendisset, renidenti ore sic locutum esse accepimus: O fili regis, jure quidem convinceris, quòd regioni nostræ, anteà vestræ insidiatus sis: & quæcunque feceris, justè te fecisse compertum habeo. Nunc autem cum tibi præteritorum veniam impertiar, cave deinceps talia adversus me meumque regnum coneris. Mihi enim, & hujus rei curatori Deo, satis declarasti, te pessimum esse factum. Itaque ubi melior nunc factus fueris, etiam res Europæ sub vobis melius sunt habituræ. At ego, inquit ille, sciens Deum omnia quàm optimè agere, ad te veni tot criminibus irretitus, rogaturus veniam eorum quæ in te regnumque impiè commisi. His dictis, veniam dedit Amurates: & ad patrem suum eum remittens, jussit ut filium cum bonâ

gratiâ

gratiâ susciperet Ex quibus omnibus apparet, quo in statu tum fuerint res Græcorum; quodq; fœdera & amicitia Turcarum, infida, minusque fuerit tuta: sed eis paulatim servitutem ac subjectionem, tandem interitum totalem conciliarit.

6. At A. C. 1372. MYSIAM superiorem, quæ Servia dicitur, Amurathes ingressus; in campis Cassoviis cum Lazaro Despotâ, interfecto, feliciter confligés, bonam ejus ditionis partem subegit. Fuit verò hæc calamitas nostra, vicissim Amurathi calamitosissima. Cùm enim Martyrem se eo prælio devovisset Tyrannus; voto frustratus, cadaverum cumulos, amœnitatis ergò, perlustrat. Ibi se ex cæsorum strage, in pedes erigit Carbilovicius, Lazari Despotæ servus; indignam necem Domini facinore planè nobili ulturus. Tendit ad Amurathem semianimis, sed subindè recidens: admitti ab eo non minùs imprudenter, quàm improvidè jubetur. Carbilovicius sicam, sub manicâ occultatam, in Tyranni inguen impingit; tam atroci vulnere, ut necessitatem illi intulerit, cruentam animam evomendi. *Casp. Dornavius, de Increment. Dominatus Turcic. Leunclavius, lib. 5. Bzovius, A. C. 1390. n. 10.*

7. Sed

7. Sed aliter rem hancce narrant Turcici Annales; *fol.14.ac seq.* referuntque historiam ad A. Chr. 1390. verba addere lubet. Eodem tempore, cepit Gases Murates Chan, bellum cum Lazaro gerere. Quippè Lazarus præpotenti coacto exercitu, & jam in Cosouæ campos cum suis progressus, Murati per internuntium dici jussit, in aciem modo prodiret: adpariturum facilè, cui cessura sit victoria. Murates ex altera parte, summâ diligentiâ conscripto milite, ambos etiam filios, Baiasitem cognomine Gilderunem, & Iacupem Zelebim, eâ sibi expeditione adjunxit. Posteaquam in Cosovæ campos uterque convenisset exercitus; acri dimicatum utrimque prœlio. Ibi tum Christianus quidam, ad Muratem transfugit, cum significatione voluntatis suæ, quasi si militare deinceps ei cuperet. Igitur ad Muratem deductus, uti pro more pedes ejus oscularetur; quam sub veste abditam gestabat sicam, eâ vi Muratis in ventrem adegit: ut is tam diro vulnere confectus, exspiraret. Turcici vero proceres, hâc Sultani sui cæde conspectâ, mox consultationem instituunt; & quid hoc casu tam repentino faciundum deliberantes, in eam convenere sententiam, ut ad se Iacupem Zelebim arcesserent. Is ubi vocatus comparuisset: Age, inquiunt, tentorium paternum ingredere: Nam est, quod te vult pater. Ille nihil mali suspicatus, ingreditur: & correptus ab eis, necatur. Indè regio solio, Gilderun Baiasites impositus, omniũ suffragiis Imperator salutatur. Quibus peractis, denuo cœptum pugnari fortiter: adeò quidẽ, ut victus eo prœlio, captusque Lazarus, in conspectu Baiasitis frustulatim concisus fuerit. His rebus

bus gestis, ex eo loco discessum, & Hadrianopolim versus instituta profectio. Sed & tertiam, à superioribusque diversam narrationem, habet Leunclavius, lib. 5 Christiani, ait, auctore Lazaro Zirfiæ Despotâ, magnum coëgerunt adversus Muratem exercitum; cui suis & ipse cum copiis occurrit. Itaque commissum fuit in Cosovana planitie prœlium. Venit id temporis ad Muratem, Christianus quidam specie legati, qui septem jumenta sagmataria, nummis onerata se Murati traditurum præferebat; sed pecuniæ loco crumenas sabulo repleverat. Huic adventanti, magnus habitus est honos, missis etiam nonnullis, qui eum ad Muratem deducerent; ut illius manum oscularetur. Quum autem propiùs ad Muratem accessisset, ac jam pro more manum osculaturus esset; arreptum pugionem, quem in manica gestabat abditum, vi magnâ Muratis in ventrem adegit; & hoc ictu, nec opinantem interfecit. Indè fugâ sibi consulere conatus est, sed frustrà: quod celeriùs insequentium Turcorum manus evadere non posset. Itaque captus ab iis, & occisus fuit. Inspectis hinc jumentorum oneribus, sabulum pecuniæ loco, repererũt. Mansit etiam apud Turcos, hæc ab illo tempore consuetudo: ut quotiescumque legati ad Sultanum deducendi sunt, à capizillarorum bassis adprehendantur: tantisper eorum brachia stringentibus, donec aut Sultani manum, aut oram subluminæ vestis, manicamve, quod modo fieri solet, osculati fuerint. *Idem Leunclav. in pandect. c. 47.*

8. Habuit Amurates, Consiliarium, nomine Caratinem; qui plurimùm apud eum polleret. Extantque hujus Caratinis, plurima memoratu di-

tu digna: ut qui Amurati optima suggesserit consilia; & pleraque egregia opera in Asia Europaque facta, hujus ex industriâ provenêre. Extant viri hujus sermones quidam, memoratu dignissimi; quos cum Rege habuisse fertur: contendens cum eo super illis, quæ ad prudentiam, reique militaris scientiam, attinent. Nam eum interrogationem instituentem, dixisse memorant: Rex Amurates, quo pacto res bellicæ administrandæ sunt; ut eo, quod desideras tuis copiis effici, potiare? Regem ajunt respondisse: Si singulis occasionibus, ne aufugiant, diligenter fuero intentus; prætereà, si plurimis beneficiis militum animos mihi devinxero. Charatinem subjecisse audio: At quâ ratione occasiones non omiseris, prætereà scopum tuæ militiæ attigeris? Regem intulisse: Si animo diligenter verisimilia, quæ ad scopum spectant, pensitavérim: & in istis quæ ad scopum faciunt, non aberravero. Hinc tradunt, Charatinem in maximum effusum cachinnum, dixisse: Rex Amurates, plurimâ sapientiâ, te instructum esse cerno. At quo pacto verisimilia diligenter animo expendes, nisi præsens utraque experimentis cognoveris, quæ fieri, quæque non fieri oporteat? hæc in cõsolatione ut respuas, illa, ut maxima cura diligas. Ista ubi præcesserint, significat etiam requiri celeritatem, quæ plurimùm momenti ad res præclarè gerendas habet; ut nihil magis ducem quàm celeritatem, & indefessam curam in agẽdo & consultando sectari oporteat. Præsens esse ne negligat, ubicunque suâ præsentia opus fuerit. Talia cùm inter se conferrent sermocinantes, pronunciârunt sententias, quantum pertinere

ætate videtur ad res gerendas, nequaquam inutiles. Amurates quocunque movisset exercitus, statim metus adversariis oboriebatur. Hincque securatè loca sua muniebant. Vsus est operâ Chairinis, viri optimi, qui in omnibus quæcunque rex facere aggrediebatur, operam suam locavit indefessam, Regique maximâ necessitudine devinctus fuit. Adjutus ab isto viro, non modica fecit, quæ tendebant ad subjugandum sibi Europæ Imperium. Chalcocond. lib. 1.

9. Turcæ etiam, tum temporis, benignè Christianos tractabant. Eratque illis temporibus exiguum illud tributum, quòd à Christianis pendebatur; ac ita quidem tolerabile, nullam ut inde Christiani raperent occasionem moliendi res novas. Quippe, non tam inclementer à Turcis urgebantur, ut natas sibi segetes, aut boves suos; aut filios filiasve pignori dare, tributi solvendi causa, cogerentur. Reges ipsi Musulmanorum, qui tunc vixere, non erant gulæ dediti, nec sumtuosi. Quidquid habebant redituum, in milites erogabant: nec quid thesaurus esset, norant. Postquam vero vocatus ad Portam Chairadin Bassa, maximam cœpit auctoritatem obtinere: Talismanos quosdam sive doctores avaros regibus adjunxit, qui paullatim, & humilitati valedixerunt, & crudeles esse ceperunt: quũ apertè dicerent, eum, qui regis officio dignitateq; fungeretur, thesauris carere nullo modo posse. Quo factum, ut ipsi quoque reges illorum temporum suas istis præberent aures, & ad ipsorum monita, consilia, nutum semet accommodarent. Hinc cum avaritiâ natæ fuerunt exactiones injustæ. Nequit enim aliter fieri, quin ubi regnat avaritia,

tiæ, ibidem & injustitia locum habeat. Et nostris quidem, inquit auctor historiæ, temporibus hæc mala crevere magis, quam umquam antehac; nec dubium est, quin omnes injuriæ, omniaque maleficia, quæ passim extorsionibus hisce committuntur, ab ipsis Talismanis proficiscantur. Quippe si docti recte & innocenter se gererent, etiam vulgus ad eorum exemplum se componeret. Leunclavius. lib. 5. Adeò Barbaricæ benignitati nunquàm est fidendum.

10 Subjungere placet Elogium, Sultani Muratis, quod an fin. lib. 5. Leunclavius habet: sanè luculentum, & tanto principe dignum. Murates, inquit, non paterni dumtaxat imperii, sed etiam virtutum heres exstitit: in omnibus actionibus integer & justus, & fidei datæ servantissimus. Vt ipse probus erat, sic etiam in aliis probitatem maximi facere solebat. Abundè beneficia sua commodabat omnibus, pauperibus benè volebat, erga peregrinos erat liberalis. A lapsu proximos erigebat, invenire remedia poterat iis rebus, quæ nullum viderentur admissuræ remedium. In omnibus quæ occurrerent, bona dare consilia norat. Strenuus, magnanimus, audax erat. Ætatem suam omnem, impulsus amore numinis, pugnandis pro religione Musulmana prœliis consumsit: nec ullus unquàm Sultanus, Osmanide natus familiâ, res eas bello gessit, ad propagandam religionem Muhameticam; quas Muratam gessisse constat. Sanctum fuisse virum ex eo Muhametani colligunt; quòd aliquando cùm lamentis Hozzæ vel presbytero suo questus sit: nescire se, num ad peccatorum suorum multitudinem referre debeat, quòd incipiens ade-

adorare Deum, & ritu Musulmano digitos auribus interim precandum imerens, nisi prius ter Dei nomen celebrasset, adspicere templũ Dei Meccanum nequiret. quum is, cui dicebat hæc, Hozza, vel semel adpellato nomine divino, gratiam ejus templi videndi posset impetrare. Nimirum præ merâ simplicitate putabat, idem aliis omnibus etiam accidere, quòd sibi, dum precibus intentus esset: ut ipsis quoque templum Meccanum spectandum exhiberetur. Refertur id etiam de hoc eodem Sultano Murate, accipitrem quendam ipsius, sive falconem, aliquando in ambitu tecti Capliciani sive thermarum, quæ Muraræ sunt, alicubi consedisse; Muratemque bullito pellicere modo potuisse volucrem, uti descenderet, & ad se veniret. Quapropter imprecatum ei fuisse, confestim ut exspirans, & exarescens ibidem maneret; quod quidem illicò factum fuerit. In egenos adeò beneficus erat, ut neminem eorum ad se venientem abire vacuũ, absque donatum sineret. Venationi & aucupio mirificè delectus, ad XLCIↃ canum alebat; quorum quilibet vel aureo, vel argenteo collari ornatus erat. Eodem modo falconum quoque maximus alebatur numerus. In urbe Bursa propter Caplicen sive thermas, templum majus, (Giamam Turci dicunt) & imaretum vel xenonem, & medressen sive gymnasium litterarium struxit. Præterea religiosis; quos singulari benevolentia prosequebatur, imareta cum monasteriis & cellis ædificare solitus fuit. In opido Genischehere Quod Græce Neapolis, sive civitas nova dicitur, cuidam Babæ (sic patres adpellare Turci suâ linguâ solent, id est monachos) Postini

ſtini Poſſo, xenonem cum cellis religioſorum condidit. Conſimilia ſtruxit alias etiam in urbibus ædificia. Quoties die Veneris, hebdomadario Muſulmanorum feſto, precibus abſolutis, e majori templo egrediebatur; pecuniam in pauperes erogare ſolebat.

11. Sanè paſſim Turcici Annales (& ex iis Leunclavius, lib. 5.) referunt, non miraculosè ſolùm à Deo, Turcas (in pœnam Chriſtianorum) adjutos: ſed & eosdem auxilio Divino fretos, ſæpè contra rationem humanam, res maximas aggreſſos fuiſſe, feliciterque peregiſſe. Sicque cùm aliquandò Laſari Deſpotæ Orator, ad Sultanum dixiſſet: ô Murates, tuum quidem mihi nunc exercitum oſtendiſti: ſed ſcire debes, exercitum noſtrum decuplo ferè, tuo majorem eſſe. Nam quingenta militum nobis ſunt millia, qui omnes armis inſtructi ferreis, usq; adeò veſtris militari virtute præſtant; ut unusquisque noſtrorum, pluribus opponi Turcis poſſit. Ad hæc oratoris verba, Murates excandeſcens; Hem fœdum ſtercus, ait, hem Stygie canis exſecrande, tune tam impudenti hæc ore proloqui audeas? etiamſi totius orbis terrarum exercitus omnes, à vobis ſtarent; tamen ego divinâ fretus ope, noſtrique prophetæ Muhametis miraculis, effuſum humi ſanguinem omnium, cum pulvere terreſtri commiſcebo; formicarum inſtar vos pedibus obteram, uno complures ictu de medio tollam, ipſi denique Lazaro veſtro caput amputabo. Non multò pòſt obequitans hinc indè, cum filio Baiaſite pater; eo comite quemdam in locum editiorem ſe contulit, ut Chriſtianorum exercitum tantò commodius inſpicere de ſubli-

sublimi posset. Animadvertit hostem universum campi Cosovani planiciem, ab unâ extremitate ad alteram occupasse; nec ullam istîc superficiem terræ, propter infinitam exercitus illius multitudinem, adparere, nec ullam hasce Christianorum copias habere finem, deque se præbere ferrei cujusdam mõtis, aut sylvæ ferreæ speciem. Quippe constat, illo tempore Christianorum in castris ad quingentos fuisse teggiures, sive regulos: & hominum ad quingenta millia, tam equitum quam peditum. Neque tunc adeiai quisquam in tantis hominum copiis, qui tam numerosum vidisset exercitũ. Quapropter admiratus innumerabiles hasce Christianorum vires Sultanus Murates: Hem quantas, ait, vir exsecrabilis hominum cogere copias potuit. Licet a nobis etiam collectus sit, immensus propemodum exercitus, quo equidem nullo modo posse majorem haberi existimabam: tamen ipsemet jam fateri cogor, ab hoc nostrum non solum duntaxat, sed etiam majori numero superari. Hæc proloquutus, ferventibus animi suspiriis, divinam imploravit opem, in hanc sententiam: Supplex oro te, mi Deus, propter honorem Muhametis tui, quem nobis dedisti lucis instar perpetuæ; Musulmanis hisce tuis clementiam adsis: nec permittas, ut in me culpa necis horum conferatur. Posteaquam tacitus hoc animo suum votum Murates concepisset, exercitusque hostium multitudinem inspectans, non parum tamen admiratus: rediit ad tentorium suum, & omnes Vezires, ac Portæ suæ Begos, adesse jussit. Ubi convenissent, conjectis in Baiasitem oculis: Quid tibi videtur, inquit, ô fili, de committen-

[illegible]do cum hoc Christianorum exercitu prælio? Illi profecto copiæ sunt, nec ego tam numerosas unquam existimassem. Consultúmne putemus, ut inter se colligati cameli, ante primam nostrorum aciem collocentur, an vero præstat, ut his omissis, aperto Marte cum hostibus congrediamur? Ad ea Baiasites in hanc sententiam respondit. Equidem ingenuè fateor, cogitationes animi mei debiliores esse, quam ut adsequi mentem, ac sensum majestatis tuæ possim. Nihilo minus in re gravissima, cui penè nullum videtur inveniri posse remedium, meã dicere jussus abs te sententiam, parebo voluntati tuæ, proque mei captu ingenii, quæ ad animum acciderint, proferam. Primum verò de camelis ut dicam, sane jam compluribus ab annis adversus Gauros dimicavimus, nec tamen unquam antehac, aciei nostræ colligatos inter se camelos præstituimus, uti ne nunc quidem faciendum arbitror. Quippè licet majores etiam præsentibus Christianorum essent copiæ, tamen numinis divini benignitas & favor, nobis Islamis adest, qui concordes inter nos sumus. Quò fit, ut equidem adfirmare nullo modo dubitem, me vel solum divinæ clementiæ subnixum auxilio, meis cum copiis hosce Christianos adgressurum, prœlioque prospero debellaturum. Testatur ipsa rerum experientia, nequaquam illi deesse gratiam & opem Dei, cui Numen illud æternum, & mentis acumen ad res magnas suscipiendas, & felicitatem eximiam, ad easdem successu prospero perficiendas, tribuerit. Nos hactenus, & præsentem nobis Deum experti sumus, & ejusdem benignitate superiores in omnibus

[illegible] constituendo. Sive deinceps etiam [illegible] animo tuo conce-[illegible] præsidia [illegible] pugnandi prælii di-[illegible] Quippe si Deus nos [illegible] periculo voluerit, felices & [illegible] sin pro sacrosancta religione pugnantes [illegible] oppetierimus, Schidorum, sive [illegible] referemur. Hæc omnia [illegible] sapienter a Parasite dici & [illegible] perprofecto Murati [illegible] placuit, cui felicissima quæque pre-[illegible]. Hinc conversus ad Alim bassam. Tu [illegible] arbitraris, inquit, in hoc faciundum negotio? Num profuturos rebus nostris putas [illegible] si colligati ante aciem constituantur; [illegible] potius aliquid allaturos? Bassa [illegible] Musulmanorum, quam humani iu-[illegible], huiusmodi verbis, in senatu, [illegible] animi sententiam. Beatissime Sul-[illegible] heres unice (fortunæ filium di-[illegible] adversus Gauros pugnandum [illegible] Musulmanis, nec paucitatem eorum, [illegible] respicere debemus. cum in [illegible] præscriptum reperiam [illegible] militum manum, co-[illegible] numerosissimas superasse. Quippe o-[illegible] propitii numinis, dependet omnis [illegible] victoria, non ab hominum vel magno, [illegible] Præterea legimus in pro-[illegible] eloquiis, quotiescunque [illegible] exercitus defendendæ vel pro-[illegible] pugnet adversus Gauros, sole-[illegible] illos cœlestes, quos angelos dicimus,

 roga-

rogare Deum, ut interstitium auferre de medio velit; quo nimirum & ipsi, videre prœliantes Musulmanos adversus Christianos possint. Quare quum ipsimet angeli petant è medio, & interstitium, & impedimentum omne removeri; minimè profectò nos de aliquo decuerit interstitio vel impedimento cogitare, cujus objectu nostra dirimantur ab hostium aciebus agmina. Quippè quùm religionis propugnandæ causâ res geritur, ejusmodi nullus est usus interstitii. Constat etiam, vatis hoc nostri verbum esse, quo futurum prædixerit; ut cuicunque pro religione dimicanti, nares oppletæ pulvere fuerint, minimè metuendum sit, ne fumum & fœtorem inferorum sentire cogatur. Quoties denique cultus divini veritas, propagari pugnādo debet; omnis duntaxat in Deum altissimum collocanda fiducia est. Infinitæ meritò à nobis agendæ Deo gratiæ, qui per omnem ætatem nostram suo nos præsidio nunquam destitutos esse voluit, & victorias de hostibus illustres nobis tribuit: porroque sperandum indubitatò, nos ejusdem ope Dei, nunc etiam victoriâ potituros. Absit à clementia supremi numinis, ut in his Gaurorum regionibus Europæis, tot milites fortissimos ad internecionem deleri, tot Musulmanorum familias exstirpari radicitùs patiatur. Expositas hasce rationes à suis, magnoperè Sultanus Murates probavit, & in consultatione institutâ pergens: Quum intellexerimus, ait, hoc de camelis consilium periculo nō carere; saltim videamus, an non præstiterit, in fronte aciei, tam dextræ, quàm sinistræ, sagittarios collocari; qui nubem quasi quandam sagittarum, in hostes excutiant, & im-

& immittant: ut reliqui deindè milites nostri, religionis veræ propugnatores, altâ voce Masulmanicum illud, Alla Egbir ingeminantes, in Gauros hostes irruant; ac vel decus aliquod, amplius cum spoliis referant; vel adeundis saltim periculis insignia bellicæ documenta virtutis edant. Me sanè quod attinet, equidem in hac vitâ meâ, quàm longævos ad annos produxi, multa pro religione pugnavi prœlia; nec aliud opto; nisi tandem ut moriens, Sehidorum sive martyrum accenseri numero merear, & illustri cum famâ nominis, ex hoc mundo decedam. Quippe cùm ceteroquî mors nobis obeunda sit, & persolvendum necessariò naturæ debitum; cur nosmet excruciemus? cur animam profundere cum gloriâ reformidemus? Hoc modo cōfirmatis suorum animis, quosdam exploratores speculatum emisit, quid rerum apud hostes gereretur; alios pro castris excubare jussit, ut tuta præstarent omnia: quò factum, ut eâ nocte summum in ipsius castris silentium, summa securitas esset. Adpetente verò nocte, nubilum esse cœlum & ingens oriri caligo cepit, tanta cum pulveris per aera dispersi abundantiâ; vix ut equus ab homine dignosci posset. Murates autem Cvus, humi prostratus, implorare numinis opē, precibus humillimis non dubitavit, in hæc propemodum verba conceptis: Mi Deus, qui toties acceptâsti preces meas, nec unquam hactenus me deseruisti, benignas etiam nunc aures mihi præbe; proque misericordiâ tuâ, prorsus immensâ, pluviam nobis largire, quæ pulveris hujus molestissimi vim restinguat; aera lucidū effice, collustratis hisce tenebris, & caligine pul-

sâ: quo Gaurorum copias, absque impedimento possimus intueri, & in eos defigere vultus inter præliandum adversos. Tu regum rex es, intimosque sensus, & secreta cordis mei perspicis. Regna jam cum magnis opibus adquirere non desidero, neque mancipiorum sexus utriusque causâ me huic contuli. Duntaxat hoc unicum specto, res ut tibi gratas & acceptas geram; & tuâ frui erga me benevolentiâ possim. Si quid expiandum est in hoc exercitu nostro, meum pro his tibi caput devoveo; meipsum victimæ loco tibi pro tot Musulmanis offero. Saltem hoc unum abs te impetrem, ne religiosos hosce numinis tui cultores, à Gauris strage perimi tristissimâ patiaris, neve me causam mactatæ tam numerosæ multitudinis hominum perhiberi velis. Da Musulmanis tuis victoriam, pro quibus unicam hanc meam paratus sum animam profundere. Ne permiseris, ut oculis ipse meis, horum intueri cogar interitum. Fac quæso, tuus ut hodiè conviva fieri merear, in præsentiâ tuâ, meamque benignus animam loco tot animarũ, Musulmanæ religioni addictarum, suscipe. Veri me cultus propugnatorem hactenùs esse voluisti. Nihil nunc amplius optandum mihi restat, quam ut morte pro gloriâ tuâ feliciter obitâ, Sehidorum martyrumque tuorum numero tamdem adgreger. Dum aperto capite Murates, vultu ad terram prostrato, porrectis ad cœlum manibus, has preces adhùc diceret: cœlum nubibus obductum fuit, & imbris humore rigato solo, pulveris ingens illa vis restincta. Deindè nubes hæ caliginosæ, relicto Musulmanorum exercitu, supra Gauros migrarunt. Hæc dum scribo, succurrit

auctor mihi, quod de Evarice Arriano, refert Sidonius Apollinaris, *lib. 7. epist. 6.* Evarix rex Gothorum, quod limitem regni ſui, rupto diſſolutoque fœdere antiquo, vel tutatur armorum jure, vel promovet: nec nobis peccatoribus hic accuſare, nec vobis ſanctis hic diſcutere permiſſum eſt. Quin potius ſi requiras, ordinis res eſt; ut & dives hic purpurá byſſoque veletur, & Lazarus hic ulceribus & paupertate feriatur. Ordinis res eſt, ut dum in hâc allegoricâ verſamur Aegypto, Pharao incedat cum diademate, Iſraelita cum cophino. Ordinis res eſt, ut dum in hâc figuratæ Babylonis fornace decoquimur; nos cum Ieremia ſpiritualem Ieruſalem ſuſpirioſis plangamus ululatibus: & Aſſur faſtu regio tonans ſanctorum ſancta proculcet. Quibus præſentium ego, futurarumque beatitudinum viciſſitudinibus inſpectis, communia patientius incommoda fero. Primùm, quòd mihi quæ merear introſpiciens, quæcumque adverſa provenerint, leviora reputabuntur. dein quòd certum ſcio, maximũ eſſe remedium interioris hominis, ſi in hâc areâ mundi, variis paſſionum flagellis trituretur exterior. Sed quod fatendum eſt, præfatum regẽ Gothorum, quamquam ſit ob virium merita terribilis, non tam Romanis mœnibus, quam legibus Chriſtianis inſidiaturum paveſco. Tantùm, ut ferunt, ori, tantùm pectori ſuo catholici mentio nominis acet, ut ambigas, amplius ne ſuæ gentis, an ſuæ ſectę teneat principatum. Ad hoc, armis potens, acer animis, alacer annis, hunc ſolum patitur errorem, quòd putat ſibi tractatuum conſiliorumque ſucceſſum tribui pro religio-

ligione legitima, quem potius assequitur pro felicitate terrena.

Amurathes, Orchani succedit; & ex Christianorum dissidiis captatâ occasione, Imperium suum mirè auget. 1.
Ianizarorum origo, & etymon. 2.
Græci Turcorum amici, & etiam Stipendiarii facti. 3.
Imp. Constantinopolitani, & Amurathis filius; uterq; contra patrem bellum movet: & oculis ab ipsismet suis parentibus privantur. 4.
Græcorum Impp. primò Turcorum amici, & fæderati; post clientes & subditi eorundem sunt facti: usque dùm à patronis talibus, in nefandam servitutem Græcia universa redigeretur. 5.
Amurathes occiditur à servo Despota Lazari; in vindictam Domini sui, ab Amurathe trucidati. 6. 7.
Amurathis, cum quodam suo Consiliario, de ratione belli gerendi optimâ, discursus prudentissimus. 8.
Turci ab initio devictos Christianos benigne tractârunt. 9.
Barbaricæ benignitati, nunquam est fidendum. 9.
Elogium egregium Muratis. 10.
Murates & Turci, miraculosum auxilium Dei, sæpè senserunt; & etiam Manum Divinam ipsis assistentem agnovere. 11.
Miraculosa felicitas, non semper veræ Religionis iudicium. 11.

IV. *Bajazeth.*

ANno Christi 1383. Bajazeth, (Wilderim Cham, seu Cœli fulgur cognominatus) Patris victorias persequens, Bulgariam domuit; Ungariam terribilibus excussionibus exspoliavit: tantoque impetu, Græcos & Hungaros terruit, ut Gallica ac Germanica auxilia implorare cogerentur. Sed ad Nicopolin nostri, Anno

1395.

1395 funestam cladem acceperunt; & Sigismundus Rex Hungariæ, pòst Imperator, castris exutus, omnibusque spoliatus armis, vix evasit. Indè Bajazethes Thraciam, Mysiam, Dardaniam & Macedoniam depopulatus; Constantinopolim quàm diutissimè obsedit: ac etiam expugnásset, nisi Tamerlanem Scytham, latronem primùm, deindè Persiæ, Armeniæ, Syriæ & Babylonis Regem, Manuel Palæologus undique pressus, implorásset: qui cum 100. myriadibus equitum, ac peditum, torrentis instar, ex Parthia per Armeniam effusus; cum Bajazethe, trecenta equitum millia, & bis centena peditum millia educente, Anno 1397: (aut ut Leunclavius *in Pandect. n. 65. ad fin.* putat; A. C. 1399. vel 1400.) acie congressus; viginti quidem myriadas amisit; sed Turcorum supra 140000 trucidavit: ipsumque Bajazethem captum caveâ ferreâ circumduxit.

Quòd Bajasiti datum fuit cognomen Gilderum, sive Gilderun, significationem fulminis habet: perindè ac de priscis illis regibus, Alexandri successoribus, quidam Cerauni, sive fulminis cognomen habuit; eâdem ex causâ celeritatis, & impetus in bellis gerendis subiti, Lælapis appellatio, quam ei quidam ex Laonico tribuũt,

significati alterius est. Sic enim turbinem Græci vocant, Et Baiasites, quum vehementioris esset ingenii; facilè turbini adsimulabatur, ut idem Laonicus inquit.

3. Bajasit, postquam ad regnum pervenit: Duces præcipui diversas in partes, ad occupandas Zirforum regiones, arces & urbes, ab eo missi fuerunt. Baiasites suo cum exercitu Cratovam adiit, eamque magnis oppugnatam viribus, ad eam denique necessitatem redegit, ut qui erant in illâ Christiani, certis se, cum civitate, conditionibus & pactis, præsertim liberi discessus, dederent. Quâ deditionis utrimque probatâ lege, relictis aris & focis Cratovani; cum suis alia quæsituri loca prodierunt, in quibus domicilium sibi constituerent, à Turcorum vi liberum. Sed vix egressi Cratovâ fuerant, quum Baiasites eos in frusta secari & interfici jussit. Erat illi morio sive scurra quidam gratissimus, qui mox hero compellato: Tu quidem, inquit, ô Sultane, Cratovanis hisce, qui se tibi dediderunt, incolumitatem vitæ pollicitus es. Cur ergo non stas promissis? Respondens Baiasites: Quid ais, inquit ô bellua? Tune quenquam illorum vidisti mecum colloquentem? Negante scurrâ, se quid tale vidisse: Si mecum subjecit Gilderum Baiasites, collocuti nō sunt, quonam modo dici possum, quidquam eis promisisse? Tum alter ille: Tametsi tecum, ait, collocuti nō sunt: cum Vezire tamen, sive consiliario tuo, de urbe suâ bonis conditionibus dedēdâ pacti sunt: isque tuo nomine, singulis incolumitatem promisit. Ergo, respondit Baiasites, si consiliarius meus aliquid eis est pollicitus: præstet sanè,

quod

quod promisit. Equidem nihil horum me facturum recepi, nec obligor ad præstandum, cujus ipse nomine fidem meam nō interposui. Sic & Anno sequenti, Vidynam cum copiis profectus, & oppugnavit urbem; & in eas rerum conjecit difficultates, ut etiam Vidynenses ad paciscendum adacti, Turcorum Sultano se dederent: hac conditione, liber ut eis à Baiasite discessus, absque ullo damno & injuriâ, permitteretur; quod quidem ille facturum se recepit. Ideoque Christiani, nihil sibi metuendum mali, à Turcis existimantes, castellum ex pacto tradiderunt. Dimisit eos bonâ cum pace Baiasites; sed mox Ferisem begum (nonnullis Firôses adpellatur) hos insequi jussit, ac periculum facere; num adhuc posset ad eos pervenire? Nam si Vidynenses adsecutus esset, omnes præcepit interfici. Paruit heri mandato Ferises begus, & in itinere deprehensos, in frusta dissecuit. Tum rursus ille [illegible]nnio, re intellectâ, Baiasitem adiit; & colloquium exorsus: Non tu, inquit; ô domine, tuomet ore cum eis hâc egisti vice, fidemque liberi discessus nomine dedisti? Quid ais, respondit Baiasites, à me promissum, quod non præstiterim? Pollicitus es, ait alter, liberam eis abeundi potestatem, nec te permissurum dixisti, ut interficerentur. Sed ecce, Ferises begus, à tergo discedentes insecutus, universos occidit. Ad ea Baiasites: Hanccine culpam in me conferes? Promisi equidem, non inficias eo, me permissurum, ut secuti, desertâ Vidyna, quò velint, se conferant; nec quenquam ex eis interfecturum. Promisso item, abitum concessi liberum, nemi[illegible] supplicium mortis intuli. Si Ferises begus eos adortus, ad

internecionem delevit, quid hoc ad me? peccati sui pœnas ipse luat. Tum morio: Sed enim, ait, si Ferises eos, contra voluntatem & sententiam animi tui trucidavit, omnino castigandus est. Baiasites viciſſim respondens: Cur velis, inquit, hunc à me necari Musulmanũ, & amicum; Gaurorum causâ, qui nobis inimici sunt? Nequit hoc ullo modo fieri, quandò ne lege quidem nostrâ reperitur usquam præceptum, ut fiat.

4. Miserrimus tum fuit Imperii Constantinopolitani status. Quod vel ex Chalcocondyle lib. 2. apparet; dum ita scribit. Paiazites Amuratis filius, habens secum Græcorum reges, qui ad id eum usque incitabant, arma contra Philadelphiam urbem Græcam, vibravit. Contendentibus namque inter sè Byzantii regibus, petebat rex Paiazites sibi dari Philadelphiam. Qui se id facturos promiserunt. Cum autem Emanuel misisset præconem, qui nunciaret Philadelphiæ civibus, ut se urbemque dederent Paiaziti, acciperentque cùm judicem, tum præfectum Turcum: responderunt, se neutiquam paratos esse, ut semetipsos proderent barbaro. Quo responso irritatus Paiazites, urbem exercitibus circumsedit, ducens secum in bellum Græcorum reges; qui ibidem virtutis præmia sunt consequuti. Primi etenim conscendentes murum, urbem cepêre. Et in hũc modum capta est Philadelphia, urbs Lydiæ Græca, legibus optimis quæ fuit fundata. Sicque Barbarica amicitia, ipsos Græcos enervavit, & in sua viscera sævire fecit. Quin & ipsam Constantinopolim, Bajazethes obsedit, eamque Christiani Occidentales, posteà ad Nicopolim profligati, frustra liberare sunt conati. Quâ de re ita

re ita Annalium Turcicorum auctor. Secundum hæc, Constantinum (ita Turcæ, omnes Constantinopoleos Imperatores vocant) bello adgressus est; cui dum ipse totus incumbit, Rex Vngarorum cum exercitu ad Nigebolim accessit. Eo Barasites cognito, solutâ Constantinopolis obsidione, rectà Nigebolim suos duxit. Ad hostem ubi perventum fuisset, multoties levibus prœliis atque etiam acie nonnunquam justa dimicatum inter utrosque. Tandem nocturna impressione Christianos adortus, adeo repentino & inopinato impetu exterruit: ut eorum pleriq; in Danubium præcipitare se cogerentur, & in ipso flumine magno numero submersi perirent: reliqui fœdam semet in fugam conjicerent. Factum hoc anno DCCXCIIII. (hoc est A.C. 1393.) Hoc bello confecto, rursùs in Constantinum arma convertit. Sed composita pax fuit, eâ conditione: ut intra Constantinopolis mœnia, Gilderunis Chanis subditi, jus haberent vicum unũ inhabitandi. Exstructum etiam tum fuit, in medio vici templum sive meschita prætorque datus, qui jus eis ex lege Musulmaná diceret. Deinceps tamen, quum Temurlengus superatũ prœlio Barasitem in suam potestatem redegisset, & caveâ clausum teneret: arreptâ Imp. Constantinopolitanus, occasione tam optatá, populum totius vici Turcicum mox urbe vix expulit, & meschitam destruxit. *Leunclav. lib. 5. fol. 323. &c.* Causam autem Cõstantinopoleos obsidionis, Chalcocondyles prodit, lib. 2. ubi Ait. Byzantium, urbemque tali de causâ obsidione cinxit. Græcorum reges concesserant in potestatem Baiazitis: perinde in Ianuis degebant quotannis militan-

res sub Baiazite, quocumque vim belli vertisset Paiazites, cùm quondam foret Pherris Macedoniæ, ibique moras traheret, Græcorum rex, Spartæ dux, Constantinus Nazarei filius, Stephanusque Eleazari filius, profecti sunt in Ianuas. Ibi tum ad regem Baiazitem venit Mamonas ab Peloponneso, qui quondam Imperio rexerat Epidamnum; accusabatque Græcorum, regis fratrem, ut qui sibi Epidamnum eripuisset, & injuriis plurimis se obruisset. Paiazites indignatione inflammabatur, contra Græcorum regem. Indignationem hanc regis, augebat instigando Ioannes Andronici regis filius; qui præstò erat, & victum apud Paiazitem habebat. Ferunt regem conatum eum interficere, cùm colloqueretur secum. Verùm cunctatus est. Nec tamē multo pòst, illum interemit Halies, Charatinis filius, qui ei admodùm familiaris erat multísque opibus ab eo donatus. Convenientes igitur in unum duces illi, cùm eâ tempestate in Ianuis agerent, consilium inibant non ampliùs redeundi in Ianuas. Constantinus Zarci filius, Dragas, isque frater, scientiâ militari facilè omnes excellebat; nec ulli prudentiâ credebatur tum temporis secundus. Is bello adortus Albanos & Triballos hostes, in ditionem accepit, regionem haud pœnitendam. Quo mortuo, Constantinus frater regionem obtinuit, Ianuasque frequentare coactus est. Hic promittit Græcorum regi, filiam se desponsurum, si rata manserint ea quæ super defectione convenerint. Duxerat iste Emanuel jam antè regis Colchorum (qui & Trapezuntis Imperator) filiam viduam; quæ fuerat Zetinis Turcorum cujusdam ducis uxor, formâ

supra

supra modum venusta. Quam cùm Byzantium à Colchide adduxisset, videns eam pater formâ præditam excellenti, nec non aliis excellere, quæ in muliere dicuntur, non dubitavit eam auferre filio, sibique connubio jungere. Erat autem is adeo afflictus podagrâ, ut ne quidem erectus stare potuerit. Ferũt hunc insanientem amore muliebri, plurima indecora cõmisisse: delectatumque Psaltriis, harumque consuetudine delinitũ, curam decenter administrandi regni negligenter omisisse. Postquàm nuptiæ, ut convenerat, intercessere, duces ad defectionem adspirantes, cùm singuli, quantùm possent, ad suam regionẽ dilaberentur. Rex Græcorum fugiens Turcorum regem, quarto die à Pherris Byzantium (ut perhibent) pervenit. Theodorus hujus frater, venit in Peloponnesum. Reliqui quoque, impetrato à rege commeatu, ad sua redierunt. Appetente deinde æstate, Byzantii rex cùm se non conferret in Ianuas, nunciareturque Pajaziti, ipsum nunquàm deinceps ad Ianuas affuturum, decrevit mittere Byzantium Haliem Charatinis filium, cui plurimum fidebat. Huic præcepit, ut juberet Græcorum regem venire in Ianuas: si renueret, renuenti, illico bellum indiceret. Halies autem, cùm appulisset Byzantium, publicè quæ ferebat mandata, regi exponit: privatim verò regi consuluit in colloquium admissus, ne Ianuas adiret. Emanuel respondit, se imperata promptissime facturum, sibi enim vitam non amplius suavem fore, si offendisset regem: se brevi in Ianuas, juxta præceptum regis, adventurum. Deinde abeunte Halie, cùm jam constaret eum nequaquàm reversurum in Ianuas, ar-

ma adversus eum arripuit; Byzantiumque oppugnavit. Cùm exercitu pergeret, terram eorum singulasque regiones, gravissimâ vastitate afflixit; suburbanaque omnia diripuit. Urbis oppugnatio, cùm parùm succederet, reversus est domum: singulisque annis mittebat exercitus, peragebatque longam illam obsidionem; quæ decennio duravit. Hæc obsidio plurimùm damni Byzantiis invexit; plurimi namque fame necati sunt, plurimi quoque desciverunt ad barbarum.

5. Nusquàm quidem, nostris in historiis legitur: Baiasitem cum obsessis Constantinopoli toto vel octennio, vel decennio, Græcis principibus pacem fecisse: minùs etiam, quòd suprà, ex Turcicis Annalibus relatâ conditione, de recipiendis in urbem Turcis, ea pax facta fuerit, sed urbe iamiam periturâ, nec opinatum supervenisse tradunt auxilium, movente contra Baiasitem maximis cum copiis Temire Chane Tartarorum. At verò, quum apud Laonicum legatur, ingratum erga patrum filium Andronicum, dum à Baiasite regno præfici cuperet, eiecto patre Caloioanne, cum Manuele filio regni consorte, verbis inter alia talibus usum. Habebo in urbe judicem sive præfectum Turcum; non absimile verò fuit, adigente Baiasite Græcos ad tremam desperationem, tandem eorum imperatores, Caloioannem & Manuelem, in id etiam adsensos; quod ultrò de Turcis in urbem admittendis Andronicus obtulerat. Cur enim habiturum se judicem Turcum promittebat, si nulli erant in urbe domicilium habituri Turci, quibus ille Cadius sive judex, in occurrentibus contro-

controversiis jus diceret? *Leunclav. Pandect. cap. 52.* Constat sanè, à Turcis adpellatos Teggiures, Græcorum tam in urbibus, quam provinciis, præsides. Hocque nomen, Turci, etiam Græcorum Imperatoribus tribuerunt, ex alia nulla factum est causa, quàm irrisionis & contemtus: quasi scilicet Imperatorum nomine digni non essent, qui peranguftis inclusi finibus, ipsiusque propemodum Constantinopoleos mœnibus circumscripti, præsides urbis potius, quàm Augusti Romanorum Imperii reges dici mererentur. Laonici locus est in historiæ principio; quo paucis exponit, quàm in artum redacti tandem fuerint Imperii Græci limites. Animadverti Græcos, inquit, & regnum eorum primò sub Thracibus exstitisse. Posteà reliquo regno à barbaris exutos, parvum quoddam regnum gubernasse: videlicet Byzantium, Byzantiique maritimam regionem inferiorem, Heracleam usque: ac juxta Ponti Euxini maritimam regionem, superiorem, Mesembriam usque: præterea Peloponnesum totam, extra tres aut quatuor urbes Venetorum. Ad hæc, Lemnum & Imbrum, & insulas ibidem in Aegæo sitas. Hactenus Laonicus. Baiasitis vero tempore, ceteris exuti, cum ipsis etiam suburbanis agris, vix intra muros urbis se tuebātur. Propterea per ignominiam Teggiures audiebant. *Leunclav. in Pandect. cap 56.*

6. Cladem autem Nicopolitanam, cujus suprà facta est mentio, ita describit (ex aliis) Bzovius. A. C. 1393. num. 8. Itali à Bonifacio 9. P. M. excitati, eductâ classe triremium, portus & oras Europææ Romuliæ maritimas sunt depopulati, magnaque locis illis omnibus intulere detrimenta.

menta. Gallorum etiam intervenerat robur, submissum à Carolo Rege. Ergò Baiasites, facto quodam adversus Italos belli principio, ratus illos esse operâ, non tantùm Manuelis, sed etiam Sigismundi Regis Hungariæ excitatos, bellum Vngaris inferendum statuit, & ipsam armis invadendam Vngariam. Hujus rei perficiendæ causâ, jam iter ingressus, exploratorem Constantinopolitanum, à suis captum intellexit; apud quem reperta fuisset epistola, quæ ipsi oblata Baiaseti, paucis ab Imperatore Græco verbis ad Regem Hungariæ, propemodùm in hanc erat perscripta sententiam; Cur otiosus es, ô Rex, quidve cunctaris? En Turcus bello te petiturus accedit. Fac ergo, te paratum & instructum, rebus ab omnibus inveniat: quin & ipse veritatem rei fassus Explorator, jam ante missum fuisse dixit alium ab Imperatore, monendi causâ Regis, exploratorem. Ibi aliquis Beglerbegus, Imperatorem Cõstantinopolitanum, cùm vafrum, malitiosum & infidum dixisset, eumque primùm è medio tollendum: Constantinopolimque inprimis petendam suasisset, Baiasitem impulit, ut terrâ marique urbem maximis viribus, quamquàm frustrà oppugnârit. Solutâ obsidione, cùm expugnandæ urbi nullam rationem in præsens inveniret, intellexit Sigismundum Regem, Danubium insigni cum exercitu, in quo essent hominum ad C.XXX. millia, è Valachia transmisisse: militumque coronâ, Nicopolim obsidere cœpisse. Advenerant Italorum, Burgundionum, Gallorumq; auxilia, quæ Orthodoxæ fidei charitate commotâ, gratis hæc sacra stipendia faciebant. Multi è Belgis ac Celtis, eminentioris fortunæ

runt viri, nonnulli quoque Reguli confluxerunt, quorum insignia Budæ in Divi Nicolai ædem ... affixa, expeditionis huius præstantiam testabantur. Calend. Octobris, maiorem Nicopolim, quam Hadriani esse volunt, non aliam minorem, quæ ab altera Istri ripâ Traiani esse dicitur: castris circumdedit. Eam donec expugnaret, nunquàm aliò stativa movere decreverat. Baiasites, audito ingenti Christianorum apparatu, ne Europâ eiiceretur, universam quoque Turcorum rempublicam, ad arma excitavit, cumque maximo equitatu, ac innumerâ peditum multitudine, in Nicopolitanum agrum, his occurrit. Vrbs acri obsidione circumvallata, ac ingenti præsidio tuta, haud impigrè obsistebat: erumpebant sæpius ex illâ Turcæ, ac variâ fortunâ potiti, redibant. Irritabantur in dies ad pugnam utrimque animi, sed appropinquante Turcorum exercitu, eò vires convertere animus erat. Relictâ legione cum nonnullis turmis equitum, quæ cives eruptione prohiberet; cæteri omnes in Turcos, qui jamdudum in conspectum venerant, sese vertere. Quum collatis signis dimicandum esset; Galli instantissimè à Sigismundo petiere, ut primæ pugnæ partes sibi concederentur. Id laudis divinæve charitatis ardore, cuncta Gallorum agmina exposcebant. Concessum id facilè. Mox in castrorum conspectum cum Turcus instructâ acie obversaretur, nōdum instructa Vngarorum acie, neque dato signo, Galli elato clamore, in hostē è castris prodiêre. Concitatis equis in certamen descendentes, inauspicatò pugnam conseruère. Vbi ad cōgressum perventum est, Gallico more equis relictis,

lictis, pedestres hostem incessere, equi dimissi, inito prælio, ingentem confusionem pugnatorum concivêre. Turcis nihil antiquiùs contingere potuit, quàm ut ab equo cum pedite dimicarent. Itaque ab expedito hostium equitatu, circumventi Galli obteruntur, miserrimeque cæduntur. Dum enim hastâ aut securi Turcum ferire studerent, incursu recursuque hostili defatigabantur, deludebanturque: dumque audaciæ pœniteret, à lateribus modò adversi aversique, telorum imbribus, aut falcatis ensibus, lanceisque obruebantur. Subsidii spe firmati, ad necem usque dimicabant; illa tamen frustrati, inter pugnandum occumbebant. Nam equi quos dimiserant, in castra revertentes, Vngarorum absterruêre animos: quippè qui hujusce moris ignari, sociorum cædem secutam suspicantes, infœlici Gàllorum casu territi diffugerunt; tantâ trepidatione, ut Sigismundus exutus castris, & omnibus spoliatus armis, vix evaserit ex hostiũ manibus: quique paulò antè cœli ruinam non metuendam esse dixerat, in manus Turcorum pervenisset, nisi parvâ cymbâ, Danubium trajecisset; Xerxis profectò fatum nactus, qui contempto maris imperio, parvo navigio in Asiam relàtus est. An hoc prœlio viginti millia Christianorum cecidêre, ex Turcis sexaginta millia desiderata. Trajecto Danubio, reformidato Vngarorum impetu ob rem malè gestam, in Thraciam Constantinopolim Rex effugit; hinc classe Venetâ navigavit Rhodum, & Ægæum Ioniumque mare emensus in Dalmatiam, lustrataque Dalmatiæ orâ, in Croatiam, atque inde in Regiam se recepit. Carolus Galliarum Rex. V I. ad

ad quem etiam Imperator Constantinopolitanus, rebus suis diffisus pro implorandis auxiliis navigaverat; cum periculi magnitudinem intellexisset, Comitem Nivernensem patruelem, qui posteà Burgundiæ principatum cōsequutus est, cum equitatu exquisito in Pannoniam miserat, ut Sigismundo Regi in communes hostes arma paranti coniungeretur. Sequutæ fuerant eum lectissimæ equitum cataphractorum turmæ; quas præter præcipuos Galliæ Principes, multi præstantes viri ex proceribus Suevicis, Bavaricis, & Austriacis auxerunt. Ioannes Comes Nivernensis, cum aliis trecentis Gallorum nobilibus captus fuit; qui cùm insignibus armis decori essent, omni protinus ornatu à Turcis spoliati, lacerisque & situ obsitis vestibus induti fuêre. Bajasites Ioannem accersitum, cùm ob vestiū sordes irrisisset, de captivorum conditione interrogavit; eique supplici vitam donavit: his cum verbis allocutus. Etsi tam legibus nostris Mahumeticis, quàm ingenio meo adversum est, ulli Christianorum parcere; attamen & ætati tuæ juvenili, & sanguini Regio hâc vice parcam; & ob hanc unicam causam, modò te vitâ tuâ dono, tum etiam ex captivorum cœtu, quinque alios in tui gratiam, eâdem donatos veniâ, à metu mortis vindicabo. Volo itaque; ut quinque statim, quorum vitę parcatur nomines. Quo facto, reliqui omnes miserando spectaculo, præsente & aspectante Comite Nivernense, & quinque iis, quos tyranni gratia lanienæ isti exemerat, trucidati, & in frustra concisi fuêre. Ioannes cū quinque captivis, Prussam abductus, ibique custoditus fuit; donec CC. aureorum millibus se redi-

redimerent: pecuniam Mitylenarum principe solvente. *Adde Bonfin. rer. Hungaricar. lib. 2. dec. 3. Paul. Æmil. hist. Francic. fol. m. 318. Ioh. Froiss. vo 4. cap. 67. & seqq. Chalcocond lib. 2.* Pugnam hancce, Cometa præcessit, comâ & radiis sursum erectus; capite deorsum pendulo: qualem ex cæteris pessimum Astronomi dixerunt. Commissa etiam pugnâ est eo die, qui fuit natalis Wenceslao Imperatori. *Casp. Dornavius, de increm. Domina. Turcici. sub A.C. 1395.* At de numero occisorum, dissentiunt planè Turcici Annales, & ex iis Ioh. Leunclav. *hist. Musulm. lib. 6.* ita scribit. Tantâ quidem collocupletati spoliorū copiâ fuêre Musulmani, nullius ut hominis oratione res satis exponi possit. Et constat, rogatum aliquando Caratemurtasis filium, ut res hoc prælio gestas, prolixè commemoraret; quandoquidem iis ipse, quùm gererentur, interfuisset; respondisse paucis, suos duntaxat homines eâ pugnâ cepisse duo millia mancipiorum, & ampliùs. Ad summam, nullus in exercitu tam Europæo, quam Anatolico, repertus fuit miles, qui non mancipium aliquod nactus esset. Vsque adeo fructuosa Turcis hæc victoria fuit.

7. Nunc de Temurchan, à quo debellatus fuit Bajaset, aliquid addam. Hunc nostri non rectè Tamerlanem, & Tamburlanem, Græci Temirem, vocant: is enim à Turcis plerumque Temir, vel Temur Chan, quod regiæ dignitatis est nomen, dici solet: ac si nominaretur Hispanorum more, Don Temir. Significat autem vox Temir, sive Temur, ferrum: id est, gladium. Tatari, propter successus rerum prosperrimos, Temir Cultu cognominarunt; hoc est, ferrum seu gla-

gladium felicem. Nonnunquàm tamen, Temir Lanc appellatur; quod Temirem claudum significat. Quippe claudicabat, ut ipsemet confitetur in primo cum Baiasite capto congressu & colloquio. *Leun. lat. in Pand. cap. 45.* Fuit porrò, is filius Sangalis, viri privatam vitam agentis. Temires autem, cùm esset adultus, iamque per ætatem isti officio idoneus foret, oppidanorum equorum curam nactus est. Tandem in colloquium veniens, cum reliquis istius regionis pastoribus, effecit, ut inter se conjurarent, se velle furtis colligere opes, & deindè ad aliam confugere regionem. Temires cùm furandi fo-ret peritissimus, plurimos equos, & jumentorum oviumque multitudinem immensam, nactus est: nil quicquàm integri & sacri aut sani, in isto homine erat. Ferunt, eum quondam, ut pecoris stabulum intrare posset, conscendisse [illegible], animadversoque, se esse visum à pa-[illegible]ilios, desiliisse in terram (solent enim homines in ista regione, jumenta & pecora mu-[illegible]undare altissimis, quæ difficulter ascendi possint) quo casu fregisse crus, & hinc claudicationem contraxisse. Nec desunt qui perhident, cum fortiter pugnam cientem, vulnere in pede accepto, claudicare cœpisse. Prœlio autem facto cum finitimis, profecti sunt pastores, qui ab [illegible] convenerant, duce Temire, contra hostes, rapientes quæcunque casus obtulisset. Visum [illegible]per iis fuit, ut caperent locum latrociniis & furtis commodum, in quem quasi in munimentum tutissimum sese reciperent. Hincque profectus Temires, latrocinando crudeliter grassatus est, inter prætereuntes, nulli parcere statuens.

Cor-

Corradens item magnam pecuniæ vim ex istiusmodi latrociniis, alios viros duos in societatē pellexit, Chaidarem & Myrxem: quos Massagetas fuisse accepimus. Quibus Temires adjutus, irruit in hostes, regionem deprædantes; eos fugavit, hostiū equitatum universum perimens. Fama hujus, ut in urbem delata est, cives non modicam manum ei tradiderunt; addentes etiā pecuniam, quâ militum animos conciliare posset. Deindè in hunc modum instructus, suos confirmans & incitans, in hostium regione versatus est; mancipia & jumenta plurima mittens in urbem, quæ hosti extorserat. Rex Massagetarum, exploratâ viri virtute, cum in maximo honore habuit. Nam Imperatorem declaravit, universosque suos exercitus ei commisit; qui acceptis copiis regis, mirabili celeritate usus est in devincendis hostibus: subitò in eos irruens atque temporis momento omnes perdens. Temires, ubi ad manus ventum erat, hostes terga vertere coegit: ipseque fugientes insecutus, compulit in Babylonem Pogdatim nuncupatam; quam obsidione cingens, dominum suum regem accersivit. Dehinc tempore modicò interjecto, rex mortuus est; ejusque uxorem viduam connubio sibi junxit Temires, regnique regimen sortitus est. Cùm autem jam pro rege se gereret, Pogdatim & Semarchandam oppugnavit. Nec multò pòst, cum oppidani in militum stationes excurrerent, nec vincerent, verùm vincerentur: reversi in urbem gravissimâ obsidione affligebantur. Quam cùm tolerare ampliùs non possent, pactionibus intercedentibus, se Temiri dediderūt. Cum in potestatem venisset Semarchanda, proditio-

tionis consilia iniit cum iis qui erant Babylo-
: usus ad eam rem ministro Chaidare Myrxes
r extitit æqui studiosissimus: adhortabatur-
ne Temirem, ut iram supprimeret, nec ad rem
onferre pararet, quæ ipsa dictaret. Non ipsi cō-
cupire imperium Babylonis. Hinc etiam Temi-
em edocuit Syssitiorum rationem. Nam uni-
versum suum exercitum secernens Temires, in
decumas & manipulos & cohortes, jubebat de-
curionem præbentem suis alimenta, continuò,
quandocunque usus postularet, præstò esse cum
suis militibus, eosque manipulorum duci tra-
dere. Hos præterea volebat, ubi additi fuissent
manipulorum duci, suo parêre singulos ducto-
ri. Cùm venissent in Syssitia, nullus erat cui non
esset locus designatus. Cibum mercari jussit in
reliquum exercitum: juxta ea quæ communi cō-
sensu decreta fuerant. Imperavit, ut singuli du-
ces minores frequenter, sicut præciperent majo-
res duces, suos monerent: ne eos ocio torpesce-
re sinerent. Hinc contigit, ut nullus explorator,
vel peregrinus aliquis, clàm in Temiris castra
penetrare, & in iisdem morari posset. Ordinavit
virum, cui hoc negotii imposuit, ut peregrinos,
si qua re indigerent, advenientes hospitio exci-
peret. Quapropter hæc diligens disciplina effe-
cit, ut universus iste exercitus, ad nutum & arbi-
trium regis, quocunque vellet, facilè movere-
tur, eoque ducente exciti, uno signo confestim
advolarent, parati se regi utendos dare quacun-
que in re voluisset. Vesperâ appetente, accipien-
tes signum à duce suo magno, singuli maturant
iter ad tentoria, & ad contubernales suos. Vbi
autem milites in tentoria sua se receperunt, vi-
giles

giles ad hoc creati, in castris oberrant, si quem inveniant extra tentoria morari. Si talis occurrerit, eum capientes, supplicio capitali subdunt. Si autem quis explorator accesserit in castra, is, ut cui nullus sit adscriptus locus, extra tentoria cubare cogitur: proindè rerum omnium ignarus, dubiusque quò se vertat, continuò à vigilibus in vincula ducitur. Hic modus & hæc est forma Syssitiorum regis. Chaidares regis amicus, laborumque socius, ei admodum diligenter in necessariis ministrare novit. Regem quoque incitare nunquam destitit, ut bella aggrederetur plurima: ne ocio & quiete corrumperetur. *Chalcocond. lib. 3.* Refertque Leunclav. *hist. Musulm. lib. 7.* Quòd Temuris crudelitas, modum & comparationem omnem excesserit. Atque, quòd tanta, tum ipsius Temuris, tum Tatarorum fuerit immanitas: ut ab aliquibus memoriæ proditum sit, accessisse aliquando Tatarorum exercitum ad civitatem quandam, ut eam ingressi occuparent. Tum verò, quotquot erant in opido patres, pueris omnibus, qui legere norant, Mushafum vel Alcuranum in manus tradidisse: & ut Temuri obviam irent, jussisse: quod fore sperarent, ut Temur Chan, conspectis illis pueris, ad aliquam misericordiam, propter innocentiam ætatis, & libri Muhametici reverentiam, commoveretur. Sed longè rem aliter cecidisse quàm ipsi existimâsent. Quippè statim Temurem, hos pueros intuitum quæsivisse: quid illi sibi vellent? ac responsum ei fuisse, pueros opidanorum filios esse, qui legere nossent, & obviam Temuri honoris causâ prodiissent, seque gratiam aliquam ab eo consecuturos sperarent. Tum vero

rem Temirem, hi[illegible] auditis, imperâsse Tataris
[illegible], ut equis incitatis, in hos ipsos pueros irrue-
rent. Tataros autem, mox edicto regis obtem-
perâsse; pueros plerocurrum in[illegible]fisse; pedibus
equorum, tam ipsos, quàm Curanos eorum ob-
trivisse, tanto impetu: confestim ut omnes [illegible]e-
[illegible] perirent. Ibi tum quemdam, ex proceribus
ejus dixisse: ô Chanum, ô rex, etiam hi populi
Musulmani sunt, & in religione nobiscum con-
sentiunt. Ne tam crudeliter cum eis agi jubeas.
Temurem verò responsurum, interrogâsse prius;
amicorum hos loco duceret, an inimicorum?
respondisse alterum, inimicos quidem esse; sed
Musulmanos, & ejusdem religionis participes;
quibus ex commiseratione parcendum esset. Ad
ea Temurem subjecisse; prorsus inimicos exci-
piendos, ut inimicos. Quippè ni regiones illas
hoc modo tractaret, neminem indigenarum ali-
quo Temurem respectu dignaturum. Prætereà
quum rediturus esset ad provincias suas, hos à
tergo suis inhæsuros copiis, & profectionem
impedituros; adeoque, si possint, Tataros omnes
interfecturos. Sed enim, ait, permitte potiùs, quã
mater nostra ploret, ut ipsorum matres ejulatu
[illegible], lessum necatis hisce filiis suis canant.

✻ Occasio verò belli, quod totis viribus in
Bajazethem movit Temur, non fuit obsidio Cõ-
stantinopolitana: sed inprimis oppressio quo-
rundam Principum Asiaticorum: quos Temur
in suam potestatem redegit. ut pluribus Chalco-
condyles refert, lib. 2, ubi ita scribit. Tunc acce-
dentes Asianorum Turcorum duces, precibus
[illegible]unt regem Temirem: ut singuli ab ipso
in suam reducerentur regionem. Quoque ma-

gis moverent, religionem communem, & generis propinquitatem, quâ ipsum contingerent, prætendebant: addentes, se, ipsum suæ regionis patrem, & patronum elegisse. His adiiciebant, ut cogitaret, se propterea Asiæ esse regem, ut nullo modo fineret sui generis homines, cùm nullas facerent injurias, a quoquam contumeliis & injuriis affici. Arbitrio autem ejus permittebant, pœnas daturi quascunque jussisset, si contra fœdera quid in Pajazitem commisisse deprehenderentur. Temires Pajaziti non indignabatur, quia hactenus strenuè res gessisset contra hostes Turcicæ religionis. Vniversi enim orbis nobis noti religio, potissimùm in duas dividitur partes. Partim enim Machometanæ, partim verò Christianæ religioni adhærent. Reliquæ autem religiones, ut inutiles, nec in regnum admittuntur; nec etiam aliquam dignitatem merentur. Pajaziti autem, nihil succensebat Temires, proptereà quod fortiter pugnaret pro herois Mechmetis religione: imò censebat, ab omnibus ei plurimas gratias habendas. Hæc ejus ab initio erat sententia. Vbi autem à plurimis ad se venientibus cognovit, eum neutiquam æquitatis esse studiosum, nec contentum Asiæ regno fore: verùm cùm esset vehementioris ingenii, ut facilè turbini assimilaretur, expeditionem contra Syriam, & Aegyptum, & contra Memphiticum regem, eum moliri. His persuasus, legatos ad Paiazitem misit, ut eum, si aliquo modo posset, reconciliaret ducibus. Misit per manus legatorum etiam vestem; ut moris est regum, Asiæ imperium tenentium, munus Pajaziti. Legati ubi ad Paiazitem venerunt, hujuscemodi orationem

onem habuerunt. Nobis Temires, legationis munus imposuit: mittens tibi vestem hanc, munus: dicens, se tibi gratias agere ingentes, quòd heroïs nostri hostes, magno animo debellas, & amicos semper acriter dimicando ad majorem felicitatem producis; religionisque nostræ negotium augustius constituis. Decet te professos hostes nostros, severiter vindicare, at amicos & socios nobis conjunctissimos, nequaquam inimicos & hostes facere: nec etiam injuriis obruere: verùm beneficiis eos tibi obnoxios reddere. Si enim parùm dextrè erga tuos affectus fueris, quomodo hostes cum gloriâ domabis? Quapropter edicit rex Temires; Asiæ imperium ducibus ademptum restituas, cùm nihil secundum ea quæ pactis convenerant, in regnum tuum deliquerint. Si obtemperaveris, feceris mihi rem gratissimam, nec non Asiam Europamque incolentibus; qui tibi gratias agent immortales. Sin autem quid contra fœdera eos fecisse putas, regi Temiri ejus rei judicium mandarunt: subituri pœnas injuriarum si quæ illorum in te extant, quascunque imperaverit. Paiazitem memorāt, cætera non iniquo animo, quæ ab legatis afferebantur, auscultasse: verùm graviter offensum esse munere vestis, quàm Temires miserat. Hinc irritatus, in hunc modum respondisse fertur: Renunciate regi vestro, quod mihi Temires, necnon reliqui qui in Asia degunt, gratias agunt, dum me incunctanter, ut religionem nostram tuear, hostibus impigrè opponam, me admodū mirari. Inprimis autem admirationem mihi infert, dum pecuniam & milites, reliquaque ad ista certamina necessaria offert: nec tamen in hujus-

cemodi negocio, à partibus nostris stare deprehenditur. Verùm in me hostilia meditatur, adimendo regionem, quam meo Marte, devictis adversariis & insidiatoribus meis, in potestatem meam redegi, & possideo. Quomodò igitur mihi gratias habes, atque agis, quemadmodum modò verbis declarasti? Porrò quòd ad vestem attinet, regi vestro nunciate: ne posthac & genere opibusque præstantiori, hujusmodi munera mittere in animum inducat. Hæc ut relata sunt ad regem Temirem, Semarchandam irâ graviter accensum ferunt vestitus contumeliâ: & statim misit præconem qui imperaret, ne quāprimùm ducibus imperium restituere dubitet: se enim sic decrevisse. Sin parere recusârit, seipsum pro hoste habiturum. Causam illam disceptavit rex Temires, atque talem sententiam dedit: Turcorum duces, injuriis à Paiazite esse affectos. Proindè seipsos, dum vitâ fruatur, haud neglecturum vagos oberrare per Asiā, exutos regno suo. Paiazites nuncium cum hujusmodi responso dimisit: Nisi cum exercitu adversum nos procedat, precor ut uxorem suam ter repudiatam tandem iterùm assumat. Hoc quidem vergit in cōtumeliam Turcorum: videlicet ter uxorem suā recipere. Quia legem habent Turci, quâ cavetur, ut is qui uxorem dimittit, edicat, se non amplius ipsam in sua admissurùm. Hæc ubi nuncius accepit, iter ad regem Temirem maturavit. Ajunt, Temiris uxorem, admodùm in rebus maximis superstitiosam extitisse: nec permisisse Temiri, ut infesta arma inferret Paiaziti, viro laude digno, qui magna cum gloria pro Mechmetis religione contra Christi fidem dimicârit. Verùm mo-

monuisse regem, ut virum tantum, quiescere pateretque ei negocia facessat: qui non commeruerit, ut aliquid mali ab ejusdem religionis consortibus accipiat. Vt nuncius Temiri mandata explanavit, uxorem suam vocavit, nunciũque eadem, ipsá audiente, recensere jussit. Qui cum dicto paruisset, & Paiazitis mandata exposuisset: aiunt Temirem interrogasse uxorem suam, an adhuc justum esse censeat, Pajazitem injuriis certantem missum facere, & sinere tales impunè ferre? Et sanè manifestus erat, etiamsi ad priorem inclinasset uxor sententiam, bellum inferre Paiaziti. Sic enim se legibus uxori conjunctum esse dicebat, ut testaretur se illius injurias vindicaturum, quicquid tamen patiendum foret. Vxor autem eo tempore tale responsum dedisse dicitur: Verùm ô rex, quòd ille vir furit, talique morbo implicitus, non amplius ratione recte fruitur: notum est cum aliis tum mihi, quę modo ejus audivi responsum: profectò si istum virum, jure ultus fueris, prudenter fecisse videberis: eique hoc modo ostendes, qualis ipse existens, quali viro adeò fœda nunciet. Hoc quidem tibi perspectum esse volo, quòd contra eum virum; qui pro nostro heroe bella gerit contra Græcos, & contra alias Epiri gentes. bellum suscipere haudquaquàm fas esse duxero: sin autem mihi stultè illudit, non arbitror justum esse, ut eas contumelias inultas abire sinamus. Proindè bellum viro illi indicito, nec tamen ipse pugnaturus: verum si ejus urbem Sebastiam dirueris, satis eum ultus fueris propter urbem Melitinem Euphrati impositam: & propter duces, qui apud nos ætatem agut. His in istum modum peractis,

arma cepit bellum gesturus cum Paiazite; quem sua sponte ad bellum provocabat. Quidam perhibent, Temirem transita Melitine, venisse Sebastiam:& postquàm eam urbem subegisset, legatos misisse ad Paiazitem, petitum ut ducibus regionem restitueret. Iisdem quoque mandavit, ut butyrum & tentoria flagitarent. Postulabatur butyri tantùm, quantùm duo millia camelorum ferre possent. Præterea petebatur tentorium pileatorum, cuiusmodi utuntur pastores, duo millia. Ad hæc volebat, ut per omnia templa, quæ essent in regione Paiazitis, rex publicè pronunciaretur. Filium Paiazitis, in suis Ianuis morari cupiebat. His addebat, ut in regionem suam, Temiris numisma admitteret, eoque solo uteretur. Septem istas petitiones, Sebastia captâ, Paiaziti obtulit. Paiazites his graviter accensus, jussit Temiri quæ antea de uxore eius recensuimus, explicari. Temires itaque, arreptis armis contra Paiazitem, animo agitabat, ejus regionē in Asia sui juris facere, & exindè in Europam transgredi. Nec priùs redeundi erat animus, quā limites eius attigisset, progrediendo usque ad Oceanum: qui est prope Herculis columnas. Ibi enim esse traiectum maris angustissimum acceperat: distinguentem Europam à Lybia. Hinc igitur in Aphricam transmittere decreverat: quâ in ditionem receptâ, domum demùm remeare statuerat. Hæc quidem Temires, animo volvebat: verum postulabant maiorem fortunam, quam Temiri à Deo concessa foret. Paiazites verò in spem erectus erat, se facilè victurum Temirem, hostili animo accedentem. Spem istam faciebat coniectura, quam ab antiquis ducebat tem-

temporibus, quæ confirmabat; Aſianos reges nunquam quiviſſe devincere Europam: verum Europæ homines in Aſiam progreſſos, regem ſuis principatibus ſpoliaſſe. Hæc animo ſecum verſans, ingentes concipiebat ſpiritus; tanquam breviſſimo bello etiam Temiris regnum disjecturus. His non abſimilia Leunclavius refert, *ab init lib.7.hiſt.Muſul* Sed aliter ac ſibi perſuaſerat Bajazites, cecidit alea belli: victus enim, ac captus ille fuit; ut jam modò alibi à me, *in vitâ nempe Emanuelis Palæologi, Imper.Conſtantinop.* recenſitum eſt. At de conditione carceris, jam capti Bajazitis (ſicut ea à Turcis expoſita legitur, ex ore cujusdam ſenis, qui prælio interfuit) ſequentia idem Leunclavius, *dict.lib.7.* habet. Fabricatam è ferro, juſſu Temuris, fuiſſe caveam, inſtar ſellæ; cancellis undique ferreis incluſæ, per quos conſpici quâvis ex parte poterat. In hâc caveâ, duos inter equos fuiſſe vectum. Quoties Temur cum ſuis ad iter, motis caſtris, ſe comparabat, ante Temurem vehi fuiſſe ſolitum: & quoties itinere abſoluto, ex equis deſcenderetur, ante tentoriū ipſius, plerumque cum ipſâ depoſitum humi fuiſſe caveâ.

9. Memorabilia inſuper, & illa eſſe colloquia videntur; quæ inter Temurem & Bajazitem, intercesſiſſe refert Leunclavius, *ſæpè dict. lib.7.* cùm ita ſcribit. Captus Baiaſites, mox ad Temurem deductus fuit. Quùmque propiùs ad tabernaculum Temuris accederet, prodiit is illi obviam, & exceptum magno cum honore, ſuum in otagium ſive tētorium perduxit, ubi Turcico tapetum & eidem ambo inſidentes, depugnâ præterita inter ſe diſſerebant, & inter colloquendū

uterque triumphans, velut exsultabat. Tandem Temur Childerunem adpellans: Infinitæ, ait, ô rex, aguntor æterno numini gratiæ, quod utrumq; nostrum regiam ad dignitatem evexerit. Ego claudus sum, tu mancus es. Ab Indiæ finibus ad Sivasten usque, regem me Deus constituit, à Sivaste, ad Vngarorum usque limites, tibi Deus regnum donavit. Quòd si mundus hic, apud justum illud numen aliquo esset in pretio; sanè dedisset eum aliis; quam mihi, qui claudus sum, & tibi, qui mancus es. Nimirùm sanctis & beatis hominibus eum tribuisset. Atenim ait, iterùm & iterùm gratiæ numini habentor. Nec multò pòst Temur hæc verba subjecit: Fortassè tu numini gratias haud egisti, eâque de causâ, tristis hic tibi casus accidit. Quibus prolatis, aliò sermonem dirigens: Cave formidolosus sis, mi frater ait. Qui salvus & vivus est, opes consequēdi spe minimè destituitur. Posteaquàm his eum verbis cōsolatus fuisset; præcepit Temur, ut cibi adferrentur. Itaq; Sofra Turcica, quæ illis mensæ loco servit, illata primò fuit. Deinde patina, lacte plena, regibus adposita. Nam lacte Temur Chan, magnâ cum voluptate vescebatur; ideoque missu primo principibus, ex consuetudine Temuris, offerebatur. Sultanus autem Baiasites, inspecto lacte, propemodùm obstupescere cepit, & totus cogitabundus velut extra se rapi. Quāobrem conversus ad eum Temur: Mi frater, ait, quænam accidit ad animum tibi cogitatio, quâ tātopere videris occupari? Bilahilazem, hoc est, per summum Deum, (sic jurare solebat) fac sciā, quid rei sit? Respondens verò Gilderun Chan: Memini vocem quandam, inquit, ex ore Sultani Achme-

Achmeteis aliquandò, quum mecum esset, audi-
re. Nunc illa de voce cogito. Mox Temur: Quid
dixit obsecro. Fac & ipse rem cognoscam. Ad
ea Baiasites: Quo tempore Sultanus Achmetes,
ait, ad me veniens, aliquamdiù mecum vivebat;
interrogabam eum aliquando, futurúmne puta-
ret, ut ipse cum Temure congrederer, deq; sum-
ma rerum prœlio decernerem. Respondebat
Achmetes, omnino nos congressuros, & pugnâ
dimicaturos acerrimâ. Sed quis nostrum victor
erit? inquam. Hoc numini notum est, ait. Mihi
duntaxat id constat, vos ambos in locum quen-
dam conventuros, & eamdem ad mensam, in
uno tapete sessuros; adeoque lac fore primum
cibum, qui vobis adferetur, & quem primo loco
degustabitis. Tum verò Temur: Ita me Deus
amet, inquit, egregius in hoc viro spiritus fuis-
se videtur. Optandum erat, ut hic tecum mansis-
set. Sic enim minimè fuisset opus, ut ipse te quæ-
situm venirem. Accepimus, hunc Sultanum
Achmetem fuisse peritissimū astrologiæ. Quid-
quid futurum prædiceret, eum habebat even-
tum, quem ipse prænuntiasset. Accidit porrò
aliquando, ut mensæ cum Sultano Baiasite,
Temur adsideret. Quumque colloquiis se mu-
tuis exhilararent, ederent, biberent; adduci Te-
mur unam præcepit ex Sultani Baiasitis uxori-
bus, quæ Christiani principis (Despotæ nempè
Serviæ) erat filia; cui nomen Vulcoglius. Vbi
iam illa vocata venisset; primum eam mensæ
jussit allidere, deinde voluit, ut eadem princeps,
Sultano Baiasiti potum infunderet, ac præberet.
Tum verò Gilderun Chan, adsidentem mensæ
conjugem videns, penè quandam in desperatio-

clusum in eâ, militumque tuorum verticibus impositum, per omnes regiones tuas, circumgestari jussissem. Atque hoc equidem prius etiam quàm prœlio congrederemur, mecum ipse decreveram. Tū vero Temur: Quo tempore meis, ait, è regionibus ipse discedebam, hanc suscepturus expeditionem; juratus promisi Deo, siquidem prœlio victor evaderem, neminem me deinceps à pugnâ commissâ interfecturū. Subjecit hoc etiam, sanè quàm prudenter: Qui recte facere cogitat, tandem invenit aliquid boni: qui male cogitat facere, finem malum invenit. Discessit igitur hisce cum verbis à Gilderune Temur, & caveam è ferro fieri curavit, cui Gilderunem inclusit; ac secum, quocumque proficisceretur, deinceps eum circumduxit. Idem Temur regulis illis, qui ad ipsum, impetrandæ causâ defensionis, adversus Baiasitem, se contulerant, regiones suas restituit universis. Indè regiones Osmaneas, inter Tataros distribuit. Hoc verò quum fieri videret Baiasites, sane quàm graviter ac molestè tulit; & ex eo tempore tristior esse solito cepit. Erat autem in more Temuri, ut iter ingressurus, Baiasitem aliquandò visitaret, ac salutatum, bono animo esse juberet, adeoque honore adficeret. Hanc ejus consuetudinem Bajasites observaverat, eaque de causâ, quum die quodam accessisset ad eum Temur, usus est occasione Baiasites, & compellato Temure: Quandoquidem, inquit, ô rex, divina destinatio voluit, ut hic prœlii nostri eventus esset, ac tibi victoria numinis beneficio cederet; petere quiddam abs te cupio, cujus si mihi gratiam facere voles, equidem quid sit, aperiam.

Respondit Temur: Pete verò, quod petere volueris. Ita me justus ille Deus amet, ut ipse petitioni tuæ satisfaciam. Tum Baiasites: Hoc, inquit, abs te peto, ne focum meum extinguas, néve familiã meam evertas; & milites ut Tataros tuos universos è regionibus meis abducas. Nam si hodiè rebus ego adversis agitor, fortassis idem crastino die tibi eveniet. Cœlesti notum est numini, quid accidere capiti cujusvis hominis debeat. Haudquaquam bonum est, focos extinguere. Quibus Temur auditis, facturum se recepit, quod Baiasites postulasset. Simul omnes milites Tataros, convenire jussos, secum abduxit. At cum videret Temur, neminem è Baiasitiicis venire, qui de Baiasitis liberatione secum agere cuperet, progredi cepit, & Gilderunem secum abducere. Fortè secundum hæc, die quodam accidit, ut Temur, compellato Gilderune, diceret: O rex, ubique diditus est rumor, regem tuo loco factum esse filium tuum, qui nunquam hûc visitandi tui causâ quemquam misit. Quid putas? an tui te reciperent, siquidem ego te nũc dimitterem? Ad ea Baiasites: Modo tu me libertati restitueres, ait, nequaquam mihi deesset animus ad istos in ordinem cogendos. Quum Temur hanc è Baiasite vocem audivisset: Malus hic vir est, inquit. Si salvus evaserit è carcere, veniet absque dilatione; nostrum[illegible]am à tergo, quam ab utroque latere carpet ac invadet exercitum: Quapropter minimè nobis antè dimittẽdus erit, quàm nostras ad regiones redeamus. Alio quodam die Temur, Gilderunem adloquens; O rex, ait, ne tibi metuas, néve teipsum excrucies. Quippè mecum ego te summam ad urbem

...em regni mei nobilem Semeicandam, atque ...nc, tuas ad regiones te remittam. Postea quã ... ex ore Temuris verbum audiisset Baiasites, ...agnum animo cepit dolorem. Simul illuc mi... ...nè proficiscendum statuens, ipse sibi mortem ...ulit. Alii referunt, Temurem ei præbuisse ...enum; ac deindè liberatum, ab se dimisisse: ...l confectum vi veneni Baiasitem, triduo pòst ...spirasse.

10 Tandem ipse Temur, vastatâ penè totâ ..., spoliis onustus, Samarcandam redit: ubi ... post fato functus est, de quo Faerni ele... ...es versiculos, Iovius, *in elog.* adjunxit, ex ...bus solummodo posteriores ascribam:

...e ... Asia ... tribu ... ... impete Baiazetem,
... eaque ... ausum ferr ... circumtulit.
Hæc ... ta... ...llum & spirantem immania jussa:
Quæ cun... ... undique orb... expavescerct.
Ex ... o ca... ... ... olim ne febris,
Fatali uno fil... ... hora triduo
...que tot infanu... ...ibus, de tot modò regnis,
Rel... ua, una par vo glebæ texit pulvere.

... morte autem, & liberis Tamerlanis, ita scri... Petr. Perondinus, *in Tamerl vita cap. 26* Præsa... ... maximum, ac præcipuum, tanti Principis ...s luridi cometæ exortus fuit; per paucos ...equàm obiret menses, qui nec falsò tanti re... interitu expiatus creditur: etenim in cubi... ...o inter dormiendum, phyalte præfocatus in... ... Anno à partu Virginis, quadringentesimo ...undo supra millesimum; ante quinquagesi... ...m ætatis annum. Binos de se filios reliquit, ...eri successores; ac tot regnorum, & immen... ...um opum hæredes: qui neque ad percipien... ...n regnandi voluptatem, neque ad propagan-

dam sobolem, diu patri superstites extiterunt: odia siquidem, inimicitiasque inter se graves exercentes, bellisque se mutuò conflictantes, uberrimam obtulêre materiam & conspirationum in se, & defectionum universis suarum ditionum populis, ac tributariis nationibus; sic ut regnis penè infinitis à patre vi quæsitis, bellique jure occupatis (adeò à paterna virtute degenerâsse visi sunt) privati atque spoliati, imperio alieno subiicerentur, Asiæque in primis regnum, ad Ottomannos relaberetur.

11. Tandem & hoc non est omittendum; quòd Leunclavius, *lib.6.hist.Musulm.* scribit, tempore Bajazitis, Turcarum mores, imperandique rationem in deterius fuisse commutata; & quidem occasione matrimonii, initi cum uxore Christianâ. Verba ita se habent. Ante verò, quam Vulci filia Baiasiti nuberet, ignorabat ille quid esset vinum bibere, quid sumtuosis se recreare conviviis, quid indulgere genio? quæ quidem omnia, primùm Lazari filiâ magistrâ didicit. Ipsa stirps Osmanidarum ad illud tempus nec vino fuerat usa, nec temulentiæ se dederat. Præterea reperiebantur illorum tēporibus viri sancti; qui liberè sensus animorum suorum profitebantur. Principes ipsi, viros doctos reverebantur, & actiones suas ad eorum præceptiones ac monita conformabant. Et in hanc sanè sententiam, quum graviter ac prolixè, de priscis Turcorum moribus historia Verantiana disserat, nequaquam putavi committēdum, ut mea culpa & negligentia tam insignem, barbari licet hominis, expositionem rerum memorabilium, quæ nobis etiam ex usu possit esse, lectores desidera-

derarent. Si quis,ait, Osmanidarum procerum, aliquid deliquisset,aut si quid injustè perpetrasset, indicati viri prudentes & docti, seriò dabant operam, ut impulsi suis admonitionibus principes,ab illis injuriis abstinerent.Sin id omninò facere recusarent,ab eorum consortio & consuetudine sibi cavebāt, nec reges illos amplius adibant. Nihil improbè, nihil agebant nequiter: quòd metuerent, ne suis officiis abdicare cogerentur. Eâdem de causâ, jus apud eos venale nō erat; & quidquid adversaretur legi, coercebant, ne latius longiúsve serperet. Prætereà si quibus id temporis opus esset Cadio, sive Iudice, quærebant aliquem hinc indè variis in Medressis aut gymnasiis, & difficulter inveniebant: quod nemo Cadii munus in se vellet suscipere; persuasis omnibus, Cadilaros ad orcum præcipitari. Nūc alii mores sunt. Invenias, qui spe consequendi cadilicatum, gladios etiam nudaturi sint, & aliquem mox interfecturi. Nullâ se cohiberi lege, malitia patitur, nulla justi & æqui habetur ratio. Videas quemdam, ad aliquod tempus operam navare cuidam è procerum numero, qui vicissim ut ei benefaciat, homini suâ gratiâ & auctoritate, quâ valet, cadilicatum impetrat. At cui viro? qui tam rudis & imperitus est omnis doctrinæ; ne quidem ut nomen suum ab aliquo scriptum legere norit. Ad ea nimirum tempora pervenimus, ut interpellatus ab aliquo scripturæ communicandæ causâ judex, ignorare se litteras respondeat; & scribā quæri jubeat. Qui talis est, an meretur, ut iudicis ei munus cōmittatur et tempore talis? ut iuri dicundo, & exequendis senten-

sententiis præsit? Væ miseræ provinciæ; cui iudex eiusmodi obtigerit. Olim iudices creabantur, qui rerum usus & doctrinæ causâ semet ad obeundum munus hoc offerebant. Nunc illi iudices fiunt, qui hoc officium navatæ alicuius operæ causâ flagitant, nec magnoperè laborant, ut Cadilescheris, qui iudices maiores sunt, frequentandis idoneos se probent. Posteaquam ad principes Osmanidas, tam Azemi sive Persæ, quam Caramani venissent, seque in eorum familiaritatem insinuassent: ipsi quoque principes Osmanidæ, degenerare ceperunt, & vitiis se contaminare pluribus. Quum Zinderlu Cara-Chelil; & Rustemes Zurcus è Caramania, nostrum ad principum Portam se contulissent, quę id temporis sanctos & doctos viros habebat: statim variæ fraudes exortæ sunt, & imposturę. Nemo tunc rationes proventuum norat, aut rationum libros; quos illi primi facere ceperunt; ut aspros sive pecuniam colligerent, ac thesauros congererent: non respicientes interim finem, quo adpetentes, relinquenda ipsis essent omnia, deque mortali hâc vitâ migrandum.

Bajazeth patri succedit: & compenatum rerum ab eo gestarum 1.

Etymologia cognominis Gilderun. 2.

Insignis perfidia, aliquot Christianorum Castella, in suam potestatem redigit Bajasites. 3.

In fidelium proprium est, fidem non servare. 3.

Quæ Bajazet, contra Græcos gesserit; & cur Constantinopolis, ab eo fuerit obsessa: ac quâ conditione liberatâ? 4.5.

Græci dum domestica diffidia, Turcorum auxiliis fovent, libertatem amittunt. 4.

Imperium Constantinopolitanum, exiguis finibus tempore Bajazetis circumscriptum. 5.

Pugna

Pugna ad Nicopolim, quâ Christiani fuere victi, & fugati, a Bajazete. 6.

[illegible]ro venit, etiam magnus exercitus, ubì non uni soli omnes obedientiam præstare coguntur. 6.

Tamerlanis origo & crudelitas. 7.

Parva ab initiis magna Imperia, non rarò exsurgunt: sed plerunque, non rebus humanis restituendis & ordinandis, sed perturbandis solùm serviunt. 7.

Quomodo exploratores in exercitu, deprehendendi. 7.

Occasio belli, a Temure, Bajazithi illati. 8.

Temires injuste oppressis, suisque ditionibus injuriâ spoliatis, laudabiliter succurrit. 8.

Temires dubitat, num Bajazetem, suæ religionis asseclam offendere possit? 8.

Temires antequam in Bajazitem, quid hostiliter tentaret; Legatos cum eo agit. 8.

Colloquia Temiris, & Bajazetis. 9.

Imperia, si apud justum Numen in pretio essent; piis semper, & sapientibus hominibus darentur. 9.

Astrologica prædictio, certi eventus. 9.

Bajazet, quod Temuri facere voluit, ipse cogitur pati: Iustissimo Talionis jure. 9.

Bajazetis mors, & interitus tanti Imperii. 10.

Imperia Principum, qui instar torrentis inundant, & multa turbant; diuturna non sunt. Nisi politicis rationibus in ordinem redigantur. 10.

Turcarum mores, quâ occasióne in deteriùs commutati? 11.

Omnia magna Imperia, ab initio, morum aliarumque rerum ratione, multa laudabilia habent: sed paulatim ea evanescunt, usque dum etiam, illud Imperium corruat. 11.

V. *Isa Begus.*

VI. *Emir Suleiman.*

A. C. 1398.

VII. *Moses Gilibi.*

VIII. *Mahomet.* A. C. 1414.

Isa (qui & Josua dicitur) Turcarum opes,

opes, poſt cladem Bajazethis fractas; ejusdem filii, Emir Suleiman (aliis Mulſumanes) ac etiam Moſes (vel Muſa) Gilibi; quem nonnulli Calepinum, etiam Cyricelibem vocant, reficere cæperunt. *v. Reiner. Reineccium, in append. ad Haytonem. Leunclav. Pandect. cap. 7. ac 64. & hiſt. Muſulm. lib. 8. à princ.* Sed Mahomet inprimis, itidem filius Bajazethis, fortunam familiæ & gentis rursùm reſtituit: ſolusque rerum potitus eſt, Moſe fratre perempto.

2. Capto mortuoq; Bajazithe, Interregnum, vel potiùs Anarchiam fuiſſe in Imperio Turcico, refert Leuncl. lib. 8. Huiusque propter Interregni confuſiones, & ipſorum inter ſe fratrum lanienas; Turci neminem inter hos tres, Iſam dico, Suleimanem, & Muſam, pro legitimo Turcorum principe adgnoſcunt: Sed tum demum interregni finem fuiſſe ſtatuunt, quùm cæteris extinctis; ad unum Sultanum Muhametem, rerum apud Turcos ſumma, poſt decimum plùs minùs interregni durantis annum, tamdem rediiſſet. *Leunclav. lib. 9. à princ. & lib 12. à princ.*

3. Primus autem inter omnes fratres, Iſa Begus, patre capto Regnum ambivit, & Regiæ loco, mox interceptam Burſam occupavit. Tenuitque eam finitimis cum provinciis, in mediocriter quietâ poſſeſſione, donec frater longè natu minor Sultanus Muhametes, in hæc loca profectus, Iſæ begi recens adquiſitam poſſeſſionem interturbavit. A quo etiam fugatus (eiusque exerci-

exercitu fuso) in Caramaniam delatus, ignotum quemdam in locum abiit: ubi latitans incerto mortis genere periit; sic amissus, ut nusquam amplius ab illo tempore conspectus fuerit. Principes omnes, qui suis cum copiis auxilium ei laturi venerant, hinc inde dispersi, suas in ditiones se receperunt. *Leunc lav. lib. 9.*

4. Emir verò Suleiman, cogitans initio Regni de adiungendis sibi adversus competitores fratres, Græcorum auxiliis: minimum natu fratrem suum, Casimen Zelebim, una cum sorore sua, Sultana Fatime, Constantinopolim misit obsides: ut Imperatori Græco fidem faceret, nũquam se pacta conventa violaturũ, nec ab ipsius amicitiâ discessurum. Postea Græcis faventibus, fauces Bospori, quas Turci suâ linguâ Bogazi Kessen vocant, propè Constantinopolim sitas, transmisit: & in Rumiliam sive Romaniam Europæam veniens, Hadrianopolim profectus est, ac ibidem in thronum se regium collocavit. Acciderunt autem hæc A.C. 1404. Quùm verò inaudisset Amasiæ Sultanus Mahumetes, Emirem Suleimanem paterno consedisse solio, legatum misit: hæc ei suo nomine verba nuntiaturum: O pro domino meo fratri natu maiori, valetudinem firmam, & prosperitatem perpetuam: utque mihi quæcunque voluerit imperet rogo. Licet patrem nuper acerbâ morte nobis ereptum amiserimus: tamen te dominum fratremque nostrum, incolumem nobis esse, non abs re gaudemus: quandò te patris loco deinceps habituri sumus. Simul ei generosos equos, dono misit. Ubi vidisset Emir Suleiman, fraternam hanc Muhametis erga se caritatem & benevolentiam, ac mis-

ac missa sibi ab eodem munera: vicissim & ipse venustos illi pueros, bello captos, utriusque sexus, cum variis & elegantibus pannis, aliisque muneribus, donavit. Præterea fœdus inter se, de mutuâ pace colendâ, percusserunt. Et aiunt, fuisse graves inter Emirem Suleimanem, & Musam Zelebim fratres, inimicitias exortas: statim ab Isæ interitu, (vel abitu) Ergò quùm primùm Musa Zelebis, in Europæam traiecisset Rumiliam, adiere sui Suleimanem, & fratrem ipsius in Europam transmisisse, totamque sui fecisse iuris, adfirmarunt. Emir autem Suleiman, hoc intellecto nuntio, commoveri cepit, & Hadrianopolim properè concessit. Sed erat hoc in eo vitii, quòd nullo, vel minimo quasi temporis intervallo, suis à compotationibus sibi temperare poterat. Inter alia narratur, Emiri Suleimani fuisse in more, ut quoties in aliquo loco se daret poculis, ad menses aliquot compotationes illas continuaret: quâ quidem ex causâ tale quid ei tandem accidit. Potabat in balneo Hadrianopoli, quo tempore magnas in eum Musa Zelebis copias ductabat: quumque temulentus, ut fit, obdormivisset: suorum clamoribus excitatus fuit. Interim propiùs ad Hadrianopolim accedente Músâ, totius Europææ Rumiliæ milites, ad ipsũ mox defecerunt. Quid fit? surgit experrectus Emir Suleiman, ex vino prorsùs ineptus, sive machmur, ut Turci talem vocare solent. Simul suos alloquens: Quid heic Musa facit? quonam modo venit huc? ait. Vix autem hæc verba protulerat, quùm ab improviso Musa in eum irrueret. Tum verò Suleiman, celeritate maxima fugæ se dedit, & omnibus suis ad Musam transeuntibus,

...ipſe Conſtantinopolim totis viribus pro-
...it. Forte fortunâ contigit, ut in pagum
...ndam hoc itinere veniret, in quo nuptiæ ce-
...bantur. Acceſſit ad locum nuptiarum Su-
...n, ut illos homines, qui nuptiis intererant,
...quà Conſtantinopolim eundum eſſet, in-
...garet. Tum agnitum illi Suleimanem,
...interfecerunt, idque de cauſa factum hu-
modi perhibent; quòd opidorum & regionū
...cipes & incolæ, dum in hiſce bellis civili-
...alium alii Sultanum pro rege adgnoſcerent,
tuò ſemet occiderent; unde pagi quoque
...damnis inſignibus adfecti, mirificè ve-
...ntur. Itaq; cum exiſtimarent, ſe hujus prin-
...interitu tandem aliquandò, moleſtiis his-
...eratum iri; facinus hoc in eum commit-
...fuerunt auſi. Sedenim majorem ſibi creavê-
...oleſtiam. Quippè Muſa paulò pòſt illuc ve-
...ns, quotquot erant homines in hoc pago,
...includi juſſit ædibus, & clauſis indè januis,
...mas ædificiis iniici, quibus omnes exuſti
...perierunt: quùm quidem Muſa Zelebis, id
...de causâ facere diceret, quòd temerè fra-
...n ſuum, nihil tale promeritum, occidiſſent.
...narrant, quòd Muſa Zelibes, fratrem Sulei-
...nem proſequens, cum vinculisque conſtri-
...m, in medio ruſticorum conſpexit. Mox eo
...ſpectaculo, Coion-Muſam abire juſſit, &
...Suleimanis vitæ finem adferre. Qui Mu-
...ndato parens, ſuffocatum extinxit. Leun-
...libro.

Extincto Emire Suleimane, Muſa Zelebis
...potitus, Hadrianopoli conſedit. Sultanus
...em Muhametes, qui Amaſiæ degebat id tē-
poris;

poris; quùm accepiſſet, Muſam Zelibem, Europæam Rumiliam ingreſſum, regiones illas in poteſtatem redegiſſe: mox & ipſe provincias in Anatolia ſibi ſubiecit omnes, quas ante mortem ſuam Emir Suleiman, frater horum, poſſederat. Muſa Zelebis, hoc animadverſo, de ſuis & ipſe rebus, cogitare diligentius cepit. Sed Muhametes, Hadrianopolim cum exercitu progreſſus acceſſit. Tum verò proceres omnes Europæi, Muſam deſerentes, ad Sultanum Muhametem confluxerunt; nec apud Muſam alii manſere, præter Akenzios. Indè Sultanus Muhametes, motis Hadrianopoli caſtris, in regionem Zirforum, quam paullò antè Muſa hoſtiliter ingreſſus erat, verſus Sophiam, quærendi Muſæ causâ, perrexit. Hoc itinere alter exercitus, in alterum incidit, ad Samacovam; ibique manus conſeruerunt. Ac deſertus quidem à maiore ſuorum parte Muſa, tamen aliquos adhuc ſecum Genitzaros habebat. Hi Muſam monebant, ut ſecum iret; ſimulque pollicebantur, ſe illum aliò deducturos; ſed noluit hoc facere. Quapropter etiam ipſe Ganitzarorum Aga ſive tribunus ad Sultani Muhametis partes tranſiit, in ipſo prœlii pugnandi principio. Narratur deinceps Genitzaris, qui huic interfuerant prœlio; poſt ipſorum Agæ diſceſſum, adhùc cum Muſa manſiſſe Tzohadarem Agæ, hoc eſt illum, qui à tergo pluviam ei veſtē portare ſolebat. Hic Tzohadar antè quàm & ipſe transfugeret: acinace ſtricto, nec opinantem Muſam adgreſſus, totis viribus humerum ejus vulnere graviſſimo ſic læſit; ut amplius in hoſtē Muſa dimicare non poſſet. Hoc facto, Tzohadar ille fugam arripuit. Fugit & Muſa, ſuos deſerens

Genitza-

Genitzaros: & inter fugiendum accidit, ut equus eius in fossam caderet. Quippè læso, ceu diximus, humero: non ampliùs ea vel manus, vel brachii vis erat, ut equum inhibere ac regere posset: ac multò minùs viam norat, qua fugiendum esset. Habebat Musa mācipium quoddam, cui nomen Sarutzes. Is confestim abiit, & equo Musæ domini sui tendines incidit: unde factum, ut humi collaberetur. Hinc Musam captum ad Sultanum Muhametem deduxit; nec multo post, advenante vespera, suffocatus ex Osmanidarum instituto fuit: ipsumque cadaver extincti Burusam deportatum: ut illic propter avi Muratis monumentum & ipse conderetur. Leunclavius lib. 11.

6. Muhamet, ad quem tandem Turcicarum rerum summa pervenit; etiam patre captivo, adhuc dum vivente, indolis suæ præclaræ, heroicæque, illustria documenta dedit: dum Tartaricorum procerum grassationes, in provinciis Asiaticis inhibuit; illustresque ab iis victorias reportavit. Sanè quo tempore Gilderun Baiasites, cum Temure Chane prœlio congressus, infelici maximè [illegible]u hostis in potestatem venit: quindecim duntaxat annos ipsius filius, Sultanus Muhametes, natus erat; & regias duas, beneficio patris, Amasiam Tocatamquè, vicinâ cum provinciâ tenebat. Incolæ Turcicarum regionum, ob insolentiam potitorum victoria barbarorum, perpetuò pro familiâ, liberis, coniugibus suis excubare cogebantur; nonnullis in exsilium ultro commigrantibus, ne calamitatem oppressæ patriæ, suis diutius oculis intuerētur. Muhametes ipse, quùm illa pugna nobilis, inter patrem

Gil-

C[illegible] & Temurem committeretur, rebus [illegible] desperatis, erecto vexillo, cum animosissimis quibusque Rumiliæ superioris Asiaticæ militibus, aciem Temurianam perrupit, in regionem Rumiliam, quam diximus, per medios hostes penetravit, innumeras occurrentium in itinere sibi Tatarorum copias fudit & fugavit, ac tandem ad vrbem Tocatam salvus pervenit. Eò quum pervenisset, nuntiatum subito fuit, adesse Temurianum principem, nomine Cara-Deulet Schach, (id significationem Nigri principis felicis habet) qui regnum occupare nitatur, & Temuris mandatum ubique certioris instar signi, quibusvis exhibeat; quo sibi donatam adferat regionem: populum vero, pro metu ac formidine, cepisse huic obedientiam præstare. Sequi hominem mille plùs minùs latrones. Quocumque veniat, omnes ei se summittere recusantes è medio tollere; populari agros, cetera direptioni suorum exponere. Ni maleficiis ipsius obviam eatur, brevi regnum in potestatem ab eo redactum iri. Hæc cum renuntiata Sultano Muhameti fuissent, nimiùm quantum commotus, suos circumstantes adspexit, & ; Quid vobis, ait, de hoc negotio videtur, ô proceres? quod nam ei quærendum putatis, & adhibendum remedium? Responderunt omnes: Ita feliciter omnia cedant fortunato Sultano nostro, ut animosè cum Cara-Deulete Schacho pugnabimus. Hodiè vita fruimur, hodiè morimur. Tum Sultanus Muhametes, pro temporis & loci ratione, paucissimis eos verbis adfatus; Viriliter, ait, vos gerite. Quis ille tam impudens canis est Cara-Deuletes Schachus, ut regnum

num meum ingressus, colonis & subditis meis [illegible] inferre molestiæ, doloris, iniuriarum audeat? Ergo dum illi Muhametis obtemperaturi mandato, copias colligũt, & omni adparatu prælio cõmittendo semet accingunt: explorator ab ipso Sultano speculatum mittitur, ubinam locorum hostis ageret, quantas secum duceret copias, quid moliretur? ut de his certi aliquid Sultano renuntiare posset; conatibus inimicorum obviam ituro, quùm primum rationes & consilia ipsorum explorasset. Discedens hic à Sultano speculator, ad hostem Cara-Deuletem Schachum, perexiguo tempore venit. Is in oppidum Cagialim diverterat, quod in Galatia situm, priscis Aegialus erat, & Cobialus, quæ duo [illegible]boni sunt eiusdem loci nomina. Suas istic res curabat, & paucos suorum secum habebat: quâ de causâ, vix hominis opprimendi commodum inveniri via poterat. Quare quum reversus speculator, hanc in maximo ponendam lucro [illegible]et occasionem, Sultanoque præterea [illegible]et, Cara Deuletem Cagiali, cum sexcentis duntaxat herere militibus, socordem & ignavum: mirifice placuit ea Muhameti occasio, quã [illegible] ambabus, ut dici solet, manibus arripuit. Itaque mox instructis Rumiliæ copiis, & tam [illegible] quàm omni bellicorum instrumentorum genere munitis, eo profectus est. Degebat, ut diximus, Cagiali Cara-Deuletes Schachus, metus omnis expers, & planè securus: in quem nihil tale cogitantem, & imprudentem, summa celeritate Sultanus Muhametes adductis equis irruere [illegible]. Cara Deuletes autem Schachus, cognito Muhametis adventu; minimè propterea

Hh terri-

territus, equum aſcendit, & obviam Sultano progreſſus, alta voce exclamavit: Infans es, & puer, ô Muhametes. Lac matris adhuc in ore tuo foetet. Quanam dignitate, quo magiſtratu prædi-tus, Sultani nomen uſurpas, & regnum ambis? Apagè verò, imaginarium illum tuimet ipſius amorem ex animo miſſum facito, resque tuas agito. Præſtat huic te cogitationi valedicere. Pater tuus, & fratres tui, miſeram in captivitate vitam agunt; te de regno litigare, tali rerum ſtatu, perquàm abſurdum eſt. Ni vano temet amore proſequi deſieris, ſed omninò præliari nobiſcum perrexeris; mox omnibus, quid tecũ equidem acturus ſim, adparebit. Poſteaquam hæc Cara - Deuletis verba, Sultanus Muhametes audiviſſet; indignatus ad hominem paullò propiùs acceſſit, eoque compellato: Hem delire ſenex, ait, & omnium ignaviſſime, tune teipſum tantoperè jactitas? An eſſe te hominem oblitus es? Simulator inſignis, barbam in moletrina dealbaſti. Neminis adhùc congreſſum cum hoſte, neminis pugnam vidiſti. Si maximè pater meus captivus eſt, quem libertati ſuæ divinitùs opto reſtitui, & reſtituturum iri confido: tamen heic ejus ſucceſſorem vides, qui te tibi, qui vir ſis, demonſtrabit. Simul ipſe, quid de te facturus ſim, videbis. Hæc dicens, hymnum Muſulmanicum occepit; ac numine ſuo fretus, nudato brachio ſtrinxit acinacem, & in hoſtem irruit. Ictus enſium & pusdoganorum, ingentem, creſcente prœlii ardore, ſtrepitum excitabat. Iam ab omni parte pugnabatur acriter, quùm miles quidam Sultani Muhametis, vir bellicoſus, rectà in Cara-Deuletem Schachum contendit; ſagittam è pha-
retra

petra deprompsit, & exspectatâ paullum occasione, dùm jam ad dextram, jam ad lævam adductum teneret arcum; tamdem sagittam excussit, quæ fatali & divinâ sorte quâdam, in oculum Cara-Deuletis Schachi penetrans, ab alterâ parte capitis exiit. Quapropter oborta vertigine, statim ex equo decidit, & in frusta discectus à Sultani militibus fuit. Quos secum habebat juvenes natione Curdos, ii partim a Muhameticis occisi periere, partim fugâ dilapsi sunt; partim se militiæ Sultani Muhametis addixerunt, & fidelissimam deinceps ei navárunt operam. Potitus hâc secunda victoriâ Sultanus, & singulari cum lætitia reversus, cibo & potu se cum suis recreavit, nec animi tamen interim remissa sollicitudine, ac vigilantia, semper in omnes regni partes circumspexit. Leunclav. lib. 3.

7. Amicitiam Græcorum constanter coluit hic Mahumetes; & ea etiam, ipse sæpius commodo fuit. Iam enim, adhuc cum Musâ fratre diffidens; fœdus cum Emanuele init: idque sancitum fuit, his fere legibus: Neuter alteri damnum inferret, vel impedimento esset. Si regno Europææ Rumiliæ consequi Sultanus Muhametes posset, omninò principem Constantinopolitanum omni honore adfectum coleret, reque gratum exhiberet: sin ab hoste Musa Zelebi victus profligaretur, debere principem Constantinopolitanum paratas habere naves, quibus & ipsum Muhametem, & suos, absque morâ posset ex Europâ in Asiam transvehere. In hanc quoque sententiam præstitum utrinque sacramentum. Interea verò, dum hæc tractarentur, bellū è regione Constantinopoleos, in Anatolia Sulta-

nus Muhametes, ad aliquot dies; & exceptus à principe Constantinopolitano splendidissimis epulis fuit. Hinc transportatis in Europam, Græcorum operâ copiis suis, statim Muhametes illinc discessit. Cumque aliquando, Mahumetes, à fratre Musâ profligatus esset; is tantummodo cum centum è suis (summum ducentis) retrò cedens; in viam Constantinopolim ducentem se dedit, eamque sequutus eodem adhûc die, vix credibili fugæ celeritate usus, Constantinopolim venit, & urbem ingressus est. Ibi providentiâ Constantinopolitani principis, navigia parata reperit, mare trajecit, Burusam perrexit. Exceptus à populo Burusæo, cum veneratione singulari, & honorificâ in urbem pompâ deductus fuit. Interim verò, dum ipse hoc esset in itinere, confluxere Burusam omnes tam equestres, quàm pedestres copiæ, in quibus erant hominum bello idoneorum ad X C I Ↄ. quibus jam collectis, discessum Burusâ, rectaque Ialacovam itum: quo militum suorum arma ferrea, cum loricis vehi curaverat. Indè quùm ad Bospori litus pervenisset, principi Constantinopolitano per internuntium significari jussit; se jam cum copiis suis adesse. Lætus adventu Sultani princeps, illicò naves paratas adduci jussit, Sultano ipsemet obviam profectus est; omnem in excipiendo venerationem & honorem exhibuit: in augustali palatio quodam locum hospitii dedit, epulas magnificentissimas instrui jussit. Inter alia cum Sultano colloquia, gravissimas etiam de illatis sibi à Musa Bego, injuriis, magno cum animi dolore querelis miscuit. Quibus auditis, consolatus principem Constantinopolitanum,
Sulta-

ultanus uMhametes: Equidem tuas, ait, injurias vindicabo, qui hanc in communem hunc hostem nostrum expeditionem suscipio; cui tu quoque nobiscum intereris. Ad quæ Constantinopolitanus imperator, respondens: Admodùm, inquit, consenui, nec ad tolerandos expeditionis hujus labores, in effœto corpore vires suppetunt. Nihilo minùs, ætatis à Sultano id temporis, impetratâ veniâ; Christianorum militum, non exiguam ei manum adjunxit. Leunclav. lib. 11. Vndè etiam Chalcocondyles, lib. 4. scribit: Cum Græcis Mechmeti, perpetua amicitia fuit; quapropter Emanuel Byzantii Rex, cùm in Peloponnesum venisset, Isthmum muro cinxit: & Peloponnesios, ubi Isthmum muro circumdedisset, accersivit. Isthmus universam Peloponnesum, ut in insulæ formam redigatur, cōcludit, extendens se à mari in mare, quo spacio colligit quadraginta duo stadia. Eò loci Isthmia celebrare, Græci consueverunt. Extendit se ab urbe Corintho, ab stadia viginti quinque. Isthmum autem, accedente cum hostilibus copiis Xerxe Darii filio, contra Athenienesẜ, muro cōplexi sunt Peloponnesii; arcere volentes barbarum Peloponnesi accessu. Posteà etiam Iustinianus Romanorum Imperator, muro Peloponnesum inclusit. Emanuel igitur cùm pax intercessisset cum Mechmete, Paiazitis filio, in Peloponnesum veniens, fratrem Peloponneso præfecit: Isthmumque muro firmavit undiquaque: & tributum imperavit Peloponnesiis, quò Isthmum defendere posset. Edixitque, ut omnes in Isthmo convenirent: qui edicto parentes convenère, congregatique murum extruxère, cum quilibet

pro se sedulò suum opus exequeretur. Vbi autem ad finem deductum est ædificium illud, Peloponnesi duces capti, qui longo tempore regionem tenentes, pariere recusabant Græcorum ducibus, nisi quando & ipsorum ibi quoque verteretur utilitas. Captos secum Byzantium ducebat, interim diligenti custodiâ Peloponnesios circumdans. Captos quidem duces secum trahens, abibat ex Peloponneso. Sed interim dum cum Græcis, pacem habuit Mahometes, is Venetos bello lacessivit: ut idem Chalcocondyles refert.

8. Mortuus est Mahometes, A. C. 1422. Et cùm ægrotare cæpit, statim filium suum natu maximum, Muratem Zelebim, (hoc est, nobilem seu Principem Nobilitatis) regni hæredem declaravit. Simulque arcessitis consiliariis præcepit, ut absque mora filium suum primogenitum Muratem, adduci curarent. Illi verò, perspectâ voluntate sui principis, Eluanum Begum, primum inter prægustatores, quem Turci Tzesnegirum bassam dicunt, advocandi Muratis causâ miserunt. His non contentus Sultanus Muhametes, eosdem vezires suos adpellans: Fieri potest, inquit, ut etiam ante Muratis adventum ipse moriar; eaque de causâ, non leves in regno meo turbæ exorïantur. Quamobrem summo studio danda vobis erit opera, ne priùs, quàm Murates adfuerit, de morte meâ rumor in vulgus emanet. Heic omnis adhibenda cautio, ne quis me decessisse recîscat. Hoc supremo voluntatis elogio nuncupato, mox cum divino nutu mors occupavit. Posteaquàm Deo sic jubente, res humanas reliquisset. Interim ipsi vezires in Diva-

Divano, cottidiè conveniebant: timaria, ſanzacatus, & officia dignitatesque ceteras conferebant: hos ſuis muneribus ſpoliabant, illos viciſſim evehebant; quaſi ſi vivus ac ſuperſtes Sultanus hæc ita fieri juberet. Præterea medicus Sultani, cottidiè velut ad ægrum in oculis omnium intrabat, ac rursùm egrediebatur. Ceteri quoque medici, cum variis pharmacis accedebant. Simul ad Eluanem Begum, veredarii citra intermiſſionem cum litteris mittebantur; quibus urgebatur, uti quamprimùm expediret id, cujus causâ miſſus iu Aſiam fuiſſet. Accidit tamdem aliquandò, ut Silichtarorum equitum prætorianorum legio tumultuaretur: & in ipſos Baſſilaros irruens, diceret; velle ſe modis omnibus, Sultanum ac regem ſuum videre. Mirari namque, cur nunquàm prodiret, ac ſe conſpiciēdum præberet. Ad ea reſpondentes Baſſilari: Non ſinunt, aiebant, eum exire medici, ne valetudine non ſatis adhûc confirmatâ, rursùs in morbum incidat. Tùm verò Silichtari equites: Nos omninò, reſpondebant, ad Sultanum noſtrum ingrediemur; ut eum coràm inſpiciamus. Videns Chazis Eivaſes, ab ipſis tam ſeriò rem agi: Duntaxat hodiè, ſubjecit, quieti ſitis, & ipſum quiete frui ſinite, quùm medicamento ſit uſus. Craſtino die, Sultanum vobis in Divanum exportabimus, ac liberum cuique veſtrum erit, ut ipſum in Divano ſedentem intueamini. Aderat illîc medicus quidam, cui nomen erat Giordiran. Is ad Turcos, è Perſide ſe contulerat, & Gilderunis Chanis medicus fuerat. Verſutus vir hic longeque vaferrimus, fraudem ac dolum inſignem adhibuit; uti tumultuantibus Silich-

taris fucum faceret. Quippè sub veste Sultani, vel cadaveris potius sedentis, à tergo puerum quemdam abdidit: eâ quidem industriâ, manus ut mortui moveri posset, atque ita sursum erigere, barbam suam ut demulcere ac tergere videretur. Hoc modo, cadavere Sultani ad Divanum exportato, statim ex composito medicus hic, quem diximus, ad Bassilaros accessit, tulipantum ad terram, velut indignabundus abiecit, ac voce gravi eos objurgare se simulans: Quid, inquit, istuc esse rei dicam? Itáne Sultano plenè convalescendi spatium nullum dabitis? qui vix curatum in morbum si reciderit, tot sollicitudines nostræ, quibus hactenùs eum pristinæ valetudini restituere conati sumus, tot labores, absque fructu scilicet omni perierint. Equidem, quid de hoc facto vestro dicam, nescio. Tum Chazis Eivases bassa: Condona nobis, inquit, ò medice, quod omnino facere nos, vel invitos oportuit. Nam Agalari, & equitum hi tribuni, Sultanum nostrum suis intueri voluerunt oculis. Res nunc periculo caret, nec est, quod amplius metuamus: quùm meliùs habere princeps incipiat. Hoc modo, pacari se passi fuerunt Agalari, sive tribuni prætorianorum equitũ, posteaquam suis ipsimet oculis, Sultanum barbam suam tergentem conspexissent, visique certiores de Sultani valetudine facti: ad operas quisque suas discesserunt. Medici quoque duo, Sultanum ab utroque latere corripuerunt, & intra seraii sui conclavia reportarunt.

Aliquot filii Baiazitis, post patrem successivè imperant. 1.2.
Fratrum bella civilia, tantum non Turcicam Remp. everterunt. 1.2. &c.

Isa Begus, a fratre Muhamete, ætate juniore, fugatur, Regnoque exuitur. 3.
En is Suleiman, occisus à fratre Musa. 4.
Musa verò, a Mahumete. 5.
Muhametus auspicia, & felicia contra Tartaros pugna. 6.
Is Tartaricum Ducem, titulum donationis à Temure prætendentem vincit. 6.
Cum Græcis ipsi bene convenit. 7.
Amicitia Græcorum Turcis sæpè profuit: semper verò nocuit Christianis 7.
Mahumetis mors, callidè occultatur. 8.

IX. *Amurathes.* II.

A.C. 1421.

MOrad Cham, sivè Amurathem II. Filium Mahometis; primùm patruus, deindè filius, uterque Mustapha dictus, à Græcis armati, per triennium irrito conatu oppugnârunt. Ipse verò Thessalonicam & omnem Græciam, usque ad sinum Corynthiacum occupavit. Cumque jam victricia arma, Illyrico & Serviæ intulisset, ac oppugnationem Belgradi, in Hungaria tentâsset, fortissimum suæ truculenlentiæ repressorem, Johannem Hunniadem invenit: à quo quinquies victus, in eam rabiem est conjectus; ut de morte sibi conscienda cogitaret. Interim his Amurathis cladibus, Caramannus Ciliciæ Princeps excitus, Provincias Turcorum

in Asia invasit: Ideoque Amurathes, pacem in decem annos, ab Hungarorum Regeius conditionibus petiit, quibus victor vel et. Quam cùm Pontificis Eugenii, exitiali inductu, rupisset Uladislaus; & ipse, & cum ipso post triduanam pugnam, in Varnensi clade 30000. Christiani occubuisse feruntur. Amurathes deindè, effracto ad sinum Corynthiacum hexamili muro, totam Peloponnesum occupavit: inque Hungariam reversus, ab Hunniade victus; eum iterum sævâ & funestâ mercede vicit. Tandem cum Georgius Castriotus Scanderbegus, Epirum, paternũ Regnum, & præterea Macedoniam Turcis ademisset, ac ingentia facta adversus eos perpetrâsset; obsidionem Croianam solvere coactus, tantâ indignatione est correptus, ut Anno 1450. manibus sibi (ut nonnulli perhibent) præmorsis, moreretur.

*2. Filius Baiasitis Mustapha, in prælio, quo Temir Baiasitem vicit, periit. Idque licet Sultanus Machmetes primus, itemque Murates II. post mortem patris, sæpius verum esse protestarentur: tamen usque adeò Græcis impietas de hoc diversa erat opinio: Mustapham ut alium, pro legitimo se venditantem, obviis ulnis exceperunt, & armis contra Muratem magna cum impru-

imprudentia, maloque ſuo, tuerentur, offerente amplissima quæque Murate, modò neutrius à partibus ſtarent, ac ipſos inter ſe rē armis decernere paterentur. Leunclav. *Pandect. c. 64.* Idemque de Muſtaphâ Duſme, hoc eſt, ſuppoſititio, *latè lib. 13 hiſt. Muſulm.* agit. De eodemque Annales Turcici, fol. 24. ſequentia habent. Poſtquàm Sultanus Murates, Pruſæ, patris cadaver, monumento intuliſſet; ſtatim ſequuta fuit defectio, omnium ab omni parte procerum. In Romania namque pro Sultano ſe quidam gerebat, cui nomen Dusmes Muſtaphas. Is filium ſe Gilderunis Chanis profitebatur, & plerunque ſolebat in opido Vardario degere. Tranſierunt in partes ipſius etiam proceres quidam ejus familiæ, quos Eurenoſes begos vocant. Horum ſubſidiis adjutus, Serras obſedit: quæ quidem urbs, una cum arce, mox deditionem fecit. Hinc progreſſus ulterius, Hadrianopolim ire perrexit: quò quùm acceſſiſſet, incolæ portis recluſis, ejus ſe fidei poteſtatique permiſerunt. Ad ſummam, tota Romania in partes ejus conceſſit. Poſteaquàm Sultanus Murates, qui hoc tempore Pruſæ degebat in otio, de hiſce motibus certior factus fuiſſet: Baiaſitem baſſam copiis inſtructum miſit, qui hunc regno depelleret. Quùm primùm is Hadrianopolim in Romaniam veniſſet, ab hero ſuo defecit, ac Duſmi Muſtaphæ ſe dedidit: à quo viciſſim Veziris dignitate fuit ornatus. Eidem & Iſmyræ princeps, Chuſeines begus, ſemet adjunxit. Magnum autem peditum numerum, quos Azapos vocant, collegit Dusmes hic Muſtaphas; & inſignia conceſſit illis privilegia, qui ſponte militiam ipſius ſectabantur. Quùm igi-

tur ingentem jam coegisset exercitum, eo consilio discessit Hadrianopoli, ut Prusam contenderet. A quâ urbe, quùm jam itinere unius diei abesset, Vezirem suum, Baiasitem bissam, supplicio capitis adfecit. Interim Murates quoque, de bello gerendo cum suis deliberabat. Suadebant verò, qui huic à consiliis erant, ut Mechmetem begum, Michaelis filium, è carcere Tocatensi revocaret, ac libertati restitueret. Hunc igitur arcessitum è custodia, secum in expeditionem hanc Sultanus Murates sumsit, ac Prusâ relictâ, ad amnem Vlubatam processit, & juxta pontem castra metatus est. Eodem quũ & Dusmes Mustaphas venisset, ex alterâ parte pontis locum castris delegit. Hoc modo collocatis ex adverso copiis utriusque principis, Mechmetes begus, Michalis filius, militibus à Dusme Mustaphâ stantibus, cognoscendum se præbere, ac peramanter eos cõpellare cæpit. Quo facto, quũ proceres atque milites, qui se cum Dusme Mustapha hâc expeditione conjunxerant, Michalis filium adgnovissent; noctu fluvium Vlubatam transgressi, ad Sultanum Muratem se contulerunt, eique se dediderunt. Id ubi Dusmes Mustaphas fieri vidit, ad amnem Bugam profugit: magnaque pecuniæ vi Bugæ opidi Cadio donatâ, ejus ope salvus evasit: & propter Gallipolim trans fretum in Romaniam reversus, ibidem ad aliquod tempus quievit, navibus in terram subvectis. Eum sine mora sequutus à tergo Sultanus Murates, copias suas mercatorum navigiis impositas, in adversum litus vehi curavit, & castris in Ezea planicie locum cepit. Tum vero Dusmes Mustaphas motis castris, versus Bolairem

[illegible]tem fugâ se recepit: unde quum Hadrianopolim pergeret, a suis desertus fuit. Nec multò post captus & Hadrianopolim, ad Sultanum Muratem perductus; illius jussu de pinnâ quadam [illegible] murum urbis suspensus, laqueo vitam finiit. Mox ibidem Sultanus Murates in regium thronum collocatus, & Imperator à suis salutatus est, Anno Chr. 1425. Praeter illud autem stratagema, quo Mechmetes begus Michaloglius, Mustaphaeos proceres ac milites in partes Muratis adtraxit; aliud etiã Laonicus Chalcocond. memoriae prodit quo singularis vafriciei commento, res pariter ac spes omnes Mustaphae funditus everiae corruerunt. Ait enim, missis ad Graecorum Imperatorem ac proceres, tam à Murate quam Mustapha legatis, Graecos tandem re deliberatâ Mustaphaeis adsensos, Murataeorum postulata rejecisse. Tum verò Murataeos [illegible] in castra, maximâ cum festinatione reversos; mox falsum sparsisse rumorem, quo Graecos adfirmabant, Muratis partes amplexos. Fa re per transfugas, ut fit, in hostium quoque castris delatâ, summopere perturbatos Mustaphaeos, quorum legati cum peroptato Graecorum responso necdum adpulerant; abjectis animis, vel Muratis se gratiae ac fidei permisisse, vel fugae saluti consuluisse: quod ab ipso quoque Mustaphâ factum fuit. Memorabile profectò exẽplum, quo pacto nonnunquam in bellis res maximae, rumoribus vel prosperis, vel adversis, cũ dexteritate sparsis, perficiantur. *Leunclav. Pandect. cap. 41.*

3. Referunt quidem Turcici Annales, Muratem, ut Mustapham fugientem opprimeret, quũ

omnes ad Hellespontum propter Calliopolitanum traiectum naves, in terram ille subduxisset; mercatorum impositas navigiis, copias suas trans Hellespontum vehi curasse. Quibus in verbis, quinam illi mercatores fuerint, non exprimitur. Sed Laonicus, rem disertiùs exponens: Præverterat, inquit, Amurathem Mustaphas, Callipolim transfretando. Amurathes verò nactus Ianuensium navim maximam, quæ fortè adpulerat, cum gubernatore paciscitur, ut secum Peregrinis, & militibus Ianuæ, (hoc est, Stipendiariis & Portæ Militibus) reliquisque copiis, in Europam transveheret. Mercedem gubernatori solvit maximam; quantam pollicitus pecuniam fuerat, impigrè numerando. Hinc ergò iam cognoscitur, mercatores illos fuisse Genuenses, quibus alii Muratem, in singula transvehendorum capita ducatos singulos, alii binos solvisse memorant. Et notandus hic locus tam Laonici, quam annalium; propter nostrorum alucinationes, quorum alii navatam hanc Turcis aiunt à Genuensibus operam tempore primæ Turcorum transiectionis in Europam; alii referunt ad id tempus, quo rescissis auctoritate Pontificis induciis, quas Vladislaus Polonus Vngariæ rex, cum Murate pactus fuerat, Eugenius IIII Pontifex, & Italiæ principes, Vngaro promiserunt, se triremibus obsessuros Hellespõtum; quò minùs ex Asia Murates, ubi bellum contra Caramanum gerebat, in Europam transmittere, conatusque Vladislai regis, Europâ Turcos eiecturi, posset impedire. Quo sanè tempore, si Genuenses transportandis Turcis operam Murati navâssent: ceu pessimè de totâ me-

riti republicâ Christiana, diris omnium devoti fuissent. Sed hoc quidem eos Laonicus & annales hi crimine liberant; quùm interim negari nequeat, hanc Genuensium, privatorum tamen hominum operam, in hoc tempore contra Mustapham Murati præstitam, non leve Græcorum rebus adtulisse damnum; ac proindè ceteris etiam totius Europæ populis Christianis noxiam fuisse. *Leunclav. Pan. ect. c. 89.*

4. Chalcocondyles porrò, libr. 5. pluribus enarrat, quâ ratione Græci, hunc suppostitium adjuverint Mustapham; & ita, inter alia scribit. Græci Mechmetis morte, & Amurathis in regnum successione acceptâ; accersebant è Lemno Mustapham, qui Paiazitis ferebatur esse filius, & tum temporis in Lemno agebat mediocri custodia, a Græcis asservatus. Cùm autem hi qui Mustapham vocatum ierant, prohiberentur ventis adversis, qui transitum à Lemno in Hellespontum violenter eo tempore auferebant, regemq; in Europa constitui oporteret: triremibus intercipiebant Amurathis in Europam trajectum: Propontidem & Hellespontum intercludentes, ne posset traiicere. Ipsi verò navigaverunt Callipolim, quæ est urbs Cheronesi, rerum omnium abundantiâ affluentem: ut ibi in colloquium cum advenienre Mustaphâ veniret. Quẽ ubi imposuerunt regem Europæ, petentes ut sibi restitueret Calliopolim, facilè impetrarunt. Hic quidem Græci, semetipsos, resque suas planissimè perditum ivere: præ nimia imprudentia: urbsque eorum parùm abfuit quin capta & direpta ab Amurate fuisset. Nam duces Amuratis, relicti in Europa ab Mechmete patre, ut filio in

regnum

regnum succedenti obtemperarent, accessere ad Byzantium regem, petentes ne in præsentiarum Græci dissentire velint: néve ipse quid contra ea, quæ promisisset regi Mechmeti, novarum rerū cupidine moliretur. Pajazites, unus de numero optimatum regis, declaratus judex & dux Europæ, legatus ibat ad regem Byzantium adhortans eum ad fœdus faciendum, quo iuberetur ipsi auxiliaris esse, si quando usus postularet Et quò magis regis animum commoveret, offerebat obsides 12. nobilium filios His addebat, aureorum myriades 20. nec non regionem plurimam Callicpoli adjacentem; quamcunque eò loci Græci petissent. Hæc quidem pollicebatur, & dabat, ut Mustapha rex Byzantius missum faceret, neutrisque suppetias ferret: sed ipsos potiùs sineret concurrere infestis armis: eumque quem belli eventus regem declarasset, regno præesse pateretur. Hæc præconis voce, ad Ioannem, tum Græcorum regem iuvenem, nec quicquam moderati, ut sibi pararet regnum, cogitantem, referebantur. Arbitrabatur namque, res suas melius habituras, si illi inimicitias inter se gererent hostiles: seque feliciore rerum successu usurum quàm hactenus, si inter se discordias fovissent. Etiam hinc magnam sibi pollicebatur felicitatem fore; si ambo suâ operâ indiguissent. Præterea hæc cogitatio eius subibat animum: Quòd si inter se diviserint regnum, & id super utroque recubuerit; fore ut facilè superare possit utrumque: cum neutri, quantùm ad regni magnitudinem spectat, tum sit cōferendus. Id autem commodissimè evenire putabat; si regnum inter se distribuerent, & ambo regnarent: post longè
aliam

aliam tenebat sententiam. Totus namque stetit à partibus Mustaphæ. Pater autem Ioannis, qui regnum administrabat, diversum à filio sentiebat. Nam censebat, fœderum religionem nec temerandam, nec violandam esse: & qui id fecisset, nihil boni ei unquàm eventurum: nec quicquàm prohibere, quo minus cū errato suo pereat penitùs. Verùm hæc in deliberationem proponenda esse ei, qui deliberet utri parti sit adhærendum: ab hac parte locentur opes regni, & peregrinorum militum robur: ab altera, quæ modo diximus, ponantur. Illa quidem dubiam facit electionem. Hæc etiam ambiguitatem inferunt, dum cogitaret qua & quomodo regnum sibi subiiceret, & interim Græcorum res in summum adduceret discrimen. In hunc modum ad utramque partem, Græcorum animi propendebant. Vicit tamen sententia, quæ iubebat regem iuvenem, qui rerum tum potiebatur, sequi quocunque duxisset. Proindè adiungebantur Mustaphæ, eumque regem pronunciarunt: hac tamen conditione ut Calliopolim amissam reciperent. Quomodo autem interfecto Mustaphâ, Amurathes, expeditionem susceperit contra Græcos, ipsumque Byzantium frustra obsederit, (lib. 5.) Chalcocond. refert. Amurates, ait, Mechmedis filius, aggressus murum, ubique admotis bombardis, & aliis machinis, eum capere nitebatur. At Græci mœnia fortiter defendebant, de fossis deturbantes peregrinos regis. Quidam amputatis capitibus, devolvebantur ad suos. Amurates cum nihil efficeret, licet omnia tentaret, quæ ad urbem capiendam pertinerent; tristitia affectus est: & animi anxius, usque putabat se ur-

se urbem occupaturum. Moras igitur cùm necteret, nec ab urbis obsidione discederet, Græcorum legati veniunt, pacem & fœdus petentes. At ipse Græcos in fœdus suscipere aspernabatur: nec multis diebus pòst, re infectâ domum reversus est. Copiæ verò ejus omnes, dilabebantur ad sua. Græci legatos ire jusserunt ad Amuratem, oratum pacem: quos dimisit Amurates, ipsorum petitionem aversatus. Cùm igitur Græci afferrent summis votis pacem, nec tamen eam impetrarent, ad Mustapham convertuntur, Mechmetis filium. Eâ tempestate, is apud Caramanum agebat, victum & necessaria ab eo capiens. Missis igitur legatis, Græci Mustapham Mechmetis filium, cùm natus esset annos tredecim, accersunt. Puer, ubi Byzantium venit, sermones sparsit per Turcos, magnis promissis eos accendens, prehensabat singulos, quibus promittebat duplum eorum, quæ sub Amurate habuissent, accepturos. Et quidam Turci, at pauci, ad puerum istum transfugiunt. Puer autem transgressus in Asiam, auxilio Græcorum regis instructus, locũ qui templum nominatur, expugnavit. Iter facienti per Asiam, Turci qui ibi erant adjungebantur; ut qui esset regis filius. Ibi tum Aliazes, cognomento Saraptares, sive pocillator, cui ab Mechmete puer ille commissus erat; per proditionem Amurati, puerum tradere paciscitur. Pactis autem fatis firmatis, conclusum est, ut puer Amurati proderetur. Misso itaque nuntio, significavit Amurati, ubinam terrarum puer ageret. Cùm puer Nicæam venisset, urbem eam cepit: & cum ibi moraretur, optimates Turcorum conciliabat. Hyems erat, quâ prohibebatur

puer

puer longius procedere. Amurates cùm intellexisset puerum Nicææ versari, nunciante id Aliaze Sarapetare; assumptis sexies mille Ianuarũ militibus, venit quàm ocyssimè in Hellespontum: & transiens, rectà abiit in Bithyniam. Et cùm inopinatus, & improvisus irruisset in urbem, puerum ab Aliaze proditum comprehendit: puer enim excitus tumultu, confugerat ad Aliazem, cui obediebat; ut se defenderet ab imminenti periculo. Aliazes puerum metum omittere, & bono animo esse jubet; & sic ejus fratrem expectat. Cui ubi in regiam urbis sedem processerat, puerum in manus tradidit: quem acceptũ laqueo, ut moris est regum illorum præfocavit. De ultimo seu secundo hocce Mustapha, latè etiam agit Leunclavius, *lib.14. hist. Musulm.* & inter alia, *col.526 ac seq.* ita scribit. Ilias begus Serabdar, insidentem equo Mustapham amplexus, adprehendit. Mustapha verò, Serabdarem adlocutus: Hem mi Lara, mi tutor, ait; cur mihi manum iniicis? ut tuum, inquit alter, ad fratrem te deducam. Vicissim Mustapha: Ne me, quæso, fratri meo tradideris, quem mei non miserebit. Ilias autem Serabdar, ad ea nihil respondens, Mustapham ad Sultanum Muratem adduxit, & mesiti tego exhibuit: qui statim Sultano Murati hominem obtulit. Murates verò, mox eâdem horâ mandavit, ut carnifici traderetur, familiari Osmanidarum genti supplicio necandus; quo cavere se dicunt, ne vel gutta pretiosi sanguinis illius Osmanei profusa, solo spargatur. Et hoc quidem mox factum, extinctique cadaver, Burusæ propter monumentum patris conditum, à populo Burusæo, secundum ritus in lege Muha-

metana

metana præſcriptos fuit. Ilias Serabdar interrogatus; quamobrem proditionis infami notâ ſe contaminaſſet, reſpondit: Specie quidem tenus, adoleſcentem ſe prodidiſſe; ſed intrinſecus hominis ſe functum officio fideliſſimi. Quippè ſi fratres illos duos, armis inter ſe diutiùs concurrere ſiviſſet; extremo regnum detrimento adfecturos fuiſſe. Quapropter unius hominis peculiare damnũ, minoris æſtimari debuiſſe damno publico, & omnibus communi. Semper in hac opinione viros fuiſſe ſapientes, nec non ita ſemper factitatum. Acciderunt hæc Anno Chr. 1424. Eodem anno, Murates etiam Conſtantinopolim, terrâ marique circumdatam, obſedit.

5. Non mirum autem eſt, Amurathem tanto in Orbe Chriſtiano progreſſu, graſſatum fuiſſe. Non enim parùm juvit Turcicos conatus, diſtributio Imperii Conſtantinopolitani, in ſeptenos Emanueli liberos, quâ re, ita divulſa eſt potentia illa, ut Amurathæ ſtatim præclaræ occaſiones oſtenderentur Græcia & vicinis locis potiũdi. Diviſio hæc, peperit inter fratres & cognatos civilia bella: quæ ſi unus ſolus imperâſſet, facilè evitari potuiſſent. Sicque Amuratha diſſidentibus in Peloponneſo, quæ nunc Morea dicitur, fratribus duobus, Thoma, & Demetrio; quorum tertius frater eſſet Conſtantinus Palæologus ultimus Imperator Cõſtantinopolianus, vel quòd bello hi premerentur ab Albanenſibus, auxiliumque iis implorantibus Amurathæ; tributum ipſi pendere coacti deinceps fuêre. Hoc cùm ſolvere aliquandò recuſarent, neque ſtarent promiſſis, cauſam nactus Amuratha, Peloponneſum illis ejectis occupavit. Demetrius ad Amuratham,

rathain, Thomas Romam ad Pontificē conceſſit: ubi mortuus reliquit filios ſuperſtites duos, & totide filias. *Ioach. Camerar. in narrationib. Turcicis.* Genuenſes etiam, Græcis bellum intulerunt; ipſamque Cōſtantinopolim obſederunt. Ii enim liberati bello, quod geſsêre parùm feliciter cum Scythis in Boſporo habitantibus; navigarunt verſus Byzantium, veneruntque Galatiam (quæ & Pera) urbem, quæ è regione Byzantii, eſt ſita. Ibi conſultarunt communiter, quomodò Byzantium occupare poſſent. Militibus naves cōplent, & reliqua armamenta expediunt, navesque ad murum juxta portum appellunt, quaſi navibus urbem expugnaturi. At Byzantii reſiſtebant fortiter, & ex muro in hoſtem pugnabāt magnâ gloriâ. Ianuenſes, cùm conarentur ex navibus aſcendere in mœnia, nihil efficiebant: Byzantii enim, hoſtes magnâ fortitudine repellebant. Cùm igitur cœpta parùm ſuccederent, omnesque conatus irriti caderent: in diſſenſionem adducti, rediêre in Italiam: verùm Galatia Ianuenſium urbs, longo tempore bellum geſſit cum Byzantiis, cum utrinque tam Byzantii quam Galatæ bombardis rem gererent. Chalcocondyl. lib. 6. Odium Latinorum & Græcorum, in Concilio Florentino aliquantùm ſopitum, novas vires acquiſivit, ex eo: quòd Græci, mox à pactis receſſerunt. Qua de re, ita Chalcocondyles, d. lib. 6. Rex Græcorum, cùm (Florentiæ) præſidium ad retinendum Byzantium peteret; Pontifex reſpondit; promittens ſibi in poſterum & regnum illud, Græcoſque curæ fore: præterea ſe non ceſſaturum, Pannones & Germanos incitare, ut arma contra Turcos capiāt; quatenùs Græ-

cis

cis & aliis bonum videatur. His ita compositis, rex Byzantium proficiscitur. Græci domum reversi, non amplius his quæ convenerant in Italia, stare voluerunt: verùm apprehendentes sententiam diversam, noluerunt amplius in religionis negocio adhærere Romanis. Hinc motus Pontifex Romanus, viros quosdam doctos Byzantium ad Græcos misit; ut cum his in colloquium venirent: qui quidem synodum & concordiam in Italia factam, non admittebãt. Nam Marcus Ephesi Episcopus, & Scholarius Græcorum doctissimus, ne ab initio quidem Latinorum dogmati consensum præstare voluerunt. Vbi ad colloquium & ad disputationem ventum est, Romani nihil efficere potuerunt: verùm re infectâ, reversi sunt domum. Et paulò pòst. Cùm Græci, domos suas essent reversi; Pontifex Eugenius nihil auxilii satis digni, quemadmodùm promiserat, Græcis misit. Proindè à Pontifice avertebantur, eosque pœnitebat concordiæ quam cum Pontifice fecissent. Verùm Pontifex, nihil auxilii Græcis, tali de causâ misit: Nam erat ei bellum in Italia, contra Tyrrhenos, propter regionis dissensionem. Et ille idem iterum. Græci in patriam suam reversi, mittentes legatos ad regem Amuratem, orabant pacem; volentes cum ipso fœdus pangere. Nec multò pòst, Constantinus proficiscitur in Peloponnesum, fratremque ad regni successionem hortatur: atque indè navigare instituit Byzantium. Cùm autem appulisset in Lemnum, Lesbi ducis filiã, uxorem duxit. Constantinus cùm venisset Byzantium, & rex sententiam suam declararet, jussus est redire in Peloponnesum. Ipsum autem & fratrem

fratrem Theodorum, oportebat relinquentes Peloponnesum, abire Byzantium. Frater horum iunior, nomine Demetrius, inimicitias susce-pit cum fratre Imperatore Grecorum, à quo maximâ regionis spoliabatur parte. Cùm multis ultrò citroque actis, nihil æqui impetrare possit, legatos, odio fraterno impulsus, ad Amuratem misit: à quo accipiens exercitum, profectus est Byzantium, urbemque obsidione circumdedit. Nec multò pòst, sibi conciliavit Asanem generum suum, cuius actoritas & potentia Byzantii maxima erat. Is Demetrium adiuvare videbatur, si quo modo regnum acquirere posset. Tandem cum obsidendo nihil efficeret, exercitū dimisit. Refert quoque Chalcocond. lib. 7 Quomodò Græci inter se diffidentes paulò ante mortem Amurathis, Turcorum auxilia implorarint. Græcorum, inquit, Rege Ioanne defuncto, in Constantinum, defuncti fratrem, regni successio devenit. Nam Ioanne mortuo, frater eius Demetrius, in regni successionem festinabat. Verùm prohibitus est ab oppidanis, matre, arbitris, & à Cantacuzeno, Notaraque, qui arbitrorum partibus fungebantur. Timebant enim, si is assequeretur regnum, fore ut Constantinus exercitum peregrinum abducat, & sic regnum, regniq; res inferituras. Expectarunt itaque Constantini adventum, nec permiserunt Demetrio, ut regnū susciperet. Eâ tempestate, Byzantium venerat & Thomas frater iunior, putans se regem adhuc superstitem inventurum. Volebat enim quædam cum eo, inquibus eius operâ indigebat, colloqui. Verùm Rex mortuus erat, nec eum adhuc viventem invenire potuit. Reperit tamen maxi-

maximam discordiam, quæ exorta erat propter Demetrium, regnum Byzantium affectantem. Constantino, haud multò pòst Byzantium adveniente, Peloponnesum inter se diviserant, & jurisjurandi religio interposita est, ne postmodùm divisionem illam violarent. Verùm frater junior, in Peloponnesum navi vectus, urbes Peloponnesiacas, contra divisionis jusjurandum ad defectionem solicitabat: & adhibitis Peloponnesiacis, qui ad ipsum confluxerant, bellum gerebat, cùm fratre suo Demetrio. Qui adducens exercitum regis Turcorum, cùm ad eam rem operam suam locaret uxoris frater Asianes: fratrem coegit secum pacem pangere. Venetorum pariter ambitio, regnandiq; cupiditas, multum nocuit rebus Christianorum. Eaque de re, ita Ludovicus Tubero, *comment. de temporib. suis. lib. 6.* scribit. Veneti, ne Hungaris urbs Constantinopolitana, Græcorum voluntate traderetur: (tunc enim denuntiabant Græci, se eam urbem adversus Turcas defendere non posse) dicuntúr Turcaicum exercitum, clam Christianis in Europam ex Asia, suis navibus traiecisse, quo Humorates majoribus copiis Hungaris occurreret. Iam enim Hungari, Græcis opem allaturi, in inferiorem Mœsiam, ad Mesembriam (Varnum incolæ dicunt) castra posuerant. Malebant autem Veneti, sibi potiùs quàm Hungaris, Constantinopolim dedi. Quæ quidem improba cupiditas, Venetos in odium Christianorum Regum semper induxit, & maximis cladibus sæpiùs affecit. Quandoquidem regibus valdè, deforme videtur, mercatores armorum imperitos, & qui vitæ humilitate, pudendis artibus, sordido quæstus gene-

ere, cæteris opificibus pares sunt, imperium
lecti; atq; regum magnitudini, sese in æquo
cre.

.C.1438. (aut ut alii, A.C. 1431.) Thessalonica
tima, & bello oportuna civitas in sinu Ther-
co, quã Palæologus Adronici invidiâ, Vene-
dederat, in Turcæ potestatẽ venit: ex qua, vel-
ex arce, reliqua Græcia posset oppugnari. *Dor-
us. Leun clavius. Pandect.c.93.* Prætendebatque A-
ates, bellum hocce, divinitùs sibi demanda-
fuisse: ut referunt Turcici Annales. Eâ de re,
eunclavius, *hist Musulm.lib.14.* Sultanus au-
Murates, imperii proferendi cupidus, suos
ando Vezires interrogasse fertur; an urbs
nica (priscis Thessalonica) procul esset ab
inopoli dissita? Responsum, vix quatuor
abesse dierum itinere; cis opidum Seres
ras sitam. Tum ipse vicissim: O servi nu-
is cœlestis, ait, cur igitur heic otiosi quie-
s? quàm fieri celerrimè poterit, adparatus
cos instituite. Quapropter illi bombardas
menta primùm adferri curarunt. Deindè
opoli naves etiam deduci jusserunt. Bel-
ipsum titulo propagandæ Musulmanæ reli-
is acceptum, indictumque fuit. Diversis è
, magnæ militum coactæ copiæ. Dehinc
ad urbem expugnandam. Aliquot in ho-
pugnatum diebus, sed expugnari civitas nõ
it. Sultanus Murates suos compellans, in-
endam dixit aliquam rationem ac viam ci-
is occupandæ. Quapropter Alis begus, Eu-
sis filius: O Sultane felix, ait, hâc ut urbe
mur, eam militibus diripiendam conceda-
. Tum Murates proclamari totis castris jus-

Ii sit.

sit, prædæ potestatem militi factam; & siquidem vi civitas expugnari posset, cuilibet sua relictum iri spolia. Statim atque spoliorum & prædæ nomen, milites audiissent, scalas undique muris admovêre, nec concesso Gauris spatio vel oculos aperiendi, mox conscensis mœnibus in urbem irruere: qua capta, milites amplissimâ potiti fuere prædâ, plurimis etiam mancipiis in potestatem redactis. Vndè factum, ut domus urbis, habitatoribus vacuæ manerent. Ac deinceps opidi & agri Vardaris Genitzæ municipes, in urbem Selanicam transferri oportuit. Si cui militum quoque libuisset, tam ædes ad solitudinem redactas occupare, quàm domicilium in urbe sibi constituere, licuit. Iam potitus urbe Murates ad milites cōversus: Hem mei milites, ait, quam dulce quiddam est, quàm fructuosum vobis, diripere civitatem aliquam; & opimâ prædâ satiari. Quamobrem danda vobis opera, ne pro religione Musulmanâ, pugnas obire desinatis. Chalcocondyles, lib. 5. verò ita describit Thessalonicæ occupationem. Cùm Græci secuti essent partem Mechmeti adversam; Thermam Macedoniæ, Venetis vendidere: impossibile existimantes, ut sperarânt, sibi urbem hanc ab Amurate dari in posterùm. His peractis, bellum convertit Amurates contra Thermam: quam, ad omnia intentus, summâ ope oppugnabat. Machinas etiam mœnibus admovit: nec tamen cœptis respondebat eventus. Tandem proditionem paciscitur cum oppidanis; quibus imperatum erat, ut ab domibus suis cuniculos subterraneos agerent, qui extrà ferrent. At fossores comprehensi à Venetis, quidam fugerunt in Amuratis castra,
descen-

scendentes de muro. Postmodum ab arce, quā gressi erant, expugnarūt urbem, expugnatamque diripuere. Accepi peregrinos impigrè scandentes, & superantes mœnia, urbem cepisse; reliquis deindè accedentibus: quam postmodum diripuere. Nec quisquam eorum, qui in opido erant, evadere potuit manus hostium. Hinc reor Amuratem, urbem istam per proditionem suo dominio junxisse. Vrbs autem hæc erat maxima, nec ullâ, quæ modò Græcis parerent, inferior. Cives ejus urbis, passim per Europam Asiāque captivi trahebantur. Præsidium Venetorum, quod in urbe erat, ut rumore allatum est, urbem in potestatem venisse hostium, citato agmine, ad mare & naves contendit: & conscensis navibus quæ fortè ibi aderant, inde cito solvebat. Vrbs ista magna, opibusque florens, ab Amurate occupata est. Cùm autem eam habitandam assignasset finitimis, qui circa colebant, domum profectus est.

Cladem autem Varnensem, latè describit Chalcond. lib. 6. & 7. Cuspinianus, *in Cæsarib. ubi de hoc Amurate*. Paul. Iovius, *Elog. lib. 2. in vita Iuliani Cæsarini*. Bzovius, *An. Chr. 1444. num. 96. & seqq.* post Bonfinium, Callimachum, & Cromerum. Hubert. Fulstin. *Hister. Polon lib. 15. c. 10. &c.* Annales autem Turcici, de hocce prælio, sequentia habent. Rex Vngariæ (Vladislaus sc.) cum Ianco (Ioanne Hunniade) novæ semet expeditioni accinxit; ductis secum Vngaris, Germanis, Bohemis, Polonis, Italis, & Valachis: quorum omnium ingēs erat multitudo; videlicet hominum ad octuaginta millia. Tormenta quoque bellica, rotis imposita vehebātur, numero quadringenta. Mi-

lites ipsi, ferro prorsus armati, tectique conspiciebantur. Cumque transmisso ad Albam Græcam Danubio, fines imperii Turcici transgressi fuissent: Materam, & Schulium opida, vastarunt. Indè promotis ad Nicopolim castris, in omnem illum agrum, ferro & igni sævierūt. Arcem quoque Buruvadam, occuparunt; & imposito præsidio munierunt. Quùm à Nicopoli copias abducerent, sequutus eos cum suis à tergo Mechmetes, Nicopolis Begus, Syrusis Begi filius, & agmē extremum adortus, complures occidit; cataphractos quosdam interceptos, ad Portam misit. De hisce motibus, Sultanum Muratem, mox Vezires certiorem reddiderunt. Is Manissæ tum degebat, quò se quietæ vitæ studio, non ita pridem contulerat. Quamquam verò seriùs, harum rerum nuntium acciperet; tamen ad iter maturè se comparans, Gallipolim advolavit: quò iam Itali, magnâ cum classe adpulerant: & quò minus in Europam transmittere posset, impediebant. Quamobrem versus Constantinopolim, cum exercitu profectus est, & è regione illius loci, quo loco nunc arcis novæ structura cernitur, mercatorum navigiis usus, in Romaniam transiecit. Quùm Hadrianopolim pervenisset, monstrati sunt ei Christiani cataphracti, quos Mechmetes begus ceperat, & illuc miserat. His visis, vultum erigens: Benè nobis res nostræ succedent, ait, propitio Deo. Statimque cum præpotenti, tam ex Anatoliâ, quam Romaniâ collecto exercitu, magnaque peditum manu, recens conscriptâ, Hadrianopoli discedens; in hostem rectà duxit. Concurrerunt exercitus ad stagnum, sive paludem Varneasem: ubi dimicatum inter eos acer-

ime, multa cum effusione sanguinis. Rex
aris ab uno latere pugnabat: ab altero Mi-
ille, cognomento Niger: & tanto quidem
impetu, Muratis invasere copias, ut hosti-
utrumque cornu, in fugam propellerent: at-
hoc in conflictu Beglerbegus Anatoliæ, cæ-
uit. Solus adhuc Murates cum agmine suo,
at immotus: ceteris ab utroque latere pro-
is, aut fugâ dilapsis. Ibi tum Murates, ere-
ad cœlum oculis, opem sui numinis, & Ma-
etis implorare: solliciteque precari, ne se
præsenti periculo rerum desererent. Quibus
bus, ita conceptis, mox aleam prœlii muta-
vidisses Quippè Rex, (Hungariæ) immodi-
erocientis animi temeritate impulsus: in
ios Turcos equum adegit, & summo cum
Muratis ipsius caput periit. Dum in hunc
lum, furibundus progreditur, casu quodam
dit, ut equus regius ad terram prolaberetur.
n quidam e peditum numero, & alius ex or-
e Genizarorum, adcurrentes; equi tendines
derunt. Itaque rege humi prostrato, mox
vectæ vir ætatis, Chefer begus, qui tunc ad-
ex Alpia familia superstes erat, ex equo de-
dens, regi caput amputat; & Sultano Murati
ert. Is hoc spectaculo lætus, confestim regiũ
hastæ jubet adfigi. Quod ubi factum fuis-
hastâ in altum sublatâ, clamari ceptum: re-
hoc caput esse. Tum verò Turci, qui priùs fu-
e dederant, hoc audito clamore, reflexis e-
is, rursus ad Muratem confluxerunt. Quâ re,
hristianis animadversâ, cùm reliquis eorum
piis Iancus in fugam se coniecit. Hoc modo
tis Christianis, ac fugientibus; Turci eos ab

omni parte persequi, ac plurimos occidere. Interea verò Genizari, ac pedites Turcici, currus & impedimenta Christianorum adorti diripuerunt, & ingenti potiti sunt prædâ: quâ quidem ad Sultanum Muratem adlatâ, mutuo sibi gratulati sunt, & illum diem in fastos referri jusserunt. Exactumque fuit ab eis totum hoc triduum, omni genere hilaritatis. Memorat etiam Leunclavius, *lib. 14. hist. Musulm.* quòd Vnus duntaxat Sultanus Murates, suis cum turmis, quæ perexiguum militum numerum continebant, immobilis steterit: ac res suas pænè perditas videns, sublatis ad cœlum oculis, in hæc verba proruperit: O juste Deus, concede mihi vires & victoriam. O Muhamet, ô Mustapha, gloriæ vertex, per miraculorũ abundantiam, per Gaib-erenlerorum abundantiam; qui Musulmanorum amici sunt, & inadspectabiles obambulant: per Chederum abundantiam, (Ita sanctos Turci vocãt heroas: Christianorum sancto Georgio similes) fac quæso victoriâ potiar. Quibus sanè precibus ab eo pronuntiatis, statim superbia quædam enormis, justo Dei judicio, regis (Vladislai) animũ subiit. Quippè magnanimi laudem vindicare sibi volens, & insigni arrogantiâ temeritateque sperãs, se vel solum Muratæos milites, qui Sultanum cingebant, dissipaturum: adacto calcaribus equo, ferociter in ipsum Muratem impetum fecit. Sed justo numine, Sultani favente partibus, & Kiralis (Regis Hungariæ) insolentiam castigante, prostratus ad terram inopinato lapsu fuit equus regius; & ipse rex in faciem corruit. Tum verò summâ celeritate, Genitzari aliquot adcurrerunt, & inprimis quidam, cui nomen erat

za Hizir, sive Georgius senior, ex Alpiâ fa-
matus, vir generosus & fortis, jacenti regi
t amputavit, & ad Sultanum Muratem ad-
. Is maximis Deo gratiis actis, mox Kiralis
t, summâ hasta præfigi jussit; qua quidem
um sublatâ, vociferatione magnâ signifi-
m undique, Kiralis hoc caput esse. Refert
Chalcocondyles, lib. 7. quòd Amurathes,
pugnaret adversus Pannones Varnæ, & ex-
us suos ad fugam inclinare cerneret, valde
t putans se mox cum suis periturum. In
avissimâ necessitate constitutum, vovisse;
olumis evaderet præsens periculum, & vi-
â potiretur, se cessurum regno, & id com-
uram filio, & abiturum in Asiam, ut ibi vi-
traducat, admixtus sacerdotibus & Naza-
& culturum frequenter Heroem, (Muha-
m) eique immolaturum. Cùm igitur Pan-
bus victoriam extorsisset, rege eorum per-
to, domum rediit, filiumque juniorem ae-
vit ad regni gubernacula. Nam filius ejus
ines, natu maximus, haud amplius super-
rat: sed naturæ debitum exsolverat, præci-
us ex equo in venatione, cum persequere-
erbum. Porrò, Dies ille, quo pugnatum ad
am, traditur à nostris fuisse decimus men-
ovembris, anno 1444. Geufræus undecimû
. Bonfinius cæsa prodidit Christianorum,
CIↃ. Turcorum ad XXXCIↃ. Numerus
um, qui regis in exercitu fuerit, à Bonfinio
s plurimum discrepat ab eo, quem Turci
ant. Nam hi de, LXXXCIↃ. loquun-
e tantummodò de XVICIↃ. *Leuncl. Pan-
p. 113.*

8. Causas verò expeditionis secundæ Vladislai regis, annales Turcorum non exposuerunt; sed apud nostros, Laonicum, Callimachū, Bonfinium, plenè commemoratas legimus. Tradunt enim, Eugenium IIII. Pontificem, ubi decennales Muratem inducias, cum Vladislao rege pactum accepisset; tantùm opera Iuliani Cardinalis Cæsarini, legati à latere, apud juvenem & avidum gloriæ regem; adversantibus interim magnis viris, qui religionem pacis ac fœderis, intervenientibus sanctissimis jurisjurandi vinculis icti, minimè violandam adsererent, perficere potuisse: tamdem, ut autoritate pontificiâ rescissis indutiarum pactis, arma contra Muratem rursùs capienda decerneretur. Aiebat enim Pontifex, initam cum infidelibus pacem, non consultâ prius Apostolicâ sede ratam haberi non posse: præsertim, quod ea videretur in perniciem ac detrimentum reipublicæ Christianæ facta. Sic redintegratum temerè fuit bellum, de cujus excitu plerique viri sapientes, malè tunc etiam ominabantur. Quippè Murates, bonâ fide præstiterat, quæcumque mutuæ pacis tabulis ad se pertinetia continebantur, & præstiturum se fuerat policitus: nihil minùs fore veritus, quàm ut Christianus rex, tantæ virtutis ac fidei, cum Huniade, ceterisque præstantibus viris, tam infami perfidiæ scelere, semet obstringeret. *Leunclavius pandect. c. 110.* Sanè non à Turcis tantummodò proditum est, constitutū in maximo discrimine Muratem, auxilium cæli-ùs implorâsse: verùm etiam ab historicis Christianis, idem relatum in litteras, quorum aliqui rem non temere silentio prætereundam produnt. Quippè commemorant,

ant; poscente Murate certum aliquod à Vladis-
ao rege pacis inviolabiliter observandæ docu-
mentum, profano quorundam consilio tradi-
am ei fuisse hostiam, ecclesiastico ritu conse-
ratam.ne scilicet ullo modo, de fide voluntate-
que regis,accepto tam augusto pignore, dubita-
et. Posteà verò perturbatis(ut dictum)induciis,
cum ad arma deducta res esset,ac prœlio Var-
nensi cæsis in utroque cornu Muratæis, in extre-
mo res Turcorum discrimine versarentur: Mu-
em è sinu prolata Christianorum hostiâ, &
s ad cœlum oculis,in hujusmodi quædam
rupisse verba; Christe, si Deus es, ut Chri-
ani tui de te perhibent,vindica perfidiam tuo-
um,qui te mihi dedere pignori, nihiloque mi-
us verò religiosè sancitam pacem per summũ
elus violarunt. Quibus in hunc modum ab
o prolatis, ea scilicet evenerint, quæ tam ab
libus, quàm à nostris recitantur. Philippus
amen Callimachus, hanc rem tam secretò re-
e videtur actam, nihil ut certi de tradito tali
ignore, vulgò constaret. Bzovius autem, *suprà*
laudato loco, inter alia ita scribit. Compositis præ-
er voluntatem Pontificis,& sociorum, rebus o-
mnibus, de modo pacis sanciendæ agi cœptum
st. Et cùm Turcæ peterent, ut in confirmandis,
ris conditionibus, prolata in medium Sacro-
ancta Eucharistia,Rex juraret; Hungari nequa-
quam fortiter contra tendebant, ne si id jurandi
genus deprecaretur,suspicari possent parùm sin-
cero animo de concordiâ transactum. Cæterum:
Gregorius Sanoceus Polonus, ubi Regis quo-
que animum,à tam insolenti facto haud omni-
no abhorrentem vidit, Religioso veluti furore:

percitus; Deus, inquit, Deus, tam execrabile scelus avertat, ut qui paulò antè contra impios pugnantes, omnia tristia difficiliaque perpessi sumus, dum vinceremus; nunc rursus pro religione armati, & propemodùm victoriam manu tenentes, Sacrosanctum divini mysterii arcanum, sub prophanorum oculis sponte proferamus. Quid prima, quid hac secunda expeditione, a nobis petitum, quid adeò ingentem belli molem, ex tam separatis ab invicem regionibus, ab Italia, à Burgundia, à Thracia evocare; quid denuo arma induere, quid huc usque progredi oportuit, si sacra nostra prodenda fuerant? Minori nostro facinore, per ignaviam, domi inermes sedendo, pati potuimus illa profanari, quam nunc simus armati proditurі. Pudeat nos gratulationum, quibus nuper victores accepti; pudeat laudum, quibus ut Christianæ rei servatores, propè in cœlum modò elati sumus. Pudeat denique obnoxios iis nefariis cogitationibus nos dignos haberi, aut in quibus totius Europæ Reges ac principes, spes suas collocaverint, aut pro quibus innumerabiles populi & nationes, omnibus in templis, ad Deum supplices ambiant, pro victoriâ nostrâ vota nuncupando. Quantò sanctiùs Prisci Romani; qui captâ à Gallis urbe, ne sacra sua conspici possent, terræ infodere. Nos victores, nostra ultrò impiis prodere cogitabimus; committemusque, ut religiosius ab illis inanes quædam divinorum persuasiones servatæ dicantur, quàm à nobis Sacrosanctum immortalitatis nostræ pignus ac mysterium, & publicè nos isto facinore contaminabimus? Quod si unus quispiam, id sacrilegâ audaciâ perpetraret.

,feveriſſimè vindicaremus. Omitto quantum
... apud Deum contrahemus, qui non mo-
... ipſius causâ defecerimus, ſed ipſum etiam
...em ac pignus defectionis noſtræ, impiis ex-
...uerimus. Quid de nobis hoſtes ſentire po-
...unt: ...entes nos tanti pacem exiſtimaſſe,
non minùs ſacrilegè juraverimus, quàm ipſe
...udenter poſtulaverint? Sed ut hæc pacis uti-
...s leviora videri faciat omnia, quæ aut in no-
... de religiosè, vel aliorum perfidiâ, ſuperſti-
...e altiùs elata ſunt, quàm quæ humanis ſen-
...s attingi queant, ceremoniarum velamen-
... ſanctoque arcano mortalium animis infun-
...ntur: quæ ſi nuda in medium protrahantur,
...a nullo humanæ rationis argumento ſubſi-
...t, & temerè aſſeverari, & impudenter peti ut
...dantur apparet. Audivère dudum hoſtes, Deũ
...æſentem a nobis coli, aſſervarique in Sacra-
...um penetralibus: & quia ignorant, quo id
...cto contingat, cùm de eo cogitant, nihil ſimi-
...is, quæ terrena & momentanea cognoſcunt:
... quicquid extra mortalitatis, ſortem poſi-
... putant, mentibus eorum occurrit. Et id
...d, quale ſit neſciunt. Tantæ noſtræ de eo aſ-
...ationi par figurant. Nos hanc ipſorum per-
...aſionem, noſtris patefactis arcanis corrumpe-
..., elatasque ad divina & cœleſtia, de ſacris
...ris mentes, ad caduca, & terrena revocabi-
...us, ſpecie panis in conſpectum exhibitâ: quâ
...rum corpus Chriſti contineri, ut nos quidem
...iter credamus, efficit divina inſtitutio, gra-
...que Dei quâ perfuſi ſumus: quibus illi orba-
... res per aſpectum fidem non faciat: reſtat,
nos irrideant, veluti minimè poſſibilia creda-

Ii 6 ...mus,

mus. Nolite per Deum committere, ut abolcatur facet ille horror, quo ipsorum animi præstringuntur in bello, cùm secum reputant, inituros se prælium contra nos, quibus adeò propitius sit Deus, ut propen odùm videndus nobis coram pariter conversetur. Quanrùm de nostrâ, deque religionis nostræ maiestate hoc facto minuetur: tantùm crescet apud illos audacia, credituros subindè, ut ipsis quidem videbitur, ex specie quam intuebuntur, non modo in veri Dei tutelâ non esse, sed nec in alterius cujuspiam. Multis modis stabilitati cōventorū caveri aliter potest: quamvis ad fidei pignus, Regium verbum satis esse deberet: cùm aliæ inter privatos cautiones, aliæ inter Principes exhibentur. Ad extremum, relicturum se profananda castra asserebat: si eo modo Rex jurare vellet. Itaque cùm videretur, tā verè, quam è religionis, æquè ipsorum quos alloquebatur usu & majestate, dixisse: constitutum est, ut super Evangeliorum libro, Turcæ super Alcorano jurarent. Confectâ jam pace, abeuntibusque Turcis, ut ex composito promissa præstarent: Francisci Cardinalis, qui in Hellesponto Latinæ classi Legatus præerat, litteræ allatæ sunt, quibus significabatur Amurathem, exinanitâ ferè Europâ, cùm omnibus copiis, in Asiam adversus Caramanum traiecisse: occasionemque maximam oblatam esse, facile recuperandi quicquid in Europa fuerat amissum. Monere deinde impensiùs, & hortari, ut cum suis quam primùm exercitibus, in Macedoniam ac Thraciam erumperet. Se ad Hellesponti fauces, in tempore adfuisse: & ex fœdere promissa præstitisse: atque ne Turcæ reportent ex

Asia

a exercitum, velle prohibere. Non præter-
tendam tantam occasionem, propè fine ar-
, aut certamine aliquo exterminandi, pro-
lendique ad origines suas diram gentem, ex-
ndamque superstitionem. Meminisset Rex
i, sponsionisque Principibus Christianis fa-
, & quam maxime fieri posset properaret cum
missâ expeditione; quàdò illi quoque, quod
m erat, auxilia præmisissent. Allatæ sunt pa-
, ab Imperatore Constantinopolitano lit-
e: quibus festinandam esse expeditionem, ob
carum absentiam flagitabat: simulque signi-
bat, se, cum tentaretur à Turca de fœdere, nō
m repudiasse conditionem, verùm etiam
tilia contra illum ultrò intulisse, & in armis
cum suis, ut Regi sub ipsum montium de-
sum vel accurreret, vel alibi expectaret, si id
gis ex usu fore videretur. Instandum ergò a-
diumque, dum distractus ille multiplici bel-
tam diversis in locis terrâ marique suis adesse
non posset; dum nuper cæsus, fusus fugatus-
e, nondum satis animum viresque collegis-
& proximis cladibus afflictus, nedum impe-
n, sed nec nomen quidem Regium laturus
etur: Omnia per dolum fraudemque, ab
tore Turcico in fœdere transacta. Non com-
endum, ut gloriosa initia, vecordi negligē-
edarentur: Sed rapiendam opportunitatem
endæ ignominiæ Religioni Christianæ inu-
, non uno atque altero oppido, sed multis re-
nibus Christiani nominis partim direptis,
tim ab execrandâ gente sub ditionem sum-
tis. Turcam adeò festinanter per Hellespon-
n copias trajecisse, ut veriùs dici posset fugis-

sebellum, quod à tergo affore sciebat, quàm profectum esse ad propulsandum id, quod ab Asia nunciabatur. Ad extremum rogabat, ne ullam fidam perfidissimæ gentis pacem, Rex acciperet, seve Turcarum se armis obruendum relinqueret. Non aliunde magis discrimen sibi imminere, quàm quod Regiæ fidei pollicitationique crediderat. Recitatis utriusque in Senatu litteris, tanta Regem cunctosque proceres, facti pœnitentia mox incessit; ut nullius unquam rei vehementius puderet, pigeretque memoria eorum quæ de se sperare adduxerant Pontificem, Imperatorem, ac principes Christianos: cœpitque Regis, aliorumque velut oculis obversari species gratulationum; quibus tot Regum populorumque veluti publico consensu paulò antè, tanquam Christiani nominis servatores, excepti fuerant: & pudebat, pigebatque, ob præsentem utilitatem, perpetuum decus veluti cōtempsisse; secuturamque exinde ignominiam intuebantur: & meminerant obligatam prius ab se fidem Eugenio Pontifici, Palæologo Imperatori, Græcis simul Latinisque, & ab utrisque implorata auxilia, præstò esse; quæ nisi per summum scelus, in discrimine, in quod pellexerant, relinquere non poterant. Cùm itaque omnia immortalitatis fundamenta quæ jecerant, inita cum Turcâ pace, invitis, insciisque sociis, jam irrita fore conspicerent; atque expectationem quam de se in Christiana republica suscitarant, fefellisse docerentur; & qui non ita pridem vindices Sanctæ fidei, propugnatores religionis, ultores Christi, & gentium fidelium liberatores appellabantur; contrà violatores socialis fidei, & La-

tinà

i Græcique fœderis immemores, contempto-
immortalitatis, & propriorum tantùm com-
dorum amatores haberi; adeò contrario af-
u distrahebantur, ut qui paulò ante pacem
ro elegissent, bellum rursùs appeterent. Et vi-
batur etiam quædam quasi opportunitas, &
fa concordiæ repudiandæ; quandoquidem
rca ad constitutam diem, neque captivos o-
es solverat; necdum oppidis civitatibusque
bus oportuit ex fœdere cesserat. Itaque Iu-
nus Cardinalis Legatus, apud tam suspensos
mos, desideriumque inter & pœnitentiam
tæ concordiæ fluctuantes, occasionem suam
esse ratus, conversus ad Regem & Proceres;
gâ & elaboratâ oratione, inducias frangen-
s esse, suasit, atque persuasit. Ab ejus enim o-
ione, abrogandam Turcarum pacem, omnes
lamârunt: initam cum Pontifice Max. & Chri-
anis Principibus societatem, à quibus ipsi o-
m implorârant, nullo modo violandam: mal-
omnia extrema perpeti, quàm sanctè promis-
non præstare; & quamvis maxima commodo-
m omnium spes, in Turcico bello sita sit, ta-
en si res etiam parùm prosperè evenirent, lon-
satius esse pro Christianâ religione mori, ex-
atam expectationem tueri, servare datam fi-
m, quam infamem turpemque vitam ducere.
uare ex Regis & Senatus consulto, fœdere, seu
duciis cum Turcis abrogatis; decretum abro-
tionis, ad Imperatorem Constantinopolita-
m, & Franciscum Cardinalem Apostolicæ
assis præfectum, ne cœpta desererent, repente
issum est. Rex interim, novo Sacramento se
m proceribus ad prosequendum bellum Tur-
cicum

atis arte,aut corruptis pretio speculatoribus,
i littora servabant, infra Callipolim, quæ
ices Hellesponti arctissimæ sunt, traductis co-
s,septimis castris, ad Varnam pervenit. Ejus
ce ius Christianorum opinione celerior, Re-
m inprimis, & Ioannem Hunniadem Turcico
ge um bello, vehementer perterruit. His au-
animis utrimque in aciem descensum est:ut
mo congressu, Amurathes de victoriâ despe-
e tradatur: nisi nova & recentissima Turca-
n ala, Cruce signatis imperitè laxantibus a-
m, victoriæ occasionem ademisset. Vladis-
s enim,acerrimè pugnans, stratis nobilioris
equitibus, ad Ianizaros prætorianos pedites
etrarat: sed sinu facto, in medium receptus,
raginibus equi succisis, Rex corruit, atque
rucidatus est: Hunniade frustrà, interfecti
aver è manibus hostium eripere conante. Re-
nterfecto,caput ejus,barbari lanceæ præfixũ
umferentes, sublato clamore Christianorum
entium tergis institerunt. Hunniades inta-
effugit. Iulianus verò Legatus, qui prælatâ
ce hortabundus Regia signa sequebatur:
m ad lacunam, sitienti equo habenas laxâs-
supervventu hostium, aut ut plerique existi-
ũt, Hungarorum sævitiâ trucidatus interiit,
tâ eum contumeliâ onerantibus barbaris:
d sacerdos, contra jus Gentium fidem vio-
am abruptâ pace fœdè censuisset. Variâ for-
& opinione,isto die certatum. Nam Turcæ
rum à Rege fugati: Christianorum victo-
n in proxima oppida divulgarunt: qui ad se-
usque tempus prælium pertulerunt, non
ae quaque se vicisse rati: ac nescii quonam
loco-

locorum se Hungari recepissent, dum ad currus, ob silentium, insidias aliquas suspicarentur, biduo vel triduo, à castrorum direptione se continuere. In acie ac fugâ, innumerabilis utrimque multitudo cæsa. Ex Turcis multo plures in acie: ex Christianis, quos ad X VI. M. hominum fuisse perhibent: vix tertia pars rediit. Ex Turcis autem, qui ad hoc bellum cum L X. M. hominū sanè confluxerant, X X X. circiter M. interfecta fuisse fatentur: Amurathemque dixisse, nolle se hoc modo sæpiùs vincere. Inter pugnandum, ferunt Amurathem depromptum è sinu codicem fœderis explicâsse, clamitasseque: Hæc sunt Iesu Christi fœdera, quæ tui Christiani mecum percussêre: per numen tuum sanctè jurarunt, datamque sub nomine tuo fidem violarunt: perfidè te suum Deum abnegarunt. Nunc Christe, si Deus es, ut aiunt, & nos hallucinamur, tuas measque hîc injurias, te quæso ulciscere: & his qui sanctum nomen tuum nondum agnovere, violatæ fidei pœnas ostende. Classis Pontificia, auditâ infelici clade, in Italiam vela reflexit. Ex captivis, duodecim ingenui juvenes Poloni, præclarum specimen virtutis edidere. Hi, cùm ab Amurathe, ex omni numero propter eximiam formam secreti, ut circumcisi pro cathamythis & cynædis essent, & in cubiculum tyranni deducti, Adrianopoli fuissent: in necem ejus conjurarunt: peregissentque facinus præclarum, & omnibus seculis memorabile, nisi in ipso articulo à Bulgaro, quem unum socium consilii adhibuerant, proditi essent. Atque ii tamen, ubi rē palàm esse cognoverunt, ne tyranni, sive libidini, sive crudelitati essent obnoxii, obditis ostio pessu-

ſulis, armati inter ſe concurrerunt; & mutuis neribus fortiter ceciderunt. Hactenus Bzo-. Fuit autem Vladislaus ille, Iagellonis Li- filius, qui primus ſuæ gentis apud Polo- rerum potitus fuit. Eum ſeditioſi quidam , & Germanis infeſti, loco Ladislai poſtu- ex Alberto Aug. & Eliſabetha Sigismundi filia nati, regem adſciverant. Vnde etiam nactus eſt mercedem, quæ alieni regni uſur-ibus debetur.

9. Porro Hunniades, cujus jam aliquoties ntio facta eſt, ante hancce fœderis pactionē, Turcis quinquies, magnâ illorum clade flixerat. I. In Servia, Iſachum Purpuratum, numeroſo exercitu, A.C. 1441. ita fugavit; vix Synderoviæ pateret iis receptaculū. II. Ad nſylvaniæ montana, Turcarum cecidére 00. Duce eorum Mezetho Purpurato: ex garis amiſſi 3000. I I I. Baſſæum Purpura-, & Valachiam, cum 15000. ſuorū, ita eſt ag-ſus; ut Turcarum vix dimidia pars, evaſerit. Exercitu 10000. inſtructus, noctu timidum rpuratum, ex caſtris profligat: 30000. Turca- cædit. V. Sequenti anno, ad Savum, omnē rcarum exercitum obruit, diſſipat, profligat. *rnavius in Increm. Turcici. ſub A.C. 1444.* At An. Ch. 48. Ille idem, ulturus cladis Varnenſis igno-iam, exercitum firmum, in Myſiam contra rcam duxit. Amurathes, qui depoſito ſceptro , habitum religionis induerat, à ſuis revo-r; congreſſus dubiâ, cum Hunniade victo- qui cùm caſtra Amurathis oppugnaret; tan- ita repulſus eſt, ut gregario milite interne- e occiſo, ipſe vix evaſerit: & in fuga à Ser-

viæ

viæ Despota sit in vincula conjectus. Empta est victoria ista Amurathi, multâ suorũ clade: quippè toto triduo, quo duravit hoc prælium, 34000. Turcarum Hunniades interfecit. Sequenti etiam anno, Hunniades Frigibechum, Turcarum Ducem, in Serviis cum magnâ nobilium turbâ cepit: exercitum hostilem fudit. Nocuit autem in illo prælio, quo victus Hunniades fuit, MILITVM TVMVLTVS: quos fugiendi cupidos, neque sistere minis Hunniades, neq; precibus poterat. Nocuit insuper INGRATITVDO, & PRODITIO Georgi, Despositæ Serviæ: qui immemor præstitæ ab Vngaris defensionis, omnia Hunniadis consilia Turcis enunciavit. *Dornavius A.C.1448.* Annales Turcici, de prælio illo, ita loquuntur. Cùm nuntii advenissent, qui significarent, Vngaros, Saxones, Bœmos, Germanos, & Valachos, maximis coactis copiis, jam ad Albam usque Græcam adpulisse, progressuros ad ipsos Cosovæ campos; Ejus rei famâ Sultanus Murates impulsus, Albaniâ relictâ, Sophiam summâ festinatione accessit; ibique substitit, in omnem partem intentus, quo scilicet erupturus hic motus esset. Simul expeditis in omnes provincias litteris, milites universos arma capere, & absque morâ in castra cõvolare jussit. Fuere denique collecta decem millia Genizarorum, & alia decem millia peditum, qui Turcis Azapi dicuntur. Præterea magnus hominum numerus ad eum confluxit ex iis, qui à militiâ ceteroquin erant immunes. Habebant enim Muratem pro viro sancto. Copias ad summam innumerabiles collegit, ab aliis etiam rebus, bello gerẽdo necessariis, egregiè instructus à tor-

ormentis majoribus,inquam,bombardis,ha-
,arcubus. Arcessivit etiam ad hanc expeditio-
n Sultanum Mechmetem, filium, ut in eâ pa-
comes adesset. Intereà verò, dùm in hostem
e proficiscitur: Valachi Danubium navigiis
[illegible]ciunt,ut omnem agrum Nicopolitanum,
ro ac flammis vastarent. Sed is conatus, ex
orum animi sententia non successit. Quippè
[illegible]anei proceres in iis locis,cum Acanziorum
[illegible], Valachos adorti, multos ex eis interfece-
[illegible] Quod ubi factum Murates accepit, non
[illegible] [illegible] iratus,alacri mox animo versus Co-
[illegible] [illegible]lasticiem,cum exercitu profectus est. Du-
[illegible] enim hominum ad octuaginta millia,tam
[illegible] quam peditum. Ad Cosovæ campos
[illegible] pervenisset,obvium habuit Iancum. (Ita
[illegible] Hunniadem Turcæ vocant.) Qua-
[illegible] utrimque pugnandi facto initio; displo-
[illegible] continuo, diei noctisque spatio tormē-
bellica. Tamdem Iancus, in hostem acie pro-
[illegible] duj[illegible], Turcos ab utroque cornu fusos,
[illegible] [illegible]are coegit. Iamque solus adeò comitatus
[illegible]icus [illegible]ultano Murate non deserto, locum
[illegible]um [illegible] tuebatur. Objectabant Christianis
[illegible] sua, Genitzari, tormenta bellica in eos di-
[illegible]ant, clopetos obvertebant undique. Sin ul
[illegible]go camelis,mulis, & curribus sese munien-
s: tam fortiter hostis impetum sustinebant:
Muratem cum hisce copiis suis, Christiani
[illegible]o summovere, nullâ vi possent, nec aliquâ
[illegible] afficere. Quùm autem profligati priùs à
Christianis in utroque cornu Turci,Christianos
[illegible]orum onere nimio gravatos, animadverte-
[illegible]t,de industria fugam accipientes,insequen-
di viam

di viam eis aperuerunt. Quippè Christiani se mox, instar diluvii cujusdam, concitatis equis, diffudere. Sed Turci qui fugam inierant, equorum cursu ad latus inflexo, expeditos & inermes Christianorum milites invaserunt: quos nudos esse norāt, & in eos alacriter acinaces suos strinxerunt. Id illi quùm fieri cernerent, celerrimè cataphractos equites suos sequuti sunt: quibus ubi iam non esset integrum, in Turcos aciem denuò convertere: tandem mutuis se vulneribus conficere ceperunt, atque ita solutis & dissipatis ordinibus, exercitus omnis in fœdam sese fugam coniecit. Tum verò Turci, quos anteà fugisse diximus, hinc indè conglobati, Christianis à tergo ad ipsam usque munitionem castrorum inhæserunt: fuitque deinceps pugnatum utrinque toto illo die, usque ad vesperam: & à vespera rursus ad diluculum usque. Iancus autem quia ita rem geri videret: astu se ab exercitus Christiani reliquiis, è castris subduxit & profugit. Christianis ad extremum victis, Ianci rebus omnibus, cum tormentis, & universo adparatu bellico, potiti fuère Turci: quibus ad Sultanum Muratem adductis, unus alteri porrectâ manu mutuò semet excepêre gratulabundi, totumque triduum, eo loco quiescentes, veluti festivitatem quandam, singulari cum hilaritate celebrarunt. Indè Sultanus Muchemetes ante patrem Hadrianopolim profectus est. Eadem ferè repetiit Leunclavius *hist. Musulm. lib. 14.* Et inter alia scribit: Ad extremum Iancus Hunniades, qui ab infestis sibi Turcis, ob acceptas ab eo gravissimas clades, Iancu Lain per ignominiam fuit adpellatus, veluti Ioannes improbus: animadverso re-

rum

...o Christianarum successu perinfelici, fraude ...hristianis suis imponendum statuens: Vos, in... ...uit, heic immoti, adversus hostem subsistite. ...ihi consilium, nostris utile rebus, ad animum ...cidit. A tergo namque Turcos adgrediar. ...oc modo fiet, ut vobis à fronte, me à tergo, ...mnia virium eos contentione prementibus, ...mnino tamdem cæsos, jugulatosque deleturi ...mus. Simul ipse cum familiaribus suis aufu...iens, è præsenti se discrimine subduxit. Qui su...ererant intra munitionem plaustrorum Chri...iani, gravem hostis impetum, ad diluculum ...que sustinuerunt. Exorto jam die, nec à fronte ...ncum, nec à tergo, nec extra castrorum muni...ionem, usquam conspiciebant: adeoque jam ...urci currus omnes & plaustra, copiis suis cir...umfuderant. Quamobrem saluti suæ consul...ui, denique Christiani, quorum jam fractæ ...iuturno prælio vires essent, post tot eo diela...ores exanclatos, tamdem terga dare ceperunt, ...hinc inde dispersi fuerunt: Turcis eâ sollici...udine duntaxat occupatis, ut tergis illorum in...arerent, ac quàm plurimos interficerent. Si...ul expugnatâ castrorum munitione, currus ...um impedimentis eis ademerunt: & quotquot ...rant in castris reliqui, partim in frusta dissecue...unt, partim captos servituti manciparunt. Et quidem Bonfinius notat, periisse continuis his...e conflictibus Turcorum ad XXXIIIICIↃ. Christianorum verò duntaxat VIIICIↃ. quê...admodum Murates ipse suis in litteris ad Co...rinthios fassus fuerit. Ac de hoc prælio, videri ...tem potest Chalcocondyles. lib. 7.

10. De Georgio porrò Castricto, cognomine Scan-

Scanderbegio, principe Epiri, ita Iovius lib. 3. Elogiorum. Nemo Christiani nominis princeps, aut Imperator, Georgio Castrioto vehementiùs atque feliciùs arma Turcarum exercuit: nemo frequentiùs acie victor extitit. Is à Barbaris Scanderbechus est appellatus. Nam pater eius Iohannes, quùm in Epiro, eaque parte Macedoniæ, quæ ad Hadriaticum vergit, regnaret, nec finitima Turcarum arma sustineret; his legibus ab Amurathe pacem impetravit, ut ei obsides filios daret, in queis virtute animi, formaque corporis, Georgius plurimùm eminebat. Itaque regiâ in aulâ liberaliter educatus est, instructusque diligenter, non modò Barbarorum literis & moribus, ad Mahometanæ superstitionis disciplinam; sed in omnem armorum eius gentis exercitationem: tanto successu, ut ante pubertatis annos Sanzachus efficeretur; qui honos magnæ equitum alæ signiferum exprimit. Erat autem Amurathi longè omnium gratissimus; utpote qui indolem regii oris præ se ferret, & non obscura summi futuri ducis indicia præbere videretur. Nam quotidiè cum summâ Amurathis oblectatione, simulachra præliorum in hortis regijs edere, cum æqualibus erat solitus; in quibus ipse expediti consilij vigore, & mirâ vi corporis, omnes ætate grandiores superabat: cumque idcirco Amurathes, quòd supra militare ætatis tempus, proceræ staturæ præstantisque ingenij indomitum robur ostenderet, in Asiam misit adversus Ciliciæ regem; quo bello summam laudem rebus fortiter gestis est cōsecutus: ob idque pleniorem, quòd singulari certamine Scytham, multarum palmarum gladiatorem, superbè

perbè oftentantem vires, & provocantem con-
isset: persingulique ausu, insignis dux Persa.
uestribus armis pugnam ciens, paremque sibi
llatorem, ex hostili acie ad certamen invitans,
stâ transfixus prostratusque fuisset. Dum eo
odo bellicâ laude, & singulari Amurathis gra-
floreret, patrē amisit; Othomannicaq; arma,
s ditionis urbes atque oppida impotenter
uparant; ita ut Amurates, ploranti Scander-
ho spem daret, se maturè paterni imperij di-
nem ei concessurum. Sed nihil astutis Bar-
i regis promissis credens, insigni calliditate,
ertiaque usus, in Epirum evadens; per adul-
tas literas, arce paterni imperij potitus est;
tisque Epiri & Macedoniæ populis legitimi
cipis prolem agnoscentibus, princeps est
amatus: tantaque animorum propensione
ratæ gentis est usus, ut per multos annos, &
urathis, & Mahometis filij, invictos anteà
m exercitus, frequentissimè profligarit, at-
retuderit. His autem bellis, hoc ei præcipu-
militiæ decus obvenit; quòd cum Amura-
, frustrà cum ingentibus copiis, miroque
entorum adparatu Croiam urbem oppu-
set; dolore irriti conatus, non multò pòst
ortem sit adactus: septemque Othomanni-
minis clarissimos duces, purpuratorū Baf-
n ordine acie devicerit, & castris exuerit.
um rerum memoriam successusque admi-
os Marinus Scodrensis, eâ quâ potuit facun-
elebrato Scanderbecho, peculiari volumi-
ito, mandavit ad posteros. Quamobrem
Pontifex, excitatis ad capienda arma Chri-
s regibus, belloque indicto adversus Ma-

hometem; existimavit neminem frenandis debellandisque Barbaris, Georgio priorem ducem esse deligendum: tanto quidem studio, ut Georgium non totius Epiri modò, sed Macedoniæ regem destinaret. Cæterùm in eo consilii decreto, conatuque Pius, Anconæ fato est intercepitus. Nec his demum honestissimis belli cogitationibus, Paulus secundus successor incubuit; quanquam Georgius, ut præsenti facundiâ eum minùs decoris occupationibus implicitum permoveret, admoneretque publicæ salutis Cardinalium senatum, gravi suo incommodo Romã petiisset; quòd immoderatæ Barbarorum cupiditati atque audaciæ, nisi consentienis totius Europæ viribus, resisti non posse, apud imperitos & desides testaretur. Habuit in convictu, quùm perpetuas aleret copias, lectissimorum hominum, amplius duo millia; nec unquam auctis copiis, majus militiæ robur, quàm sena equitum, ternaque peditum expeditorum millia, hostibus opposuit. Delectu enim veterani militis, non numero victorias parari prædicabat. Horum nomina, factaque memoriter tenere consueverat; summusque illi erat honos, cui ipse discumbens de paterâ suâ propinasset. Quã comitate, conjunctâ cunctis in rebus summæ liberalitati, suos sibi maximè conciliabat; quandò etiam in eo, quod maximè accendendis studiis intererat, summa pietas emineret. Vbi verò armatus prodibat, tantâ oculorum alacritate, tantaque hilari facundiâ, milites ad cuncta ardua aggredienda accendebat; ut non eximiè modò pugnaces, sed ferocissimos, contemptoresque impiorum hostium efficeret. Erat autem usque

adeò

cò excelsâ staturâ, torosoque habitu, & robu-
s artubus, ac naso prominente decenterque
curvo; ut magni proculdubio herois effigiem,
præsentaret. Narrabant gentiles ejus, quod et-
m à scriptoribus memoriç proditum est; Geor-
um nunquam detrectâsse pugnam, nunquam
osti vertisse terga, nullo unquam in discrimine
etu occupatum; nunquam vulneratum, nisi
vi semel sagittâ in cruce fuisse; supraque duo
ominum millia, barbarorumque præsertim,
versis in præliis suâ manu interfecisse, quan-
ò singulis tātum ictibus, singulos qui congres-
essent conficere esset solitus; quòd prægrandi
onderosoque acinace, tam validè quàm peritè
teretur; quò medios hostes ad umbilicum pro-
indere, transversos dividere soleret: & sæpè
ercervices, integros cum humeris brachiorum
tus facilè detruncaret. Quarum immanium
lnerum truculentiam, hostes qui ex præliis
asissent, cùm Byzantii in aula admirantibus
nctis enarrarent; Mahometes ipse illum po-
ntis dextræ inusitatæque violentiæ gladium
dere concupivit, impetravitque facilè à Geor-
o, ut sibi Byzantium mitteretur: talem nam-
ue ejus esse temperaturam prædicabant, ut ejus
tum, nulla vel ferrea corporum munimenta
stinerent. Tanta autem inusitatæ virtutis ejus
ri fama erat, ut Turcæ post mortem ejus potiti
ttâ ferè Epiro: sepulchrum Scanderbechi apud
ssum quæritarent, admirabundique usque ad-
ò piè venerarentur; ut superstitiosi homines,
ruta demùm sepulchro, tanti Herois ossa, reli-
iosè diriperent: quùm quisque se bello invi-
um, tutumque fore crederet, si frustulum

ex ossibus reliquiisque invictissimi imperatoris, in Amuleto cervicibus suspensum, iturus in prælium gestaret. Vndè Gabriel Faernus, de eo ita canit:

Turcarum clades, Othomanni nominis horror,
Epiri tutela, illo iacuêre sepulchro
Quo quondam invicti cubuerũt ossa Georgi.
Nunc & membra viri, & dissectum in frusta sepulchrum
Interiit; sparsi manes, concisa vagantur
Ossa, nec in gelidâ nunc saltem morte quiescunt:
Namque ut is assertum toties cum laude paternum
Imperium, exactâ moriens ætate reliquit;
Illicet immanes tenuerunt omnia Turcæ.
Tum clari Herois, venerati nobile bustum,
Ossaque, marmoraque, invictum condentia corpus
Abstulerant, sibi quisque in partes secta minutas;
Tanquam iis bellica vis, & Martius ardor inesset,
Et genium præstare bonum, sortemque valerent.
Si quæ aliis tumulum virtus parat, abstulit illi;
Atq; eadem diro venerandum præbuit hosti.

Additq; Camerarius, *in narrat. Turcicis*; quòd Mahometes accepto gladio Scanderbegi, unum ex suis, qui robore præstare credebatur ceteris, periculum in percellendo tauro facere jusserit. Qui omnibus viribus adhibitis, perficere rem non potuit.

otuit. Ibi Mahometa, ratus alium esse ad se gla-
um missum ab illudente sibi Scanderbega; &
um mandatis querelarum, gladium jussit ad
sum referri. Scanderbega sermone legatorum
dito: Dicite, inquit, Imperatori vestro, gladiũ
eum esse ei missum, sed brachia non item. Et
æsentibus illis, adductum taurum, uno ictu
ssecuit: & ita gladium tradidit Mahomethæ,
nuò afferendum. Qui intellectis omnibus,
eus, inquit, prohibeat, ne talem virum tali gla-
o privare audeam. Et gladium Scanderbegæ,
ultis muneribus additis, restituit. Et idem Ca-
erarius, de eodem Scanderbego. Coegit Amu-
thes Ioannem Castriotam, despotam Epiri, ut
aderet sibi munitam urbem Croyæ: & obsides
ios tres, adhuc pueros: quos ritu Saracenico-
m initiorum, Turcico nomini adjunxit. Mini-
o ex his natu nomen impositum fuit Scander-
gi, id est, Alexandri Principis; qui evasit sum-
us dux, & eas res gessit, ut cum Pyrrho Epirotâ
parari posse videatur. Dum Amurathæ paret,
operam dat, occupavit Serviam, & magnam
rtem Caramaniæ. Posteà ab hoc desciscens,
rsùm amplexus religionem Christianam, pri-
ùm ipsi Serviam eripuit; deinde Croyam, &
ras, urbes, castella, quæ patris sui Ioannis fue-
nt, recuperavit universa: prœlia cum Turcis
XXX commisit, perpetuò victor. Neque vi-
ous, neque minis, neque pollicitis adversus
nc Amuratha proficere quicquam potuit.

II. De morte, moribusque Amurathis, sequẽ-
Chalcocondyles, lib. 7. habet. Amurathes
echmeris filius mortem obiit, in cõvivio ictus
oplexiâ: quam nimia vini conciverat copia.

Regnavit autem annis triginta duobus. Fuit justi, æquique eximius cultor. Usus est fortunæ aurâ non admodum adversâ. Provocatus, ut se defenderet, bella occipiebat. Lacessitus, confestim in armis erat: non autem injuriis irritatus, bellum ægrè suscipiebat. Nec id ignaviæ adscripseris: nam si vis hostilis propulsanda erat, nec etiam hyeme, cunctabatur per loca asperrima incedere, nec pensi quicquam facere, vel labores vel pericula. De eodem Leunclavius, *libr. 14. hist. Musulm.* Erat Sultanus Murates, imperio suo subjectis, qui fortunæ tenuioris essent, instar boni pastoris; militibus & aliis nobilioribus, amabilis & gratus. Professores quarumlibet disciplinarum, jurisperiti, sanctæ homines & innocentis vitæ, religiosi, pauperes, ipso regnante perquàm honorificè tractabantur; & in quiete summâ, tranquillitateque degebant. Quæcumque tamdem laudes ei tribuantur, infra meritum ipsius existimari debent. Diligenti universas regni sui partes curâ, complectebatur; collabentes structuras erigebat, dirutas redintegrabat, parietinarum instar ob vetustatem deformatas instaurabat. Hadrianopoli, quæ Osmanidarum est regia, templum maius, (Zumam Turci dicunt) unà cum Imareto, duabusq; Medresis, ac gymnasiis insignibus, exstruxit. Burusæ sumtuosum ædificavit Imaretum, cum Meschita, & gymnasio. Condidit etiam opidum ad fluvium Ergeren, & Imaretum in opido, cum templo majori. Prætereà, ponte constravit idem flumen, ad indicatum Ergenis opidum in Thracia, centum & septuaginta pedes longo; cujus similem se vidisse negant multarum periti regio-

num

m viatores. Adde his Immareta plurima, pro
toribus & religiosis ab eo facta; multaque
linea, Zumas, religiosornm Zavias sive cellas;
medressas pro iis, qui litteras docent ac di-
nt: adeoque nemo tam regum, quam padi-
achorum, qui ante hunc apud Turcos rerum
re potiri, testimonia magnarum virtutum, ac
numenta post se reliquit illustriora. Præter-
singulis annis, Cuzzimu-barecum, sive Ieru-
emam, & ad locum Abrahami prophetæ, tem-
nque Dei Meccanum, aureos ter mille quin-
itos, mittebat. In Ancyrana, vel Engurensi
vincia subassæ prædium quoddam, cui no-
n Balic-hisar, cum pagis ac villis aliquot,
uperibus dictam urbem Meccam inhabitanti-
, ex voto donavit: & annuo canoni solvendo
erpetuum obligatum esse voluit. Quacum-
demum in urbe degeret, quotannis in edi-
familiâ prophetæ Muhametis, aureos mille
manu distribuebat: ac die Veneris, quo Mu-
sani festum suum hebdomadarium celebra-
onsueverunt, in egentes liberalitatem exer-
, donandis munusculis, (eleemosynas à
misericatione Christiani, vocabulo Græco,
ant. Turci Corban, quod sacris in litteris et-
nostris reperitur) ad mortem usque non de-
Mortem ipsam quod attinet, hoc modo Tur-
uratem rebus humanis excessisse prodide-
t. Exierat aliquandò Sultanus Murates, in
ianopolitanam insulam, animi causâ: non-
l ut exspatiando se recrearet. Insula vero Ha-
nopolitana, vocatur interiectum flumini-
duobus, Meritzæ Tunsæque, spatium: quod
enos admodùm hortos, campos, & pra a

complectitur. Ad Seraium vero suum revertens, haud procul à pontis initio: quo lapideo, saneque pulcherrimo dicti amnes, in ipsa transeuntur insula, religiosum quemdam sedere vidit. Accedentem propiùs Sultanum, religiosus ille compellans: Heu mi Sultane Murates, inquit, pænitentiam agito. Quippè constituta tibi mortis hora, non procul abest à termino suo. Hæc ab illo sibi religioso denuntiata, quùm audisset: Sarutzem bassam, qui præsens aderat alloquens: Sis mihi testis, ait, ô Sarutzes, quod omnium peccatorum meorum nomine pœnitētiam egerim. Aderat etiam ex altero latere Ishacus bassa, quem itidem adpellans. Te quoque testem, inquit, esse volo, actæ à me pœnitentiæ. Rursus eundem Ishacum interrogans: Hicciné tibi notus est religiosus? ait. Novi hominem, mi Sultane, respondit. Burusæ degit, & unus est ex Emiris Sultani discipulis. Hunc Emirem Sultanum, sciant lectores habitum à Turcis fuisse pro viro sancto, Muhametis è prosapia nato (nam iis Emerum tribuere nomén solent) cujus adhuc Burusæ monumentum ac sepulchrum exstat. Multis eum Musulmani claruisse miraculis, fabulantur. Sultanus ergò Murates, his auditis, seráium suum ingressus: capitis dolorem sentire cepit. Elogium supremæ voluntatis, sive testamenti tabulas, iamdudum condiderat, ac perscribi curaverat. Hoc tempore dūtaxat filium suum, Sultanum Muhametem, ultimæ suæ dispositionis executorem: Chalilem vero bassam, testamentarium nuncupavit inspectorem. Tribus omninò diebus decubuit: ac die quarto, pervenit ad auics ejus (Turcorum phrasibus, eorundemque

Anna-

ıalium verbis utor) hic Alcuranicorum ver-
um fonus: Abi, ad dominum tuum profici-
e: ftatimque fpiritus eius hinc migrans, ad
ıi numinis viciniam fe contulit. Quod qui-
accidit, A.C. 1450. Ætatem exegit in admi-
ajione regiâ, fummo cum honore fuo, me-
que laudibus, annis XXX. VI. menfibus, &
diebus. quod tempus prope totum, pugnā-
dverfus Chriftianos, tuendæ propagandæ-
Mufulmanæ fuperftitionis causâ, prœliis
umfit. Quùm autem Sultanus Murates eo,
dictum, obitu vitam in terris fuam claufif-
otis XIII. diebus occultata mors ejus fuit,
ılli mortalium, à fuis revelata. Curabantur
im ad Portam omnia, more folito. Litteræ,
mandatis, expediebantur Regni negotia
ica, privata, minimè neglecta jacebant. Me-
cottidiè, variis cum pharmacis fuis, ad cu-
a Sultani decumbentis (fic enim palatinis
, & prætorianorum quoque vulgo perfua-
erat) itabant. Iovius verò, *de viris Imp. Turci-*
, mortem Amuratis aliter; & fequentibus
s defcribit. Amurathes, poft illatam Hun-
tam fœdam ftragem, (*de quâ fuprà, num. 9.*)
ft pacem cum Venetis, anteà bello diû la-
ıs, inıtam; in Græcos converfus, Hexami-
Corinthi petiit: qui quidem locus, murum
miliariorum fpacium porrectum habet in
guftiis, quæ Aegeum mare, Ioniumque di-
inant, ac Peloponnefum totam (hodiè Mo-
vocant) adeò inclufit, ut eam veluti infu-
efficiat. Hujusmodi igitur muro Amura-
expugnato, ac demolito, Conftantinopoli-
ımperatoris fratrem, qui ea loca tutabatur;

cum omni Græcorum exercitu, fudit. Indè Peloponnesum universam, ferro igneque devastans, incolarum partem interfecit, partem captivam duxit. Sub hæc Velonæ portum, è regione Hydrunti occupavit. Verùm Enimverò quum post hæc omnia Scanderbechus Albaniæ præfectus ab Amurathe, cui aliàs inservierat, defecisset; Amurathes ipse maximo exercitu, ac Mahomete etiam proprio filio secum ducto, Croiam venit; atque urbem ipsam, diù machinis bellicis impetivit. Verùm cùm eius capiendæ nulla facultas daretur, amovit quidem indè castra: sed tantum dolorem, vel potiùs rabiem, ex câ re cōtraxit, ut malâ valetudine correptus, Adrianopoli demùm è vita excesserit.

Summa, rerum ab Amurathe. 2. gestarum. 1.

Mustha supposititius, principio Imperii Amurathis, turbat. 2.

Falso rumore sparso, res magni momenti sæpè conficiuntur: Falsche new Zeitungen außsprengen: 2.

Quis Amurathem, Mustapham persequentem, per Hellespontum transvexerit. 3.

Græci suppositi tium Mustapham fovent, imprudenter. 4.

Magnâ prudentiâ opus est, cùm deliberatur; an sit aliquis adjuvandus, vel potius Neutralitas colenda. 4.

Græci alium Mustapham, Amurathis se: fratrem accersunt, & fratri opponunt. 4.

Fratricidia, in Turcia necessaria censentur. 4.

Proditio rebellis, excusatur boni publici prætextu. 4.

Bella Christianorum, & dissidia Græcorum domestica, promovent Amurathis successus. 5.

Divisio Imperii Saracenici, inter plures fratres, multùm nocuit eidem. 5.

Quod Græci pactis in Concilio Florentino initis, stare noluerunt.

runt ; idi fis Latinorum auxilia, ut frustrà essent e e-
cit. 5.
eti, appetunt Imperium Constantinopolitanum ; metuūt-
que, ne id per enat ad Hungaros. 5.
ssionicam Venetis adimit Amurathes 6.
llum Varnense, Christianis infelicissimum. 7.
adislao nocuit, etiam Turcæ fidem non servâss. 8.
loni aliquot, malunt semetipsos, mutuis vulneribus occidere ; quàm Turcicam sævitiem, & libidinem experiri. 8.
ieni Regni usurpator, ex merito à Deo punitur. 8.
. Hunniadis victoria, & clades. 9.
rci fugientes, sæpè vincunt. 9.
n erbegi fortitudo & robur. 10.
rcis, nisi concordi Christianorum conatu, resisti nequit. 10.
ci ossa Scanderbegi, amuleti loco usurpant. 10.
rs, & Mores Amurathis. 11.

X. *Mahometes II. Primus Turcarum Imperator.*

A. C. 1451.

MAhomed II. Patri Amurathi, II. successit: Duorum Imperiorum, Cō ntinopolitani nempè & Trapezunti, II. Regnorum, & CC. Urbium m arum expugnator. Bella gessit cum inniade, ut & cum Usumcassane Per- Venetis, item Walachis, & Scander- o; à quibus victus aliquandò, tandem ad tributum, vel saltem ad pacem ade- Undè à Turcis, sui ævi pulcherrimā us, Osmaneique generis honestamen-

tum indigitatur: & eo regnante, Cæleste Numen, res Osmaneas insigniter beare decrevisse censent. *Leunclav. lib.14. ad fin.* Ac meminit Chronicon Bergomatis, à Christianis magnum Turcum: meminit quoque Geufræus, à Turcis Doiuc, id est magnum cognominatum. Traditurque ab aliis, Terrorem orbis vocari voluisse. Hunc & vulgò Turcarum primum Cæsarem; à devictâ Constantinopoli, tanquam Imperiali sede, adpellant.

2. De initiis Imperii Mahometi, II. ita Cuspinianus. Mahometus Amurathi filius, admodùm adolescens (vix enim viginti natus annos, à patre jam senio fesso Imperium accepit) qui Calibassam, inter satrapas Turcorum, opibus & authoritate virum insignem, quod per ætatem Imperio nondum esset aptus, ei gubernatorem dedit. Tum brevi pòst, mortuo patre Imperium assecutus, dominandi libidine & ambitione inflatus juvenis, gloriæ & novarum rerum percupidus, scelera quæque attigit, patre longe truculentior. Et ut regni initium parricidio auspicaretur; quo die Amurathus pater è vivis excessit, fratrem nomine Thursinem, mensem agentem infantiæ decimum octavum, continuo jubet occidi: ne pater solus sepeliretur. Vix enim pater animam efflârat, cùm cursim relictâ omni celebrandâ funeris curâ; petit ædes, ubi à nutrice infans alebatur. Ingressus igitur, perindè atque furore percitus, quærit infantem. Inventum in cunis,

it, & fibrisu veluti blandientem, violentâ
ju abripit, ad proximum parietem inflictu-
. Quam facinoris atrocitatem conspicatus
fes, immanissimo tyranno & charissimus &
olis orat ne fraterno sanguine manus in-
iet. Exorat ea lege, ut ipse continuo infan-
interimat. Paret Moses, moxque infantem,
ræsente & immotis oculis aspiciente Maho-
o; multâ vi aquæ obrutum suffocat. Infœlix
er extincti Thursinis, horribilitate sceleris
râ, accurrit ilico, humi jacentem manibus
item tollit; complet ululatibus omnia. Et
iiam vitæ mortem in tanto luctu præfere-
audax tyrannum multis cum singultibus,
icrepat. Hic est, inquit, frater tuus ille Thur-
, ô Amyra; quem tibi moriens, pater tantis
ymis commendavit? Siccine decet tuum
iinem jugulare, ac macerare innocentem?
ne decet fraterno sanguine auspicari Impe-
?O nefas, ô crudele scelus, plusquam tyran-
n & immane. Sic vitam tuam finies, crede
, nec alia te fata unquam manebunt. Hæc &
ia dicens, nimio dolore perculsa, exanima
idit. Iubet mulierem attolli tyrannus, ob
iphalis facinoris magnitudinem. Tum hi-
ic lætus, simulatisque ac fucatis verbis,
em lenire cupiens; necessitatem ferre æquo
o persuasit, cum factum infectum esse non
t: veterem Othomannorum principũ con-
dinem esse, ut cæteris interfectis, unus
er relinquatur in regno. Nam ut neq; plu-
nt dii, ita neque plures debere admitti re-
taque ut bono animo sit hortatur; nam ei
filio semper fore. Erat huic mulieri privi-

gnus Mahometus, quæ genere erat Turca, & Amurathi uxor: cùm ipse ex matre natus esset Albana & serva. Et ut insanientem mitigaret fœminam, adjecit, si quid vellet, audacter peteret: nihil enim se passurum petitũ ab ea frustrà posse judicari. At mulier ut ira ardebat, animo ad ultionem parato, ad vindicandam innocui sanguinis injuriam, facinoris ministrum impium Mosen expetivit. Cui mox hunc familiarem suum, immitis tyrannus vinctis post terga manibus, ac pedibus catenatum dedendum imperat. Quem efferata mulier ut accepit, cultellulo qui ei pendebat è zona, pectus miseri hominis, frustra opem domini astantis coram implorantis, ad cor usque transfigit: nihiloque cunctata, latus dexterum aperit, jecur abscissum eruit, datque canibus discerpendum. Hac vindicta mulier satiata, conquievit. Habuit item Amurathus pater Mahometi, uxorem, filiam Sponderbei nobilis in Penderatia satrapæ; ex qua natum filium nomine Calapinum, sextum agentem mensem, Calibassæ moriens commendavit. Ille Mahometi gratiam initurus, & matrem & puerum ei prodidit. Mahometus accersitis 30. (ut ajunt) matronis, quæ puerum cognoscerent, postquam certam Amurathi esse sobolem constitit, strangulatum matri filium reddidit, funusque regio more fraternum duxit. Alii scribunt, Calibassam alienum puerum Calapini nomine suppositum, ac pro filio Amurathi necatum fuisse. Calapinum verò Constantinopolim translatum, ac clam educatum; post captivitatem urbis indè subtractum, ac primùm Venetias, eum Romam, Calixti pontificis jussu ductum, ac pro-

pro fratre Mahometi in palatio custoditum.. i tandem lavacro baptismatis ablutus, Cali-s est dictus Othomanus. Hic posteà in Ger-nia, venit in magnam familiaritatem cum derico III. Imperatore, à quo regiè donatus, nunificè reditibus annuis provisus, in Au-a pluribus annis vixit: vir mansuetus ac re-iosus, & qui multarum rerum habuit expe-ntiam. Hunc senem Viennæ cognovit Cuspi-nus, ejusque colloquio (nam linguam Lati-n egregiè calluit) sæpius usus est. Defunctus in Austria, cùm iam speciosissimam puellam rinem nobilem, de Hohenfeld, uxorem du-et. Quæ vidua facta, antequam uxor esset, nasterio se inclusit, ut virginitatem perpe-custodiret. De auspiciis item Imperii hujus corum Regis, ita Chalcocondyles, *a.l fin. lib. 7.* hmetes Amuratis filius, ad regni guberna-perveniens; rebus eam formam induxit, m in præsentiarum utilissimam fore puta-Fœdus cum Græcis sanxit, iisq; maritimam regionem concessit. Etiam cum Tryballo-principe pacem fecit, cui filiam, Amurathis rem, ipsius verò novercam, remisit; putans rem gratam facere. Regione eidem, quan-anteà contribuit. Fratrem suum, cùm regni leramen susceptisset, peremit: cùm aquâ in-spiritum ejus intercIusisset. Hunc autem fecit regis pincerna, nomine Sarapares qui multò pòst fato functus est Fratrem suum nunc modum è medio sustulit. Amurathis am uxorem Spenderæ filiam, in matrimo-n collocavit viro in Ianuis potentissimo: n Isaacum nominabant. Hunc plurimùm dilige-

diligebat, eumq; Asiæ ducem declaravit. Fœdus percussit quoque cum legatis, qui ab Peloponneso advenerant. Septem millia virorum erant, qui curabant accipitres regios, quos isto ex ordine deturbavit; & milites esse jussit. Etiam canum curatores, ab isto officio movit: inquiens, sibi sufficere centum viros, qui canes; & quingentos, qui accipitres curent. Nec se eò stultitiæ processurum, ut velit agere hominum tantam multitudinem, propter rem quandam vanam & novam. Adjuvit Demetrium Peloponnesiacum principem, in eo bello quod cum fratre (Thomâ) gessit, cui regione cedere recusabat.

3. Ille idem, à Croia Epiri (quam cum 80000 hominum obsederat) Scanderbechi armis repulsus; Thessaliam, Aetoliam, Armeniam, Achaiam, Bæotiam subjugavit: Athenas nobilissimam urbem delevit; ne fundamentis quidem parcens. Arx Athenarum, quæ aliquandiu repugnaverat, PRODITIONE Florentini militis est capta. *Dornavius, sub A.C. 1452.*

4. Mox Anno sequenti Constantinopolin, non planè duobus mensibus obsessam Orientalis Imperii, (annos supra mille & septuaginta) sedem expugnat. Constantinum Palæologum Imp. cæsum truncavit capite, quod ludibrii causâ, hastæ affixum per urbem circumtulit: filias eius in convivio stupratas dissecuit. AVARITIA nobilium in causa fuit: qui thesauros suos maluerunt hostibus relinquere; quam Imperatori ad conscribendum exercitum subministrare. Astu autem, cùm multi servorum habitu laterent, evocati; miserabiliter penè ad unum omnes extincti sunt. Tantamque rei Christianæ

cladem

lem aliquot PRODIGIA antecesserunt.
lò enim antè compertum est, apud Comum
ioris Galliæ urbem, vergente ad occasum
ingẽtem canum multitudinem per aëra fer-
ostque diversorum pecorum armenta: spe-
item peditum, primò levis armaturæ, dein-
astatos, scutatosque subsequi: equites quo-
in turmas divisos, ingẽti instructâ acie, pro-
os, horis fermè tribus, imaginem adventã-
xercitus præbuisse. Demùm corpore proce-
nmanem & formidabilem hominem, suprà
n dici possit, veluti exercitus ductorem, ter-
i equo insidentem processisse: aliaque ludi-
oculorum, per inane apparuisse: donec no-
ppetente, visio omnis illa dilapsa fuit.
vius, A. C. 1453.
De Constantinopoli verò capta, latè Chal-
ndyles lib. 8. & quoque Leunclavius, lib. 15.
Ac inter alia, ita Leunclavius scribit. Re-
s Burusam, è bello Caramanico Sultanus
ametes, rectà Callipolim trajicere cogita-
it Hadrianopolim indè pergeret. Sed nun-
m ei fuit, fauces illas Calliopolitanas, id
oris à Christianorum navibus obsideri.
nobrem Muhametes, auctoribus consilia-
iis, per Cozza-ilianam, provinciam Bith-
isem profectus: supra Constantinopolim,
cem Acce chisar (Albam significat, ut è
ne positâ trans Bosporum, Cara-Cula, sive
turris & arx dicitur) pervenit; & quò pa-
fius ante paucos annos, eodem & ipse loco
it: ac in Europæo litore, prorsùs ex adver-
tæ arcis Anatolicæ Accechisaris, castra me-
consedit. Hinc Chalilem bassam adpellãs:
Mi.

Mi Lala, mi tutor, inquit, hoc in loco necesse est arcem exstruamus. Statimque præcepit, ut illic arx nova, Turcis & Geni-chisar, & Genitze-chisar, Græcis Neocastron adpellata, conderetur. Arcis etiam nunc indicatæ, quæ sita trans Bosphorum est in Anatolia, refectæ fuere turres: & arcem utramque, tormentis impositis, ita muniit Muhametes: ut ab eo tempore nulla possint inter ambas, invitis harum præsidiis, transire navigia. Novæ demum arcis absolutâ structurâ, misit eò Sultanus Muhametem begum Aczapluem, qui perpetuis excubiis in omnes intentus esset, quotquot extra Constantinopoleos portas prodirent, & eorundem armenta cum gregibus abigerent: tandem ut urbis portas ipsimet occludere cogerentur. Arcis non structura tantummodò: sed etiam munitio contra vim quamvis, eo curata fuit anno, singulari Sultani Muhametis studio: rebus in eam necessariis omnibus invectis. Numerabatur autem An. Ch. 1452. Postea quam ædificata primùm, deindè rerum omnium adparatu bellico peridoneè instructa: durantibus adhuc hibernis mensibus, Geni-chisar fuisset. Adpetente iam primo vere, Sultanus Muhametes, cum Chalilem bassam adpellans: Mi Lala, mi tutor, inquit, planè mihi degendum Constantinopoli hâc erit æstate. Quùm autem princeps Constantinopolitanus, adparatum Muhametis, & sequuturam mox obsidionem urbis intellexisset: consiliarium suum eximium ad Sultanū legati nomine misit (Nomine Kyr Lucam) ac pacem ab eo postulavit. Quidquid autem is, Imperatoris sui nomine Muhameti offerret, quidquid ageret, impetrandæ pa-

pacis causâ; nihil omninò Muhametes adtere,nullam pacis ineundæ conditionem tobilem audire volebat. Venit tamdem maxicum adparatu bellico, cunctisque rebus ad ugnandam urbem idoneis; exercitu secum ucto longè numerosissimo, qui ex omnibus erii Muhametis finibus, ad hanc obsidioı ultrò confluxerat. Versus muros, & portas estres,urbem copiis suis circumfuderunt extus Europæi & Anatolici. Triremes armatæ, nero CCCC, mari claudebant obsessos inbem; ne qui vel ingredi, vel egredi pos. Naves etiam LXX. è regione urbis, pro Galatam,ultra montes illos transvectæ, vexpansis;inauditâ cum industriâ & artificio, declivia demissæ fuerunt in sinum maris ıstantinopoli & Galatæ interiectum: quem tinum vocant. Hæ deindè milites, armatos s indicatum sinum in terram, subter ipsos s muros,exposuerunt: ut scalis secum adlaos conscenderent, illo ipso momento, quo i mœnia, turresque terrestres expugnaban Idem ille sinus etiam, ponte constratus fuit; itò plùs negotii Byzantinis, & pluribus quiè locis,exhiberetur. Princeps urbis, Continus Imperator, cum consiliario suo Kyra, suis auctor erat, ut urbis deditio maturè, libuscunque conditionibus fieret. Sed obant Itali,qui se dimicaturos summis aiebant ous: nec permissuros, ut absque sanguine is urbe potiretur. Pugnatum utrimque totis ebus & noctibus continuis. Ad extremum, quinquagesimo primo, Sultanus militi suo statem urbis diripiendæ fecit: quæ res ita

Tur-

Turcorum animos excitavit, ut in urbem absque morâ vi perrumperent. Tum verò sævitum in urbe, nullo non immanis grassationis genere. Principi Constantinopolitano, caput amputatum, Kyr-Lucas omni suâ cum familiâ captus fuit. Periit etiam Osmaneæ stirpis quidam, cui nomen Vrchan erat. Eum Turci Dusmen cognominant, id est suppositicium; Græci genuinum fuisse tradunt: utrique Emiris Suleimanis ex Vrchane filio nepotem, Baiasitis I. pronepotem. Vrbe direptâ, milites amplissimis ditati fuere, saturatique spoliis; adeò quidem, ut hinc natum sit proverbium, quòd direptioni Constãtinopoleos interfuisse vulgò perhibetur, qui ditescit. Primo post urbem captam, Veneris die, celebratum ad Aiam Sophiam, (sic Turci scribunt) hoc est, ad Hagiam sive sanctam Sophiã, festum fuit longè maximum, conceptæque preces Hutbeæ Sultani Muhametis nomine, pro ipsius tam incolumitate, quàm prosperitate; ritu veteri, quo Turci suis omnia fausta principibus optare solent. Statim atque Constantinopolis in potestatem venisset, præfecti rerum capitalium, sive Subassæ munus, Suleimani bego, Sultanus Muhametes dedit. Hinc urbem cædibus exhaustam, & pænè dirutam, novis incolis frequentem reddere cupiens, & instaurare; in omnes Osmanei provincias imperii quosdã mitti jussit, qui publice denuntiarent universis, patere Constantinopolim omnibus, qui quidem eo venire, suumque domicilium istic constituere vellent. Hàc in omnes regni partes divulgatâ famâ, quibuscumque libuit, urbis inhabitandæ potestas facta fuit; quæ quidem hâc viâ pristinã inco-

larum frequentiam, paullatim recuperare
. Missa deinde fuerunt etiam hinc ... ad
es & subassas mandata; qui ... qua-
vis regionum, tam opulentos, ... pau-
, migrare Constantinopolim iuberent. Hoc
n modo factum, ut eo mortalium magna ad-
multitudo conflueret. Sed posteà, quàm illi
næ Constantinopolim complessent, solo
illorum ædium censùs impositus fuit, sin-
annis solvendus. Eâ re popvlus ille novus,
mopere territus & offensus, Sultani mini-
graviter increpare cepit: Itáne vobis aucto-
, domos nostras in patriâ distraximus, & in
um quasi spontaneum nos contulimus, ut
pro Gaurorum ædibus, annuum censum
taremus? haccéne de causâ, nos hùc trāstu-
? Simul ipsorum pars major, abductis se-
uxoribus & liberis suis, discessit. Erat inter
Muhametis proceres, quidam Cula Scha-
è paternis avitisque ministris ei reliquus,
s vir profectioris. Hic compellato Sultano:
avusque tuus, inquit, ô felix Sultane, tot
s, tot urbibus occupatis, nullo tamen in
solvendum soli nomine censum constitue-
Itaque nec te nova par est introducere gra-
na. Motus hâc Schahinis oratione Sulta-
Muhametes, soli censum remisit. Hinc Con-
opolis incolarum multitudine rursus im-
cepit; donec tandem Muhametes, natione
, Vezir bassa factus est. Is enim denuò
rum Muhametem seduxit, & lucri com-
s ille tum perpulit; ut iterum sibi propo-
, omninò soli censum ab incolis urbis exi-
um. Quippè Muhametes hic Vezir, Con-
stanti-

ſtantinopoli natus erat, & invidiâ motus ægrè tulerat, absque ullo Muſulmanos onere domos urbis ſuæ patriæ poſſidere. Quamobrem ſoli cenſus annuus ille, qui adhuc Conſtantinopoli ſolvitur, ipſo Sultanum ſeducente, tunc ædificiis urbanis impoſitus fuit. Prætereà templum Aia Sophia, ſive ſanctæ ſapientiæ Conſtantinopolitanum inſtauravit, & qua ruinoſum erat, refecit Sultanus Muhametes. Ad ſummamq; ita Conſtantinopolim totam renovavit, incolarumque numero & copiis auxit; ut in univerſi hujus orbis terrarum finibus, nullam urbem huic parem poſſe reperiri, plerique teſtentur. In itineribus etiam, quæ Conſtantinopolim ducunt, multa Sultani Muhametis ædificia balineorum & hoſpitalium, pro viatoribus, & mercatoribus, inveniuntur. Ipſa quoque paſſim ab eo fuit inſtaurata Græcia. Denique viris in urbe Conſtantinopolitana doctis, pauperibus, pupillis, viduis mulieribus dona diſtribuere ſolebat; ex animi benigni liberalitate profecta: quæ dici conſueverunt eleemoſynæ. Doctoribus etiam menſtrua ſalaria conſtituit. Quæ verò ſuis ipſe manibus largiebatur, nec modum, nec finem habebant. Referunt porrò Turci, ſcriptum apud ſe reperiri ſapientum in libris: ac præſertim in eo, cui nomen ſit Meſſabili: futurum, ut priùs, quàm exeat Deqnal Lain, hoc eſt Antichriſtus improbus, & maledictus: bis Conſtantinopolis occupetur. Primum gladio capiendam eſſe. Deindè judicii tempore adpetente, filios Ishaci non gladio, ſed per invocationem divini nominis eam capturos. Priorem vaticinii partem, de occupandâ bellicis armis urbe, jam impletam fatentur: & quà-

idem illo tempore, quo Sultani Muhametis
us, in potestatem ea venit expugnatione. Al-
ius occupationis eventum, & quinam illi sint
acidæ, qui precibus & hymnis eâ potituri di-
itur, ipse dies dabit. Chalcocondyles inter a-
& hæc habet: Appetente jam æstare, Mech-
tes Amurathis filius, præparans in Asia plu-
ùm calcis, condere instituebat in Europa, ju-
Propontidem in Bosphoro, quâ via ad trans-
andum ex Asia arctissima est, urbem Læmo-
iam nuncupatam. (Læmocopia arx juxta
um, nunc Bogazasar, quasi juguli incisuram
punctura dicas, Der Todtstich / oder Krag-
vocatur.) Vniversos qui in Europâ & Asiâ
nt, ad id opus perficiendum evocabat. Qui
impigrè advenissent, ædificare auspicati
t, cùm priùs in singulos duces & præfectos,
s universum fuisset distributum. Causa, quæ
m ad eam urbem extruendam impulerat,
erat: videlicet, ut transitus in Asiam sibi fa-
effet, & ne Occidentales venirent, navibus-
traiectum impedirent, novasque res in Asia
lirentur. Eam urbem, plurimùm quoque
ferre judicabat ad Byzantii oppugnationē.
res etiam tres, quas maximas novimus, po-
; duas extruxit juxta continentem, ut ab his
gressi, irruere possent in naves, quæ mare le-
nt. Harum alteram fecit maximam. Turres
tereà plumbo intexit. Latitudo muri erat
um viginti duorum: at turrium latitudo e-
maior, continens triginta pedes. Cùm muri
starent, quos operæ intra tres menses absol-
nt: impetum dedit in Byzantii regionem, ex
esso cum Byzantiis bellum gerens. Aestate
deindè

deindè sequente, ubi primò Ver apparuit, Mechmetes Amurathis filius expeditionem contra Byzantium sumebat. Iam anteà istam expeditionem, mente conceperat, verùm priùs in Propontide urbem Lemocopiam ædificare volebat. Cùm autem hyems adhuc sæviret: edicit ut omnes qui in Asiâ, quique in Europâ agerent, ad maritima loca convenirent, ad classem fabricandam. Naves & triremes fabricabantur. Bombardas fieri curavit maximas, quantas novimus eâ tempestate nunquam extitisse. Cùm jam tempus postulare videret, ut ipse bello se immitteret, Europæ ducem Saratziam, jubet cum exercitu Europæ, præcedere: Bombardas & reliquas belli machinas, nec non Bombardam maximam, Byzantium subvehere. Tanta hujus Bombardæ magnitudo extitit, ut à septuaginta jugis boum, & à viris bis mille trahenda fuerit. Saratzias, ubi advenit Byzantium, turres in quas agricolæ se recipiebant, fugientes hostem, quasdam fano expugnavit, quasdam vi cepit: viros indè abductos necavit. Etiam Byzantii regionem, gravissimè populationibus accedens afflixit. Nec multò pòst secutus est Rex ipse, & castra posuit, quæ ab una maris parte, in alteram porrigebantur. In eo loco qui à dextris regi erat, usque ad eum locum qui Aureæ portæ dicitur, castrameratus est Asianus exercitus. In sinistra parte, juxta locum qui Lignea porta appellatur, Europæ exercitus tendebat. In medio regia castra sita erant cum peregrinis & Ianuæ militibus, qui castra circa regem ponere consuevêre. Zoganus regis affinis, è regione supra Galatiam urbem, castra communierat. Quadraginta myriades hominū, dic un-

ntur tum temporis in exercitu regis fuisse. rerum autem jumentorū, apud omnes conduplò majorem fieri; ut satis alimenti paque equis hominibusque sit. Soli etenim i, quod sciam, sibi necessaria semper apporquocunque tandem bellandi gratiâ profintur. Prætereà, ut commeatuum copia abt, camelos & mulos quamplurimos, ut in lariis serviant, secum ducunt. Mulos quihabent propter aliam ipsorum fœlicitatem. uli verò equos, camelos, mulosque pulres ostentandi gratia adducunt. Rex cùm set Byzantium, haud multò pòst secuta est s regia, in qua erant triremes triginta, naminores ducentæ. Græci ubi intellexêre adm se adventare classem regiam, cathenas is, ab urbe quæ ex adverso erat, extendeрunt zantii murū, prope arcem. Naves prætereà quot aderant, quarùm quædam auxilii feratiâ, quædam mercium appulerant, inthenas sistunt: ut aditu regiam classem exrent, ne intra portum veniret. Is enim ad n patet stadiis octoginta, & in continene porrigit stadiis centum & quinquaginta. quidem illius mœnia haud admodùm sit nt, nec admodùm magna flumina habet, ves advenientes periclitentur. Quà verò pectat continentem, muros habet duos firmos. Vnus magnus & memorabilis est: altera situs, verùm præcedente minor: fossam tam habens latitudine jugeri, lapidibus tam. Rex cum Græcis deliberabat, ubiresistendum esset hosti. Tandem visum ut irent in exteriorem murum, qui fossâ

munitus erat, & repugnarent hosti; quemadmodum fecerant, cùm Amurathes Byzantium oppugnaverat. Rex Mechmetes, continuò machinas plurimas urbi admovit. Bombardas duas expediebat, quibus mœnia sterneret. Vnam opposuerat regali Græcorum palatio: alteram direxerat in Romani nominatam portam, ad quã regis castra erant. Erant autem Bombardæ per castra undique dispersæ, quæ globulos in Græcos jactabant. Bombardæ quas Rex habebat, duę maritimæ, emittebant lapidem, qui appendebat talenta duo, aut amplius. (ultra centum libras.) Lapides hi nigri erant, & apportabantur ab Euxino ponto, per eos quibus Rex id negocii dederat. Bombardarius Regis nomine Vrbanus, genere Dacus erat, & anteà conversatus erat cũ Græcis. Deinde relinquens Græcos, inopiâ rei familiaris, accesserat Ianuas (Aulam) regis. Hic ab Rege conductus, magno precio Bombardas parabat. Eâ autem tempestate, quâ Byzantium oppugnabatur, Bombardæ duæ, quæ stabant ab utroque latere majoris Bombardæ, incendebantur. Hæ emittebant lapidem cujus pondus erat dimidium talentum. Hæ itaque, cùm globos suos torquerent, muri lapides perfringebant. Eos deindè sequebatur Bombarda maxima; quæ torquebat globum cujus pondus continebat tria circiter talenta, & magnam muri partem sternebat. Nam is globus, mirum in modum magno impetu latus, graviter omnia dissipabat. Bombardæ hujus tonitru, tantùm esse traditum est, ut finitima regio, usque ad quadraginta stadia cõcuteretur. Murus externus, nec non turres Bombardis subiiciebantur. Etiam internus murus,

ombardis arietabatur. Bombarda maxima in-
erdiù septem ejaculabatur globos; noctu unū•
ui diei signum erat: & indicabat ubi nam eo
ie globos torqueri oporteret. Et quidem primò
error iniiciebatur Græcis maximus. At peregri-
i & reliquus exercitus, parantes tegmenta &
luteos, ex luto rubro & albo pro castris, subi-
ant murum, & ingrediebantur fossam urbis; sa-
s muniti & tecti iis tegmentis. Præterea perfo-
ientes eum locum, qui extra fossam erat, facie-
ant foramina, ex quibus bombardarum globu-
s & sagittis, graviter afflixêre Græcos: cùm in-
rim ipsi nihil mali ab his paterentur, nec quo-
ue videri possent. Nam ne nocere quidē Tur-
s Græci, & si maximè voluissent, poterant. Rex
uoque curavit effodi cuniculos, qui in urbem
rrent. Fossores, qui cuniculos agebant, excita-
int turres quatuor excelsas; quæ insistebant
achinis ligneis, & alia propugnacula, ex qui-
is illicò ignem jacularentur in hostem. Cuni-
ili tamen, haud prosperum invenêre eventum.
am Græci, ut sensere hostem cuniculos agere,
diendo Turcis occurrerunt: eosque injecto i-
ie, expulêre cuniculis, cuniculosque obtinuē-
. Copiæ quoque Græcorum, subindè infirmio-
s reddebantur; cujus causa erat urbis amplitu-
. Ambitus enim hujus urbis, maximus est ea-
m quæ apud nos sunt urbium. Continet enim
circuitu, centum & undecim stadia. Cùm au-
m milites undique per urbem distribueren-
r, accidit ut minus munita foret, cùm exerci-
s in hunc modum distraheretur. Iam quadra-
nta diebus, murus Bombardis fortiter quassa-
s erat. Cciderant turres quatuor, nec non alia

propugnacula, murique pars magna. Corruerant prætereà turres majoris muri, Bombardis ictæ. Græci quidem primò, & ipsi Bombardas suas expediebant, easque in hostem dirigebant. Græcorum Bombardæ emittebant globum, cujus pondus erat talentum cum dimidio. Harum unum, opponebant Mechmetis Bombardæ maximæ. Verùm quandò globum eiaculabatur, tantus edebatur sonus, ut mœnia moverentur; Græcique plus detrimenti quàm Turcis inferret. Quapropter parùm efficiebant: Bombarda enim, quam habebant maxima, ubi primùm incensa est, dissiluit. Hinc irati, contra Bombardarium insurrexerunt; quasi muneribus ab Mechmete corruptum, eumque capitis anquirebant. Cùm autem nullum satis manifestum signum, quo crimen comprobaretur, invenirent: crimine eum absolverunt, atque impunitum dimisere. Mœnia, quæ Turci Bombardis straverant, noctu scalis quibusdam & doliis obstruentes, reficiebant summâ celeritate. Murus, cùm jam satis esset disjectus, peregrinique facilè penetrarent in urbem; jussit ignes solitos undique per castra fieri. Cætera quoque ita instruebat, quasi qui tertio ab eo die, vi irrupturus esset in urbem. Misso itaque præcone in castris, pronuntiat se urbis prædam & mancipia, militibus concessurum. Intereà quùm hæc parabantur, & murus Bombardarum impetu jam diruptus esset: Scenderis, qui Sinopen regebat, filius, nomine Ismael, ad Græcos abiit, & cum eis in hunc modum orationem habuit: conabatur enim Græcos ad fœdera sancienda cum rege perpellere. Res vestræ, viri Græci, in summo discrimine nunc versantur.

ntur. Quare non mittitis legatum ad regem, tutum pacem? Si mihi vultis negocium istud mmittere, facilè eò inclinabo regis animum, vobiscum fœdus feriat. Nam non dubito, in gratiam maximam sitis relaturi ei, qui il- l vobis effecerit. Et ni quamprimum fœdus ervenerit, urbs vestra fœdissimè diripietur; os ad internecionem, omnes miserabilem in dū peribitis. Vxores & liberi vestri in man- iorum numerum referentur, & in calamita- n devolvemini intolerandam. Mittite igitur, ra omnis absit, legatum ad regem; & pacem bis conficiam. Hęc locutus est Ismael Græcis. ndè consilia in unum conferentibus, visum ut legatus abiret ad Mechmetem, tentaturus entiam regis; quam super Græcis, jam men- oncepisset. Is autem qui ad regem legatus ussus erat, haud erat vir admodùm illustris, aro genere natus. Quem, cùm venisset ad la- s regis, operâ Ismaelis: Rex jussit renunciare cis, ut tributi nomine quotannis decem my- les aureorum numerent. Sin autem condi- hæc ipsis impossibilis visa fuerit, abeant re- uentes urbem, singuli cum bonis suis, quo- que voluerint. Sententia Mechmetis ut pro- ta est Græcis, ad consultationem vertuntur. dem multis, ultrò citroque dictis; ea senten- icit, cuius tenor erat: magis repugnandum osti, quamvis ingens discrimen se ostentet, n ignaviam imbellem sequi: & nullo com- o prœlio abnavigare: deserētes urbem. Ego imo, legatum Græcorum cum hujusmodi nso ab Mechmete ad Græcos dimissum, ut n animos tentaret. Nam cùm fossas eorum

 cerne-

cerneret usque fieri ad repugnandum inhabiles, conabatur explorare, quænam Græcorũ in præsenti discrimine esset sententia: præterea num res eorum adhuc aliquid roboris, sive firmitatis haberent. Pronuntiat munera, & dona ei, qui in istâ oppugnatione se optimè gesserit: illi autem qui se prælio subtraxerit, capitale supplicium præmium fore edicit. Zichides (Turcorum sacrificuli) in castra progressi, in memoriam redigebant Turcis gloriã, quâ hactenùs claruissent. Præterea dicebant, Heroa iis qui in prœliis occumberent, sempiternam polliceri beatitudinẽ. Commemorabant & alia, ut gens illa assolet. Græci virum Ianuensem (ex Genuâ Italia) qui auxilio venerat, cum nave maximâ, & trecentis armatis, eo loci cùm suis consistere jubent, ubi Rex & peregrini irruptionem facturi erant. Ibi stantem cum suis armatis, vim hostilem amoliri volebant. Haud procul aberat Rex Græcorum cum suis: ut quàm fortissimè hostes propulsaret. Etiam Cardinalis Isidorus Sarmatarum antistes Græcis, penes quos ea tempestate erat, auxilio fuit. Aderat enim, ut synodum congregaret, & Romano Pontifici Græcos reconciliaret. Hæc quidem paulò antè confecerat. At Græcis illa cum Romanis reconciliatio, nimis sera extitit. Rex Mechmetes, cùm tempus jam advenisset (erat autem Martis dies) ut oppugnationem universis copiis aggrederetur, cymbala, cornua, tubasque canere jubet. Signumque occipiendæ oppugnationis, dedit: & urbem summo manè fortiter oppugnabant, irruentesque in urbem, præliabantur magnâ virtute. In eo muro, qui portum spectat, Græci fortissimè resistebãt, Turcosque

que magnanimiter expellebant. Etiam capi-
quorundam,qui ſcalis admotis murum ſupe-
conabantur, amputata de muro devolve-
tur; cùm Græci ſummâ vi mœnia defenſa-
t. Eâ parte,quâ Rex cum peregrinorum ma-
irruptionem fecit, Ianuenſes armati vi ſub-
ti ſunt. Longus horum Dux, vulneratus eſt
num,ictus Bombardæ globulo. Reliqui ar-
ti,haud manſere à vulneribus intacti. Deſe-
tes igitur locum,quem occupaverāt,Ianuen-
in fugam vertuntur; quos fugientes cæde-
it Turci. Longus Dux cedebat: eum ſeque-
itur armati, quos hoſtili animo inſequeban-
Turci. Rex Græcorum, ut accepit Ianuenſes
iſſe loco,quem defendendum ſuſceperant, &
am inire: accurrens citato gradu Longum
cunctatur, quónam abiret? Cui Longus re-
ndit,eà quà Turcis Deus ipſe iter aperit. Ve-
n Rex Græcorum,ad Cantacuzenum & alios
icos converſus,dixit: Eamus ô viri, forti ani-
contra barbaros iſtos. Cantacuzenus, cùm
ſſet vir optimus, in eo prœlio mortem oppe-
. At Rex Græcorum Conſtantinus, in fugam
njectus eſt; hoſteſque continuò inſequentes,
is humerum vulnerarunt: atque mortuus eſt.
liqui Græci, ubi conſpicati ſunt peregrinos
magnum murum curſitare; miſſilia & ſagit-
, & lapides de ſupernis torquere: præterea
ngum, cum ſuis armatis in fugam effundi, &
equi fortiter peregrinos; nec ipſi dubitarunt
gam arripere; cùm ſinguli extra murum ſe ja-
re cuperent, ut evaderent hoſtium manus.
m fugâ celeri eſſent delati ad Romani nun-
patam portam, impediti affluenti undique

nt cædentibus & cæsis, fugientibus & pere-
entibus. Notaræ regis præfecto (qui & Kyr
cas, ac Leontares) & Orchani Mulumanis
oti, ut ipsi Græci indicarunt, hæc acciderunt.
m audivissent captam esse urbem, accurrerũt
turrim quandam urbis: quasi hic deliberatu-
an omnes fugâ sibi consulere deberent. Cùm
hanc turrim advenissent, Orchanes obsitus
nnis cujusdam Nazaræi, (Ita Monachos vo-
nt) seipsum præcipitem ex turri dedit, eoque
u mortuus est. Notares obsidione circumda-
s, tandem in confertá hominum turbá, simul
m liberis in hostium potestatem venit. Pere-
ini continuò regis castra, mulieribus & pue-
, qui erant Græcorum illustrium liberi, reple-
runt: magnasque indè opes ferentes, admo-
m opulenti facti sunt. Videre erat regia ca-
a, plena viris & mulieribus se invicem vocan-
bus: nec non liberis istâ calamitate admodùm
tonitis & perculsis. Multùm auri, argentique
urbe in castra portabatur: lapidum precioso-
copia erat maxima. Locus castrorum, omni-
enis vestibus repletus erat: adeò ut uno die di-
rentur ista castra admodùm insignium virorũ
ivitiarum & ceteræ felicitatis abundantiâ; ut
ubitarent Turci, quo pacto ea rerum omnium
opiâ, frui possent. Vendebantur lapides precio-
issimi parvo precio: quia peregrini eorum pre-
ium ignorabant. Interdùm aurum pro auri-
halcho peregrini vendebant. In hâc rerum tur-
á miserabili, captus est Cardinalis Isidorus Sar-
matarum antistes: qui ductus in Galatiam urbẽ,
venditus est; & conscensâ navi profugit in Pelo-
ponnesum. Si Rex Turcorum virum hunc novis-

ſet, videlicet quòd Cardinalis eſſet, certè eum interfeciſſet, nec eum fugâ elabi permiſiſſet. Verùm cùm eum quoque inter cæteros occiſum eſſe putaret, nullam ejus rationem habebat. Poſthæc quidam, caput regis Græcorum ad regem attulit, & ab eo munera magna, nec non principatum accepit. Quomodò autem Græcorum Rex interierit, peregrinorum nullus explicare potuit. Creditur tamen in portâ, ſicut & reliqui, expiraſſe: cùm regnaſſet annis tribus & menſibus tribus. Venere in hoſtium manus, viri Veneti illuſtres, qui mercium gratiâ Byzantium appulerant: nec non alii plurimi; quos eadem neceſſitas cum triremibus eò pertraxerat. Græci igitur eos haud abire ſinebant: verùm in præſenti rerum diſcrimine eos auxiliares adeſſe volebant. Apparet Byzantii exitium miſerabile, ſuperaſſe omnia, quæ per univerſum orbem contigiſſe ſcimus excidia. Nec diſſimile eſt Ilii excidio. Vltionem Ilii diruti, Byzantii calamitatem quidam credunt, Græcis Barbarorum vi pereuntibus. Romani quidem conſtanter aſſeverant, ultionem apprehendiſſe Græcos, propter ea quæ barbaris fecerunt in Ilii deſtructione.

6. Sed ob rei momentum, inſerere quoque hîc libuit, narrationem de capta à Turcis Conſtantinopoli; quam primùm vulgavit V. Cl Reinerus Reineccius, & Annalib. de geſtis Caroli Magni, ſubjunxit. Ejus Auctor eſt Godefridus Langus; qui eo tempore vixit, quo Vrbs illa expugnata fuit. Ita autem ſe narratio ea habet. Excitus in furorem Deus, peccatis noſtris exigentibus, miſit Teucrorum Regem potentiſſimum: qui merito FLAGELLVM ECCLESIAE ſanctæ

Catho-

Catholicæ, atque Christianorum omnium appellari poterit. Hic cum sit adolescens audax, ambitiosus, turbulentus, atque Christicolarum hostis severissimus, in Christianos toto mentis ardore furere cœpit: neq; finibus regni sui contentus, finitima & circum vicina loca Christianorum, occupare nisus est. Hic itaque Teucrorum Rex, Christiani nominis capitalis hostis; Constantinopolim urbem potentissimam in suã ditionem, subjugare satagebat. Quod quia fraudibus, dolis, insidiis & proditionibus, ut anteà tentaverat, non poterat explere; cœpit occupare eam vi armatorum atque potentiâ militum. Aggressus igitur Constantinopolim, cum trecentis & ultrà millibus pugnatorum; per militiæ magistros circumquaque dispositi sunt in castra, & papiliones: ut tutiùs & commodiùs se servarent. Horum major numerus equestris erat: pedites alii, qui magis pugnabant. Horum multi Christiani quondam, & Christianorum filii fuerunt: sed religione mutatâ; retrorsùm conversi sunt. Primùm itaque; ut urbem aggressi sunt, captatur per eos urbis situs; disponuntur machinæ, locantur bombardæ, prout congruebat: virgulta contexuntur ad modum craticularum; quibus pugnantes tegerentur, & in quæ tutò se reciperent. In his struendis, tanta eis promptitudo fuit & alacritas, ut quisque belli dux admiratus fuisset, tantam in rebus bellicis apud eos esse providentiam. Cùm verò primò urbem bombardis peterent, ea quæ maior erat, confracta est; quam vix centum quinquaginta juga boum vehebant. Indè statim multo majorem Rex conflari jussit; quæ tamen ad perfectionem non est perducta:

aliis verò mediocribus, multisque & innumeris machinis collidere urbem, & confringere muros tentabant. At è contrà nostri, qui urbem tuebantur, non minùs alacres contra hostes machinamenta paraverant; miseruntque in hostes tela, quæ tamen parcè lædebant: hostes enim tuti in suis latibulis vix tangi poterant. Interdùm bombardæ ex urbis muro, turribusque emissæ, tàm tentoria quàm ipsos homines conterendo exterminabant. Sic vicissim cadunt tàm nostri, quàm Teucri. Aliquando etiam congrediendo ad manus, concertabant; sicque in dubio certamine, nostri & vincunt & vincuntur. Major tamen victoriæ gloria nostris dabatur; eò quòd intrepidi egrediebantur, quasi mortem optassent: Teucri verò pavidi & metu concussi visi sunt decertare. Intereà muri urbis, ictibus bombardarum, machinarumq; collisi, & dirupti sunt. Sed ingenio cujusdam Iohannis Longi, Ianuensis, de Iustinianorum prosapiâ, qui cum C C C. armatis mare decursitans, in subsidium urbi venit, mirâ strenuitate reparati sunt: nam vasa vinaria humo repleta in eam partem, quâ murus erat confractus, reponebant. Quare Teucrus videns se deludi, parumque sic proficere, jubet minerarum fossores, atque magistros accersi; qui subterraneos meatus & vias occultas clam pararent; sicque urbem furari cogitabat. Actum est per fossores, ut lignea instrumenta adveherent, atq; solerti cura tentarent fundamenta suffodere. Sed opus hoc detectum est, industriâ & sagacitate Alemanni cujusdam Iohannis Grande; ingeniosi militis, & rerum bellicarum doctissimi, qui & Centurio à Iohanne Iustiniano, militiæ duce.

duce, conductus erat. Sicque repulsi igne & sulphure hostes, è latebris & viis subterraneis, spe & opinione suâ sunt frustrati. Componebant proindè turres ligneas humo plenas, pellibus boum circumtectas; ex quibus in fossata urbis, terram & quisquilias immittebant; ut fossatis repletis, facilis pateret ingressus. Contexebant prætereà crates innumeras ex virgultis, quibus se tegerent, struebant carros oblongos, scalas rotatas, currus castellatos, multaque alia machinamenta, quę vix Romani adversus Pœnos construxissent. Postquam verò Rex murum reparatum vidit, ad alium locum dimoveri bombardam jubet; ut peteret turrim, quę Bactatinea vocatur, juxta S. Romani portam. Lapis ex eâ missus, qui æstimatione erat mille trecentarum librarum, turrim hanc collidit; collisam concutit, concussum exterminat: ita ut, ruina eius, fossatum repleret, æquaretque, & quasi via hostibus quà decurrere possent, parata esset. Sed hic eodem ingenio, quo prius, reparatio facta. Quod nisi actum fuisset, sine dubio hostes impetu urbem intrassent. Itaque postquam Teucrus iterum restauratum murum vidit, qui prius ita demolitus erat: Non Græcorum, inquit, hoc, sed Francorum (Latinorum) ingenium est, ut tanta resistentia fiat; quos nec sagittæ innumeræ, nec machinæ deterrent. Intereà fatigati nostri, de præsidio diffidebant. Nam non ex Ianua, neque ex Venetiis subsidium mittebatur: sed sola spes ex Deo erat, quem contra Græcos infidelitas, irreligio, magnaque crimina, potiùs irritabant. Continuatur itaque obsidionis tempestas, venit intereà contra urbem disposita classis ex diversis

Asiæ, Thraciæ, Pontique littoribus: in qua triremes sedecim, biremes sexaginta, & reliquæ cymbæ & barculæ, plenæ sagittariis, vehebãtur. Quæ tamen portum ingredi non valebant: cinctus enim erat catenâ, atque munitus navibus rostratis Ianuensium septem, & Cretensium tribus. Et cùm proximare non auderent, longè à portu, ad stadia centum anchoras figunt. Interdùm mare sulcantes, ligna, lapides, aliaque machinamenta castris opportuna deferebant. Cumque jam Teucrus, tribus in locis muros discussisset, sed aditus ad portum impossibilis sibi esset; cogitavit rem miræ novitatis, suggestione cujusdam Christiani: ut videlicet naves quinquaginta, quas biremes vocant, ex ripâ ad terram traherentur, pòst ex colle in summitatem, de quà rursus in declive inter mare vehebantur. Sicque mirabili ingenio & incredibili artificio, trahebant naves per terram ad stadia LXX Ita nostri magis territi, cogitabant eos igne, aut lapidibus exterminare. Sed nec hoc profuit: nam machinis fuerant undique tutatæ. Sic jam quasi perdito portu, necesse fuit, ut nostri maritimos custodirent muros. Aliud etiam evenit, quod magis nostros terruit. Construxit pontem, longitudinis stadiorum circiter triginta; ex ripâ urbi oppositâ, ex vasis vinariis colligatis, sub constructis convexisque lignis: quo excercitus ad murũ decurreret. Nihil ergò nostris agendum restabat, nisi ut catenam navesque in portu tuerentur, quæ transitum & ingressum classis prohibebant. Intereà ex Chio in Christianorum subsidium tres Ianuenses naves, armis militibus frumentoque refertæ, mare decurrebant: item alia

navis

navis Imperatoris, (Conſtantinopolitani) quæ frumento onuſta ex Sicilia veniebat. Quas cùm Teucri vidiſſent, qui in claſſe excubabant, ſtatim tympanis ſtrepentibus, tubisque ſonantibus, invadunt: fingentes primùm Imperatoris navem ſeſe aggredi velle. Teucrorum Rex, ab alia parte in colle expectans eventum, proſpicit. Fiunt tūc celſi clamores, triremes majores navibus hærēt, invadunt imperialem, ſed protectio à noſtris audacius aggreditur; certamen ineunt, ignem machinis iniiciunt, ſagittas emittunt. Sic atrox pugna committitur. Naves aliæ tres, quæ Ianuēſium erant, gubernatore eorum imperante, repugnant; atque arduam pugnam perſequuntur. In qua in Teucrorum claſſem, à ſummitate navium infiniti lapides demittuntur. Tuetur ſe egregiè Imperatoris navis, bombardæ perſtrepūt, et ululatus in cœlum, confranguntur Galearum remi, Teucri ſine intermiſſione ſauciantur. Rex Teucrus, qui ex colle circumſpicit, claſſi blaſphemat; urget equum in ſaltum, veſtimēta cum furore conſcindit. Ingemiſcunt pagani; & totus exercitus affligitur. Quid ultra bellum recenſeatur? invaleſcit pugna, tantis claſſis telis, lapidibusq; obruitur, ut omnino Teucri ſuccumberent. Exploratorum relatu didicimus, decem propè millia ex eis cecidiſſe. Alii gladiis peremptı, & ſagittis & machinis, alii vulneribus confoſſi, miſeras animas efflarunt. Noſtræ verò naves nō læſæ, nec uno homine perdito, aliquot tamen vulneratis, noctu cum jucunditate portum intrant. Interea creſcente timore & anguſtiâ, conſultum eſt, tentandum eſſe, ſi aliquo modo intromiſſas hoſtium naves urere noſtri poſſent.

possent. Quod attentatum, clanculo unâ dierum ante lucem. Nam dispositæ sunt naves duæ, per Iohannem Iustinianum Capitaneum, cum aliquot cymbis & biremibus, in quibus machinæ, quibus ignis jaceretur, positæ fuerant. Sed heu gravem sortem. Mox ut ab hostibus cernuntur, bombardas Teucri emittunt, navis una, statim lapide per medium penetratur; atque cum armatis omnibus absorbetur. Cæteræ verò, quia res patefacta est, cum confusione retrocedunt. Ita dum nostri percutere voluerunt, percussi ipsi sunt. Aliqui ex mersis supernatantes ad littus, capiuntur ab hostibus, quos impius Rex, ante oculos, die crastinâ decollari jussit. Nostri è converso vice versâ exacerbati, quos habent captivos trucidant, supra muros in hostium conspectu. Sicque impietas crudelitati commixta, bellum atrocius facit. Simulavit post hoc Teucrus, se pacem facere velle, atque fictè referebat, pœnituisse eum, quòd guerram, quasi stimulatam ab Vngaris, excitasset. Sed omnia hæc ficta erant. Nam ea, quæ contra urbem struxerat, demoliri non proposuit, neque ea, quæ vastaverat, restaurare. Sed ideò finxit se optare pacem; ut Deum in generali certamine, petitâ pace sibi faceret propitium; quem alii, non petitâ pace, sentirent iracundum. Istum ei morem fuisse, intellexi. Nostri verò, anxii omnem salutem suam, Deo commiserunt; dies denumerantes in amaritudine cordis, statueruntque Deum placare, letaniis, sacrificio, thure, prece, jejuniisque supplicantes, ut solus pro eis pugnare dignaretur. Sed quid prosunt ad Deum preces missæ, si ex puro corde non sint? si pollutæ manus habentur? si impiæ

& infi-

& infidelia consistunt? Itaque quem propitium sperabant habere Deum, habuerunt scelerum suorum ultorem. Interea Dominus Cardinalis, omne studium habuit in ferendâ ope, & in formandis turribus & muro. Imperator verò quid agat, perplexus ignorat. Nam ei & sumtuum penuria, & expensarum inopia fuit; deficiebatque pecunia, quam militibus, aliisque laborantibus structoribus erogaret: qui rem suam, non publicam, attendentes, ad opus ire recusabant, nisi ex denario convenisset. Consulit ergò Barones & Consulares suos; qui suadent, ad sacra recurrendum esse, neque exactionibus molestandos cives, præ temporis angustiâ. Conflata igitur ex sacris templis, sancta Dei vasa; ex quibus moneta signatur, atque pro necessariis erogatur. O Græcorum impietatem, ô patriæ direptores, ô avaros: quos cùm sæpè Imperator rogasset lachrymis, ut pro militibus conducendis pecuniã vel mutuarent, vel contribuerent, gravabantur ut inopes & exhausti: qui posteà repertis eorum thesauris ab hoste, ditissimi inventi sunt. Pugnãt rursùm inter se: aliqui ex Græcis, imbelles necessitate magis quàm arte militabant: alii doctiores, galeâ tecti, loricâ induti, gladio cincti, lanceis decertabant: multi arcu & sagittâ docti erant, quibus tela mittebantur. Sicque cadebant Teucri, qui audaciùs accedebant. Sed quid si cẽtum in die cecidissent? Nam quantò plures cadebant, tantò plùres resurgere videbantur. Græci verò ad sex millia bellatorum, non excedebãt: reliqui verò vel Veneti, vel Ianuenses aliique, qui in subsidium convenerant, vix numerum trium millium attingebant. Sed quid agnus in ore-

ore lupi? quid unus contra mille infideles? ill
enim, quasi innumerabiles videbantur. Afflictu
est ergo Imperator angustiâ; cogitans, quo
modò satis esset, si vallum urbis ante murale tu
taretur: reponens spem suam omnem in Iohan
ne Iustiniano, belli duce, atque generali Capita
neo, qui cum Imperatore in eâ parte, quà magi
urgebat pugna, cum trecentis commilitionibu
Ianuensibus stetit. Alii verò duces, milites, tiro
nes, qui in defensione urbis armati fuerant, cir
cumquaque per distincta murorum loca ordi
nati sunt: viriliterque bellum sustinent. Mona
chi & sacerdotes supra murum collocati, pro sa
lute patriæ vigilabant. Aliqui tamen ex Græci
territi, ex urbe recesserunt: alii ad agros coler
dos aut vineas, alii voluptatibus laxati, alii ino
piam suam accusantes, fingentesque rei fami
liaris curam se habere, urbem declinabant. Qu
cum ab aliquibus arguerentur, respondebant
quid nobis de urbe, si periculum sive penuriai
sustinent domus nostræ? Labor itaque magnu
erat, reducere homines ad muri custodiam. Ho
videntes hostes, tentant aggredi murum atqu
devastare, detrahunt uncis vasa, quæ in repara
tionem muri composita fuerant. Non aderan
qui eo tempore prohiberent, vel repellerent.
quàm magnum præsagium ruinæ futuræ, quar
do velut Tigris torrens, totus irruet in urbe
exercitus. Ordinatur prætereà in urbe, ut æqua
lis fiat distinctio panis per familias, ne illiu
gratiâ se quisquam subtraheret, atque famem
potiùs quàm gladium expectaret. Erant aliqui
Græcis, qui vel occultare frumentum, vel preci
um eius augere prætendebant. Sed hæc iniqui
ta

Ita non fuit causa mali, sed ordinis confusio. Se[illegible] non fuit in Principe, neque compesce[illegible]batur gladio, aut aliis tormentis hi, qui obedi[illegible]entiam neglexissent: sed iratum Imperatoris a[illegible]nimum, blandimentis demulcebant. Sicque bo[illegible]nus Imperator, delusus à suis, dissimulabat inju[illegible]rias. Intereà Capitaneus generalis, Ioannes Iu[illegible]stinianus, quia clamorem Teucrorum præsen[illegible]tiscravit omnia, præsertim reparationem mu[illegible]rorum, quos machina contriverat: petivitque si[illegible]bi præsentari à quodam magno Consulari, Cyr[illegible] nomine, bombardas urbis omnes, quas cō[illegible]tra hostes affigeret. Has cùm primò superbè de[illegible]negasset, indignatus Capitaneus, exinde rei bel[illegible]licæ providentiam remissiùs gerebat. Multi et[illegible]iam Græci odiosè ferebant, quòd gloria salvan[illegible]dæ urbis, fuit data Latinis, atque de hoc, licet [illegible]ius, murmurabant. Consultu tamen & jus[illegible]su aliorum primorum Græcorum, Iohannes Iu[illegible]stinianus curam rei bellicæ suscepit, acies muni[illegible]que refecit; & in his tantam providen[illegible]tiam gerebat, ut ipse Teucrus ejus industriam commendaret. Dicebat enim: ô quam vellem, [illegible] me esse Ioannem Iustinianum, illum præ[illegible]rum honorandum. Post hoc tentavit Teu[illegible]crus eum donis auroque corrumpere, cujus ta[illegible] flectere animum non potuit. Tota postre[illegible]mo cura nostris fuit, ut vallum, fossatum & an[illegible]temurale protegerent. Nam alto muro se non confidebant, qui ab imbribus scissus & ruptus fuit, & ob negligentiam propugnaculis carebat. Qui utinam à primo, dum propositum guerræ supervenit, reparatus fuisset repertus: quia & [illegible]u teneri poterat; nisi eorum negligentia fe-

cisset.

ciſſet, qui ex officio muros reficere debuiſſent: qui non conſervatores reip. ſed prædones dicebantur. Nam quæ in teſtamentis bona relicta muris adſcribi debebant, ea ipſi privatis potiùs commodis impendebant. Iccircò urbs ſub tantis prædonibus, neglecta periit. Quam ſi poſteà reparare & reſervare voluiſſent, duo defuerunt: ſcilicet æs & tempus. Omnem ergò ſpem ſuam in foſſatis & antemurali poſuerunt, à quibus ſi tandem pellerentur, non fuit eis facultas, altum murum aggredi ob anguſtationem hoſtium irruentium. Inter hæc fit vox in caſtris Teucri, quòd naves aliquot ab Italiâ in ſubſidium Chriſtianis mitterentur; & Iohannes (Hunniades) Pannonum dux, contra Teucrum egreſſus, exercitum duceret. Quare timidi hoſtes effecti ſunt, exercitus eorum diſcinditur, contra Regem Teucri clamant, fruſtra eos muros aggredi; exercitu omnem ſtare in periculo, & quanquam maximus eorum numerus eſſet, de victoriâ tamē diffidebant, verebanturque urbem aggredi. Conſuluit ergò ſuos Teucrorum Rex. Vetuſtior Cōſularis ſuus, Calibaſtia (aliis Halibaſſa) nomine, gravitate, conſilio & rerum bellicarum experientiâ pollens, atque favens Chriſtianis, Regi diſſuadet; eò quòd munita ſit fortitudine ſitus; & rerum copiâ, & fertilitate, atque optimè proviſa & gubernata, non ſolùm providentia Græcorum, ſed etiam Latinorum. Etiam patris tui, inquit, atque proavorum guerras iam multis annis toleravit, qui in vanum multa conantes, urbem capere non poterant. Item timorem incutiens, ait, Chriſtianorum Reges & populos facilè ad eam tuendam recuperandamque provocari.

[illegible].Tu ergo Rex, inquit, pacem [illegible], noli Ianuenses & Venetos vicinos hostes redd[illegible] atque iram Christianorum omnium adv[illegible]te [illegible]emque tuam provocare. M[illegible] est potentia tua. Hanc tamen pace majorem [illegible], quam guerra. Finis enim belli variu[s] est, quem sæpenumero magis adversitas, quam prosperitas comitatur. Hic surgens secundus Consularis, Baro [illegible]inoi, Sagan (aliis Zoganus) no[m]ine (Mahometis ad[illegible]nis) orationem suam incipit, atque ut [illegible]s Christianorum bellum suadens; maxi[illegible]e dicens, sui regis potentiam, adversus quam nulla gens posset, consulit bellum sumi [illegible]t a Grecos, potentiam nullam habentes. Neque concitari debere Regis animum de ementi[illegible]occ, quæ de subsidiis Græcorum in castris [illegible]cta est. Nullum, inquit, ab Italiâ expectant [illegible]ium. Ianuenses inter se scissi sunt, Veneti [illegible]e Mediolani oppressi, nullum missuri sub[illegible]m. ob id nos facilè, si aggrediamur, urbem [illegible]bimus. Eunuchus, tertius Consularis Ba[illegible] dicta confirmat. Teurata (aliis Sarathias) [illegible] (fortè Europæ) militiæ princeps, non [illegible]ens commendare propositum Calibastiæ, ad [illegible]rram Regem animavit. Iuniores verò belli [illegible]: O rex, inquiunt, valeat, quisquis nobis [illegible]itatem incutit. Decet invictissimum Principem nostrum, res magnas & cogitare & aggre[illegible] quæcunque eventura, magnificè ferre. Sa[illegible]rerum, ut vidit, multitudinem in sententiâ [illegible]m convenire: Fac, inquit, bellum, ô Rex: quia [illegible] faventibus, victoriæ gloriam indubitatò [illegible]equeris. His verbis, factus Rex animosior, [illegible]uniam, inquit, tentare licebit. Nullus unquã

aut

aut genitor meus, aut avus, aut proavus tantâ potestate, tantis machinis, tantâ vi armorum, ut ego, urbem hanc oppressit. Alexander Macedo, totum sibi cum minore exercitu subjugabat orbem; mihi hanc urbem, cum majore militiâ aggredi licebit. O Sagan, inquit Rex, constitue diē belli, compone exercitum, circumvalla Perenses, ne subsidium ferant hostibus; & omnia ad militiam necessaria cum maturitate dispone. Hoc dicto cum generale certamen definitum esset, proclamatum est in castris, ut 4. Cal. Maij videlicet Martis: præviis diebus tribus luminaria Diis accendant, Deos invocent, orent, deprecentur, parati sint omnes ad prælium. Nam Rex daturus est Christianis generale certamen: jurat præterea Rex per immortalem Deum, per quatuor millia Prophetarum, per Machumetum, per animam patris, per libros, & per ensem, quo cingitur, omnem prædam, & omnem depopulationem, & omnem urbis thesaurum, & utrunque hominum genus, bellatoribus deberi, atque eis liberè donare; neque ullo pacto, quæ juraverit, violare. Clamant Teucri, in cœlum horridè elatis vocibus: Illola, illola, Machumet rusalcilla, hoc est, *Deus est, & semper erit, & Machumetus est servus ejus.* Factum igitur per eos, uti imperatū erat; accenduntur Deo luminaria, orant, jejunant, per diem nihil usque ad noctem gustantes, ad invicem se salutant, osculantur, brachiis amplexantur, sibi invicem valedicunt, quasi ad inferos die certaminis, simul ituri essent. Nostri verò religionem infidelium admirati, Deum nostrum, profusis lachrymis ut propitius sit, precantur. Reliquias igitur & sacras imagines processionaliter

naliter per urbem deferunt, turbæ virorum mulierumque nudis pedibus sequuntur: cum cordis compunctione Deum orantes, ne hæreditatem suam demoliri permittat, & ut fidelibus suis in tanto certamine dignetur porrigere dextram auxilii salutaris: spemque totam, in Deo ponentes, constitutum certaminis diem expectant. Ab Imperatore, & à belli ducibus confortatur populus: atque eorum dictis incitantur pugnatores, ne trepident, aut timore concutiantur: hortantur eos ad defendendam patriam, adversùs hostes Christi, ut qui constantes & magnanimi sint, pro eorum urbe tuendâ, quam invidus Teucrus, duos & quadraginta dies coangustavit. Hic sermo multus habetur, quo inflammatus Christianorum cœtus, constantem se habere animũ responderunt. Confortati post hoc Græci sunt, qui primum quasi pavidi bellum declinabant; disponunt propugnacula, ordinantur singuli ad [illegible]dum, atque in nocte, præcedente certamen, intra vallum vigilantes pernoctant, clauduntur valvæ urbis, ne quisquam retrocederet. Audiunt tunc ab hostibus parari machinas, ve[illegible] bigas, atque scalas admoveri vallo, & [illegible]i. Ab aliâ parte disponitur classis, circundant portam & urbem omnem: pons, quē de vasis construxerant, applicatur, omnia machinamenta instantiùs præparantur. In aggrediendo dant ordinem, ut minùs robusti, minùsque ad bellum docti præcedant; ut dum lux diei [illegible], robustiores milites sint recentes. Certamen inchoant, Teucris nostri cum magna animositate resistunt, atque repellunt hostes machinis & balistis, ex utraque parte proportionaliter

liter occiduntur. Abſcedit nox, dies oritur. Conſurgit totus exercitus in gyrũ conglobatus, fiunt in cœlum terribiles clamores. Sic unâ horâ, totam urbem, terrâ marique invadunt; excutiunt primum machinas, emittunt ſagittas in tantâ multitudine, ut cœlum obſcuraretur. Reſiſtunt Chriſtiani horribili pugnâ. Sed Teucrorum exercitus, iterum reſumunt vires & conglobantur, præſumuntque maximâ audaciâ vallum intrare. Cadunt multi, qui lapidibus obruuntur; & quàm plurimi moriuntur, quos cæteri conculcantes, tentãt muros ſcandere. Sed à noſtris ſtrenuè repelluntur. Multi poſt hoc ex noſtris vulnerati, declinant, multi confortant populum, dicentes: O viri fortes, jam laxatur exercitus hoſtium, corona victoriæ nobis dabitur, Deus nobiſcum eſt, agite conſtantem pugnam. Inter hęc, malo fato, Iohannes Iuſtinianus, generalis Capitaneus, ſub axillâ ſagittâ configitur. Qui mox juvenis & inexpertus vulnerum, perterritus eſt, & vitam perdere metuens, medicum quæſiturus clàm ab acie diſceſſit. Qui ſi alium in locum ſuum ſurrogâſſet, ſolus patriæ non periiſſet. Imperator ſentiens Capitaneum deeſſe, ingemiſcẽs percontatur, quò perveniret? Populus verò poſtquam vidit, ſe ſine duce & gubernatore eſſe; fugere è locis incipit: Teucri invaleſcunt, horror noſtris incutitur. Tandem veluti impetuoſus turbo, uno impulſu muros aſcendunt; mox ad mœnia vexilla figunt, clamantes victoriam, & quantum poſſunt, conantur noſtros vel ſubiicere, vel exterminare. At Imperator infelix, videns Capitaneum deſperatum: O me miſerum, inquit, perit ne urbs? mane, mane precor Capitanee:

[illegible] tua fuga incitat alios ad fugiendum; [illegible] mutale vultus tuum, patere pauli per dolorem, & sta viriliter ut spopondisti. Et iste [illegible] pusillanimis, vecors & pavidus ex ictu sagittae refugit in Peram; qui postea navigans, ex vulnere vel tristitia inglorius moritur. Frangũtur hac omnium commilitonum animi, insequuntur Capitaneum fugientem, reseratur porta, quam omnes cũ maximá pressurâ transiere. Tunc Imperator videns populum dare terga, atque hostes irruere in eos, clamat ad proximos: Nonne aliquis, qui me meo gladio transfodiat; ne majestas Imperatoria istis nequissimis hominibus succumbat. In porta igitur, in quam fugientes procurrerant, multi ex compressione [illegible] nostris vitam finiunt; inter quos Imperator oppressus e vita demigravit. Pereunt itaque e nostris, id est ex Latinis & Græcis, numero circiter octingenti. Indè Teucri altum murum conscendunt, lapides ex alto demittunt; tandemque in unum globati, omnes nostros, cum horrendis clamoribus in fugam compellunt. O rẽ crudelem & stupendam, tota urbs ab hostibus in momento commutatur. Nondum Sole orbis hemisphærium perlustrante, omnes per urbem discurrunt; quoscunque resistentes gladio perimunt, juvenes, decrepitos, leprosos, infirmos. Ad [illegible] templum S. Sophiæ, quod Salomonis templum pretiositate suâ superat, ingrediuntur, Deo & sanctis blasphemant, omnes enormitates in sanctas imagines exercent, ornamenta sanctuarii expoliunt, sacras reliquias vel dilacerant, vel dispergunt, sancta Dei vasa sibi usurpant; omne aurum & argentum sanctorum ima-

imaginumque, suis sarculis inserunt; fit clamor & ululatus in cœlum. Omnis denique sexus, omnis homo, omne aurum, omne æs, omnis supellex, omnis substantia, in prædam vertitur, thesauri omnes absconditi in manus perfidorum deveniunt, qui tanti reperiuntur & novi & veteres, ut nulla urbs sit, quæ tantis abundet & affluat. O Græci, jam miseri & miserabiles, qui inopiam fingebatis, ecce jam in lucem veniunt thesauri; quos pro urbis subsidio denegastis. Traducitur ad castra omnis substantia, & præda, atque omnes Christiani vincti funibus, ad sexaginta millia deducuntur. Cruces ex templis evulsæ pedibus conculcantur, violantur mulieres, virgines deflorantur: mares juvenes, in turpitudinem maculantur, sanctimoniales turpiter fœdantur. O, Deus meus, quàm iratus, quàm immisericorditer faciem tuam, à fidelibus tuis avertisti? Tantam contumeliam in sacras Dei, & sanctorum effigies exercent, ut neque narrare sine rubore quis possit: parce Deus, si enarro. Ad terram eas prosternunt, & non solum super eis crapulam, sed & luxuriam complent. Post hoc Crucifixum in castris suis deludedo deportant; & ut in passionibus præcedentibus, iterùm sputis, blasphemiis, & opprobriis eum crucifigunt. Habitâ autem victoriâ, dies festos & Bacchanalia Teucri celebrant. In his temulentior factus Rex, sanguinem humanum Baccho misceri voluit. Vocat igitur ad se præter Cyrlucam, consiliarium Imperatoris, atque alios Barones consulares (quos reprehendit, eò quòd non suasissent Imperatori, pacem petendam, vel dedendam urbem) Venetos & Peren-

Barenses: nam illos dixit, arma, milites & consilium præstitisse, quorum gratiâ Imperator restitutionem fecit. Etiam accusavit Calibastiam Baronem Teucrus. Hic amicus maxime fuit Græcis, & crebras litteras ad Imperatorem occultè destinabat, quibus secreta nunciavit. Has litteras Cyrluca observaverat, atque in testimonium Regi præsentavit. Quâ re intensè commotus Rex, Calibastiam vinciri jubet, atque turri mancipari. Deinde omnibus bonis privatus, ductus est Adrianopolin, ubi eum privari vitâ jussit. Hujus mortem, lamento flebili totus ferebat exercitus. Cyrluca verò, malitiæ suæ pœnam non evasit: nam primò in bello liberos duos majores perdidit, tertium verò filium cum cæteris Baronibus Imperatoriis, ante oculos vidit decollari. Alii præterea Veneti, & reliqui nobiles multi gladio extinguuntur. Expletis verò festis, abducuntur in captivitatem Græci, ampliùs forte patriam non visuri. Teucri verò, relictis gubernatoribus & officialibus, qui urbem manu tenerent, in suas regiones revertuntur; in tantam elati superbiam atque audaciam, ut non vererentur dicere, se Romam venturos, & mare Adriaticum penetrare velle. Quod Deus suorum misericors avertat, atque capita inimicorum confringat, qui solus scit & potest: quem oremus fideliter, supplicesque precemur, ut incitatus ad vindictam, Christiani nominis injurias ulciscatur. *Hactenus Laurus.*

7. Memorabile autem est, quod referente Chalcocondyle, lib.8 Leo sapiens Imper. finem Imperii Constantinopolitani prævidit. Ita enim ille scribit. Miror si qui fuerint, qui Sibyllinis

Oraculis fidem non habuerint; cùm Byzancenæ regionis regum catalogus, ab Leone (ut ajunt) sapiente rege conscriptus; in hunc regem, & in patriarcham, Florentiæ Tyrrhenorum mortuū, exeat. Nam nec Constantinum regem, ut qui à barbaris esset peremptus; nec in regiâ defunctus, nec Gregorium in Italiam abeuntem, tabula illa accipiebat. Loca autem regum in istâ tabulâ, qui suo tempore fuerunt, nec non patriarcharū, sive paucorum, sive complurium, qui ad urbis ejus patriarchatum pervenêre, intercisa sunt, usque ad istum regem, & ad istum patriarcham. Extant & alia regis hujus opera memorabilia, ut qui Physices & Astronomiæ fuerit peritissimus, earumque potentias exactè tenuerit.

8. Nec item indigna sunt, ut referuntur, quæ in Annalibus Turcicis, ac in Pandect. Leunclavii, cap. 130. de Statuis Magicis, tum Constantinopoli existentibus, referuntur. Ita autem Annalium Turcicorum Auctor. Sultanus Muchemetes urbem captam ingressus, hinc indè per eam obequitavit; obstupescens ad inusitatas ædificiorum formas. Quùm in Atmindanem pervenisset, columnam ibi lapideam vidit; cui triplex erat impositus serpens aheneus, idemq; triceps. Illum conspicatus quidnam hoc esset idoli, quæsivit. Simul in eum contortâ magna vi clavâ ferreâ, quàm pusdiganum Turci vocant; uni de tribus illis capitibus serpentinis, labrum inferius comminuit. Quo facto, mox serpentes, in urbe magno conspici cepere numero. Quapropter auctores ei fuêre quidam, ut missum deinceps illum serpentem faceret: quando per id simulacrum effectum fuerit, uti serpens in urbe nullus

nullus eſſet. Hinc ea columna, in hodiernum adhuc diem durat. Et quanquam unius ahenei ſerpentis inferiore labro deiecto, ſerpentes in urbem venerint; nocere tamen nemini poſſunt. Erat etiam erectus equus aheneus, cui ſtatua quædam equeſtris inſidebat. Vtrumque Muchemetes demoliſus eſt. Fertur autem hâc ſtatuâ, peſti præcluſus fuiſſe aditus, quò minùs in urbem penetraret, ac in eâ graſſaretur. Columna ſerpentina, nunc etiam ſupereſt, ex ære facta: ſic ab imo convolutis inter ſe ſpiris ſerpentis triplicis, ut in parte ſuperiori, tandem ſeſe tres cervices, triaque ſerpentina capita, dividant, ac ſeparent in formam triquetram: quibus quondam fertur impoſitum, ab urbis conditore Conſtantino magno fuiſſe plurimum ſcriptis celebratũ illum tripodem Apollinis Delphicum. Aiuntque effectum fuiſſe per hoc ſimulacrum, ut eo durante nullus eſſet in urbe ſerpens. Et certè, quod referunt Annales, de Statua Equeſtri, aheneâ eſtructâ; quâ peſti præcluſus fuerit in urbem aditus: id ſuperſtitioſis videri poſſet aliquam mereri fidem: quùm ſingulis annis ea nunc fœdè menſibus æſtivis calidioribus graſſetur.

9. Porrò etſi familia Ottomannica, Græciam, Aſiam, Illyricum, ipſamque Conſtantinopolim arcem Romani quondam Imperii jure belli, occupaſſe, quibusdam videri poſſit: Dignitas tamen Imperii, non eſt in illa Barbarica Tyrannide ſed apud eas Gentes, quas Deus conſtituit, in quibus ſonat vox doctrinæ cœleſtis, & coluntur aliæ diſciplinæ neceſſariæ Eccleſiæ, & communi vitæ, ubi LL. divinæ, & ex his aliæ exſtructæ, vi-

gent ac regnant: ubi judicia legitima exercentur, & virtuti habetur honos ac tribuuntur præmia; scelera voce Divinâ prohibita, puniuntur, ubi locus est honestis congressibus hominum, & honestæ familiæ conservantur, ac justis armis proteguntur. Quæ omnia apud Turcos, hostes filii Dei, Ecclesiæ, & Iustorum Imperiorum non sciunt: quia doctrinas, cœtus docentium & discentium, honestam disciplinam, LL, politias, pietatem, humanitatem, judicia, justitiam dissipant ac delent. Quid enim fuit aliud Turcicum Regnum hactenus, quàm aspera, crudelis & perpetua, non dicam militia, sed latronum spelunca; in efficiendâ passim vastitate occupata, delendis Legibus, urbibus, Regnis & Politiis, benè constitutis &c. Quare licet Potentia Turcorum fuerit, & sit adhûc, annis amplius 200. maior quàm ullius Monarchæ Terrarum, cùm tamen nihil habeat simile illis antiquis Monarchiis, quæ deletis Tyrannis, Leges & Iudicia restituêre, & injusta onera temperavêre; non meretur Imperii nomen, præsertim cum & voce Divinâ, Tyrannis illa sit præmonstrata; quæ testimonia Deus extare voluit ne pii moti Potentiâ, & successibus, deficerent à filio Dei. Dignitas namque & institutio Divina, non Potentia Monarchias facit; neque etiam qui feliciter semper vincunt, justi censendi, vincentur & illi. Non itaque Imperium in illa Barbarie quæramus: sed grati agnoscamus ingens Dei beneficium, quod Imperii Romani rudera nobis conservavit; & assiduis votis petamus, ne sinat Deus Ecclesiam suam deleri, fierique talem vastitatem & Barbariem, qualis est in magna, imò maxima parte Generis hu-

ns humanæ, ac præsertim quam latè Machometi Tyrannis dominatur. *Mich.Beuth. animadvers. libr. 2. ad Sleidanum.*

11. A. C. 1460. Mahometus, Trapezuntinum quoque Imperium, (à Trapezunto Cappadociæ civitate, ita dictum) in suam potestatem redegit. *Bonfinius, rer. Hungar. lib. 9 & seq. Sansovino, vita Mahome 12.* Eâ de re, ita Chalcocondylas, lib. 9. Colchidis reges, feruntur reges olim Byzantii fuisse, nati è familia Comnenorum. Hi autem, cum exciderunt regno Constantinopolitano, Isaacium regis filium fugientem, patre interempto à populo, propter odium quo in ipsum ferebantur, abiisse in Colchida & Trapezuntem. Hunc advenientem, Colchidis incolæ ducem pronuntiarunt, & exindè regnum Colchidis, Trapezuntem contraxit. Ex eo indè tempore ibi regnantes, ad nostra usque tempora durarunt, existentes Græci; mores, linguamque Græcorum retinentes. Affinitatem junxerunt cum barbaris finitimis, quos Albos Probatanes nominant. Etiam cum Temiris nepotibus, qui nati erant à Tzokiis & Caraisupuis liberis, affinitas intercessit, ne regio illorum ab his evastaretur. Fecere & affinitatem cum Græcis, qui Byzantii morabantur. Regnante autem Mahomete 2. Amasiæ præfectus, Chiteres nomine, expeditionem ingressus, subitò Trapezuntem oppressit: & eos qui in foro, & urbis vicis erant, circiter bis mille comprehendit. Cùm autem urbs iam esset propemodùm deserta, cuius causa erat sævissima pestilentia, iamque expectarent, si modo hostis accederet, se captum iri: Rex urbis Iohannes, opibus effecit, ut rex Mechmetes,

tes, urbem eam tributariam acciperet, & captivos, quos Chiterempes (aliis Chiterbegus) abduxerat, redderet. Ioannes verò promittebat, se deinceps nullum initurum bellum, verùm bonâ fide quotannis, duo millia aureorum tributi nomine pensurum. Ioannes rex, fratrem suum Davidem Despotam ad regem misit, ut fœdus prædictis conditionibus pangeret: quod & factum est, verùm ut Iohannes annuatim tributi nomine solveret tria millia aureorum. At post bellũ, cum Vsuncassano gestum, Machometes, exercitum duxit rectà Trapezuntem, contra regem Davidem: qui defuncto rege Ioanne fratre suo, & relicto nepote unò, congregans Cabæzitænos, qui imperant Mesochaldiis circa Trapezuntem, regnum invasit; eoque potitus est regnans, cum injuriâ affecisset fratris filium, tunc demùm quatuor annos natum. Classis autem solvens à Synopâ, postquam eam subegerat, tendebat Trapezuntem: dextra Cappadociam tenens, & veniens Trapezuntem; suburbana incendit, & diebus triginta duobus urbem obsedit. Posteà etiam rex cum exercitu accessit. Mechmetes autem dux præcesserat regem, & ante hũc venerat Trapezuntem. Castris positis ibi in eo loco, qui Scylolymne dicitur: in colloquium veniens cũ Georgio Protovestiario patruele eius, jussit ut sic alloquatur regem Trapezuntis Davidem. Regi, Græcorum gentis rex magnus, hæc dicit: Cernis, quàm longum iter, & quàm longam regionem emensus sit rex, postquam expeditionem sumpsit contra te, ut huc veniret: Si igitur illicò urbem regis permiseris arbitrio, ne dubites, præbebit aliam: ut Demetrio Græco-

[illegible] principi, qui Peloponnesum rex[illegible] D[illegible] [illegible] hunc opibus plurimis, insulisq[illegible] [illegible]demque & urbem opibus florentem Aenum [illegible]. I[illegible] igitur nunc omni metu vacuus, secu[illegible] [illegible] maximâ fœlicitate fruens. Si autem n[illegible] obtemperaveris, verùm regis vires experiri vo[illegible]lueris: scito urbem tuam brevi direptioni ob[illegible]noxiam fore. Nec enim priùs ab oppugnatione desistet, quàm urbē ceperit, & vos omnes igno[illegible]miniosissimæ morti subjecerit. His dictis ab Mechmete, respondit rex Colchidis, in hunc modum: Verumenimverò, nos cùm haud dum fœderum fidem violassemus; fratrem regis mit[illegible]tere, prompti & parati eramus, quocunq juf[illegible]fisset rex, obedientes ire. Etiam regiæ classis duci [illegible] sumus, rogantes, ne regionem nostram populationibus affligeret. Paratos enim nos es[illegible]se, ubi primum adveniret rex deditionem face[illegible]re. Hæc dicens, rogabat ut pax inter se, & regem conveniret. Hác tamen conditione, ut rex ipsius filiam uxorem duceret, & regionem redderet, ex qua æqualem redditum huic, qui ex Colchide veniret, quotannis acciperet. His expositis, pacem orabat. Mechmetes reversus in castra, oc[illegible]currit regi: & quæ ex urbe cognita haberet, enar[illegible]rat. Cæterùm rex elatus his sermonibus, urbem [illegible] capere & diripere nitebatur. Aegrè enim fe[illegible]rebat uxorem regis Davidis, priusquam appu[illegible]lisset classis, venisse ad suum generum Mamiam, & urbe egressam esse. Posteà cum consultatio proponeretur quid agendum foret, visum est ut congressus fieret utrorumque: & juramento in[illegible]terposito, in deditionem susciperentur. Iusju[illegible]randum itaque regis intervenit. Quo facto, pere[illegible]

grini milites regis, urbem, sicuti imperaverat rex, susceperunt. Regem Trapezuntis navem cõscendere, cum suis liberis, & filia & cognatis, qui præstò erant, jussit: & solventes, jussi sunt navigare Byzantium; quasi & ipse brevi affuturus sit, iter facturus per continentem. Vrbem autem eam commisit regiæ classis imperatori, qui Callipolis præfectus erat. Peregrinorum præsidio arcem munivit. Vrbi verò præsidium Azapidum imposuit. Posteà misit Chetirem Amasiæ præfectum, qui regis jussu, loca urbi & Mesochaldio finitima, occupavit. Hæc autem fuerant in ditione Cabæzitænorum, qui erant præfecti Grȩcorum Imperatoris, & filii eius. Singula ista loca in regis ditionem, deditione factâ, concessere. Rex autem relicto præsidio peregrinorum, & Azapidum, iter fecit per continentẽ. Proficiscebatur per Tzanorum regionem: quam, quia admodum munita erat, haud facilè transire poterat. Vȩniens deindè Byzantium, curavit, ut rex Trapezuntius, Adrianopolim subveheretur. Nec multò pòst, & ipse eodem pervenit. In hunc modum capta est Trapezus urbs, & universa Colchidis regio, devenitque in potestatem regis. Anteà fuerat principatus, quem regebant Græci, moresque & victus rationem Græcorum maximè imitabatur. Verùm Græci & Græcorum principes, brevi admodùm tempore, bello domiti sunt, primo quidem rex potitus est Byzantio: postea arma tulit in Peloponnesum: dehinc Trapezuntis regem, unà cum regione nactus est. Trapezuntios in partes distribuit: partẽ unam retinuit ipse, ex qua fecit Silictarios, & Spathoglanos, hos in Ianuis tenebat, eorumque mini-

ministerio utebatur; necnon ipsis nefario amore turpius, abutebatur. Partem autem aliam Byzantium transmisit. Porrò ex alia Ianitzaros elegit. Quosdam constituit servos, qui in tabernaculis servirent: pueros ex omnibus elegit octingentos, eosque in peregrinorum cohortem submisit. Filiam regis Davidis, non quemadmodũ rex hic petierat, uxorem duxit: haud tamen multo post, eam in suum cubiculum accersivit, peremto rege Davide. Nepotem autem hujus, qui fuerat filius adhuc infans prioris regis, apud se habuit Crato. Regis autẽ Davidis filius junior, nomine Georgius cùm Adrianopolim venisset, ad Machumetæ religionem cõversus est; assumptis Turcorum moribus, non multo pòst, captus est ab rege, unà cum patre & fratribus. Nã missis litteris, consobrina Davidis regis, uxor Chasanis vocabat aut regis filium, aut patruelem ejus, Alexium Comnenum ex Mitylenis. Et literas quidem, quibus significabatur, ut unus ex filiis regis Davidis, aut patruelis ejus (ut dictum est) veniret ad Dominam, quæ uxor erat Chasanis Longi, tradiderant regi; nam litteras istas dedit Protovestiarius Georgius curatori, moribus cæterà non improbo, ut appareret regi talis, quali fidẽdum esset in quibusvis. Præterea ut innotesceret, quomodò Protovestiarius rem hanc celasset, timens Imperatorem magnum, & Bassam Mechmetem; ne re cognita pœnas daret Authenti magno Protovestiarius. Quapropter literas magno Authenti obtulit. Rex, literis acceptis & lectis, nihil boni suspicabatur. Comprehendi itaque jussit Davidem regem, & filios ejus, unà cum patruele, quos omnes in custodiã

Mm 6 dedit.

[illegible] in suum cubiculum ac- [illegible] cos aliquanto tempore in [illegible], tandem abductos Byzan- [illegible] Pueros quidem ex urbe, & ab lo- [illegible] finitimis allectos, in peregrinorum al- b[illegible] conscribens, ad suum cubiculum ordina- bat. Quosdam prætereà tradidit in disciplinam, ut Turcorum studiis imbuerentur. Reliquis filiis suis, & satrapis dono dedit virgines: quasdam quoque per sua cubicula disposuit, quasdam amicis donavit, quasdam verò filiis suis misit, nec non quasdam brevi tempore maritis conjunxit.

11. Hicce item Machometes, quasi TEMPESTAS sævissima, progressus; continuis successibus, Asiæ Dominator factus est, his regnis omnibus subactis:

Phrygia	Lydia
Caria	Lycia
Pamphilia	Cilicia
Syria	Cappadocia
Lycaonia	Pisidia
Galatia	Paphlagonia.

Regulos captos, cum uxoribus & liberis in triũpho duxit; postea crudelissimè occidit. *Dornavius, sub A. C. 1461.* Ac quoque Egnatius *lib. 2. princ. Rom.* de hoc eodem ait: Regna duodecim nobis ademit: ducentas urbes Christianam pietatem secutas cepit.

12. Lesbus quoque occupata ab hocce fuit. Et quidem Mitylin, pronuntiatione Græcâ, quæ Mitylene nostris est, vocatur à Turcis Insula Lesbus; ipsis etiam Græcis hanc ita nominantibus. Cedrinus certè Lesbum alicubi Mitylenen dixit.

dixit, ab urbe totius Insulæ primariâ. Vulgus Italicorum nautarum, Metellino nunc adpellat. Habebat insula illa, quùm oppugnaretur à Muchemete principem Dominicum Catalusium, vel Catelusium. Ipsa autem Catelusiorum gens, origine Genuensis erat. Oriundus ex ea, Franciscus Catelusius, quùm Ioannem Palæologum Imperatorem, à bonitate Caloioannem vulgò dictum, Andronici II. filium bello contra Ioannem Cantacuzenum, tutorem & socerū & usurpatorem imperii, iuvisset; insulâ Lesbo donatus, etiam Caloioannis sororem, in matrimonium accipere promeruit. Acciderunt hæc anno 1355. De quo colligitur, non totos 100. annos in eorū potestate Lesbum fuisse. *Leunclav. Pandect. cap 158.* Chalcocondyles, *lib. 10. à pr.* fusius hāc rem refert, & ita ait. Expeditionis regiæ, contra Lesbum, hanc causam assignant. Lesbi princeps, beneficio regis, tenebat istam regionem tributariam: numerans quotannis circciter bis mille stateres aureos, jam inde ex eo tempore quo Patiogles Calliopolis præfectus, imperante Amurate juniore, classe adveniens, in Lesbum incursionem hostilem fecerat, abductis inde mancipiis plurimis: necnon captâ Callonâ, Lesbi urbe opulentissimâ: quam devastans domum reversus est. Etiam anteà reges, insulam hāc tributariam habuere, necnon Chium tempore Amuratis, quem genuit Orchanes. Sub eo rege inter cæteros, & Ionuzes electus ab Ianuarum militibus, profectus est in Lesbum; & obsidione circumveniens Molibum, nihil efficere potuit eorum quorum gratiâ advenerat. Causa autem, quare rex Lesbo arma inferebat talis erat. Rex Lesbio crimine

Mm 7 dabat.

dabat, quòd Taraconnenses piratas, portu excepisset, & mancipia plurima ab iis emisset, quæ venerant ab regione regis ; ex quibus non parum lucri, Lesbius princeps acceperat. Nam Taraconnenses, ab Lesbo procursantes ad maritima latrocinia, necnon hi qui degebant in insulis Cycladibus, idem vivendi institutum occipientes, regis regionem diripiebant. Deindè revertentes, onusti mancipiorum prædâ in Lesbum, ita inter sese partiebantur ; assignantes Lesbio duci partem magnam, & neutiquam contemnẽdam. Hæc cum nunciarentur regi, motus est ad bellum inferendum Lesbio principi. At Lesbi princeps Dominicus, quem Græci Cyriacum vocant, frater junior existens ; seniorem qui à patre Lesbi principatum acceperat, eumq; tempore longo administrarat, insidiis circumventum cepit : & Baptistæ viro Ianuensi, quo usus fuerat auxiliatore, in insidiis, tradidit. Nec sanè longo interiecto tempore, fratrem obtruncat, atque solus principatu potitur ; pendens regi tributum quotannis circiter duo millia staterum aureorum. Accedebat ergò præter societatem, quam cum piratis inierat Lesbi princeps, etiam fratris mors : cujus culpam in eum principem rex transferebat, & ulcisci fratris manes in animum induxerat. Rex quidem itinere pedestri, in Asiam transiens ferebatur : at classem quæ complectebatur triremes vigintiquinque, & naves minores centum, per mare sequi jubet. Bombardas per mare, in insulam eam transportavit : necnon lapides, quibus onerarentur, circiter bis mille. Belli quidem instrumenta & machinas, mari ad eam insulam subvehi curavit. Ipse verò veniens

veniens Possidium; pedestri itinere, ad insulam procedebat, ducens Ianuarum milites, & quosdam Europæos circiter bis mille. Nam quùm dimisisset exercitus, rediens ab Dacia, continuò bellum movebat contra istam insulam. Copiæ ubi in continentem sunt expositæ, illicò incursionem fecerunt in insulam, eamque populati sunt. Verùm pauca indè abstulerunt mancipia. Mox legatum ad Lesbi ducem misit, qui jussu regis, diceret principi seu duci, ut urbem dederet. Quod si faceret, fore ut ab rege acciperet aliam, & admodùm magnam regionem: princeps Lesbi, nescio quo genio malo in transversum abstractus, pacem regis aspernatus est. Rex itaque bombardas sistens, & contra urbem dirigens, in continentem pergebat consilio Mechmetis, qui eum adhortabatur, ne in insulâ moraretur. Mechmetes accepto exercitu, urbem oppugnabat, distribuens copias universas in turmas, & manipulos. Murum bombardis arietabat, diebus viginti septem, urbique partem non modicam stravit. Habuit bombardas quæ in sublime globum torquent, quas mortaria nominant: quibus urbem gravissimè afflixit. Oppidanorum copiæ, in arctum cogebantur. Et tamen, cùm fortè etiam quidam de piratarum numero præstò essent, egressi urbe, manus cum hoste conferebant. Res vero eorum nequaquam prosperè succedebat. nam Turci lacessiti ab oppidanis, accurrebant ad murum: & magnâ audaciâ freti, eum superare nitebantur. Oppidanis in gravissimo periculo versantibus, siquidem hostis multitudine superior erat; princeps insulæ legatos misit qui nunciarēt regi, se paratum esse dedere urbē, & reli-

& reliqua insulæ oppida. Se tamen petere, ut sibi à rege assignetur regio alia, æquales huic redditus habens. Pollicebatur quoque se strenuè imperata facturum, quocunque tandem in militiam eductus fuerit regio jussu. Mechmetes, cùm intellexisset principis & oppidanorum sententiam, respondit; se nuncios missurum in continentem ad regem, qui hasce principis conditiones ei exponant. Vbi hæc ad regem relata sunt, videlicet quę promittebat insulæ Princeps; continuò in gaudium effunditur, & in insulam traiecit, lubentique animo admittit principis, quas præscribebat, conditiones: aitque se hisce conditionibus, insulæ principi fœdus & pacem daturum. Cùm iam res, decisa, & fides fœderis, jurejurando utrinque interposito, accepta esset; urbe egrediebatur insulæ princeps: & veniens ad regem, eum adorat, & hujuscemodi orationem exorditur. Nosti, ô rex, ex quo insulam istam regere occepi, me jurisjurandi religionem temerâsse nunquam. Quòd autem mancipia ex regione tuâ, vi prædonum abstracta non receptaverim, sciri poterit ab iis qui Asiæ loca incolunt. Nam mancipia, quamprimùm capiebantur è tua regione, continuò à me dominis suis reddebantur. Præterea maximum mihi fuit studium, ut sicubi vestra mancipia quis esset nactus, ea statim dominis suis restituerētur. Quòd piratas suscepi, eâ gratiâ factum est, ne prædas ex mea regione agerent, eamque vastando corrumperent. Nec ulli horum unquam, vel occasionem præbui, vel consilium dedi, ut adnavigantes quicquam damni regioni tuæ importarent. Nunc autem ad te venio, urbem atq; adeò uni-

universam insulam tibi tradens. Supplex verò rogo, ut quemadmodum hactenus rebus tuis plurimùm benevolentiæ præstiti: ita nobis gratiam referat rex. Hæc quidem fatus est, & lachrymæ cadebant obortæ, dicenti; inscitiâ oppidanorum factum esse, quòd non statim ab initio, cum bona ab rege nunciarentur, venerit. Rex exprobrans ei suam inscitiam, & imprudẽtiam, postremò consolationem adhibuit; jubens eum esse bono animo, nihil eum mali propter id, quòd primò non paruerit edicto regis passurũ. His ultrò citroque dictis urbem rex in ditionem accepit; principemque etiam in reliquas insulæ urbes ire jubet, ut earum arces se dederent. Qui impigrè jussa regis capessens, unà cum regis præfectis urbes adiit, easque regi tradidit. Rex continuò, ne qua innovatio exoriretur, urbes in ditionem acceptas præsidiis firmat. Mytilenarũ cives, in tres distribuit partes. Vulgi inutilem partem, ibi reliquit: alteram peregrinis concessit: tertiam, quæ genere & opibus principatum facilè obtinebat, Byzantium deportavit. Piratas trecentos in unum locum extra urbem contractos, occidit. Et quò crudeliùs perirent, corpora eorum media dissecuit. Nam placuit regi Turcorum hoc mortis genere in hostes uti, ut majore crudelitate interirent, dissectis corporibus mediis, gladio diaphragmati adacto. Nam qui in hunc modum cæditur, diu mortis dolores amarissimos experitur. Huic autem urbi, ne quã defectionem molirentur incolæ, ducentos de peregrinorum corpore, & trecentos Azapidos imposuit. His ducem constituit Samblaris filiũ, virum illustrem; cujus pater in regis Ianuis, ju-

dicis

dicis officio functus est, & litigantes summâ diligentiâ & attentione audivit, & sententiam summâ æquitate adhibitâ dixit; adeò ut facilè primas inter omnes Ianuarum judices ferret: Ius enim justissimè dixit: & facilis clemensque omninò fuit in inveniendo pœnas, quibus damnati subdendi essent. Lesbi ducem, eam urbem relinquere, & omnia sua Byzantium transferre jubet. Ipse verò reversus est domum, eligens sibi optimatum Lesbi pueros filios & filias circiter octingentos. Triremes quoque abduxit, relictis tamen navigiis minoribus in insula. Sororem ducis, quam etiam anteà rex ceperat in Colchidis regione, uxorem Alexandri Comneni, qui rex erat Trapezuntis, induxit in gynecæum; siquidem formâ antecedere credebatur eo tempore omnes, quotquot ob formæ elegantiam commendabantur. Maritus eius, præmortuus erat Trapezunte: ipsaque vidua erat, relicto filiolo unico. Rex captâ Trapezunte, puerũ hunc abduxit: & præ cæteris, in Ianuis benignissimè tractavit. Filiam Trapezuntii regis, Annam nomine, & Christianam custoditam, pro arbitrio victoris, connubio junxit Zogano inferioris Macedoniæ præfecto. Ex quo autem eum Peloponnesi Imperio expulit, eam Albanis filio, cui Iyon nomen erat, tradidit: quamvis eam deinceps acceperit vincens, coegeritque suam religionem assumere. Haud multum intercessit temporis, & Lesbio duci nescio quod crimen impegit, captumque in vincula dedit. Ego quidem audivi, cum in carcerem esse raptum, quod displiceret regi, & jam olim ipsi fuerit invisus, propter multa & intoleranda mala, quibus regiam familiam

affecisset. Verum ut alii perhibent; hanc, quòd in carcerem coniectus sit, accipio esse causam. Ferunt, puerum quendam fugientem Ianuas pervenisse ad hunc Lesbi duce. Quem ubi Christianæ religionis fide imbuit, non dubitavit turpissimo amore polluere. Occupatâ autem Lesbiorum princeps Byzantium abiisset, pueri oblitus est. Eum autem inter munera quędam, missum ad regem, regii pueri agnoverunt, remque regi significarũt. Rex puerum quidem retinuit: ducem cepit, & in carcerem compegit, unà cum consobrino ejus Lucio Aeni principe; qui cùm fuisset puer, Lesbi principem in necando fratre, & parando principatu strenuè adjutârat. Nec multo post Lesbum captam, in hanc miseram provoluti sunt necessitatem. Cùm in summo vitæ essent ambo discrimine, dubii quò se verterent, pronunciarunt se Turcorum religionem assumpturos. Rex quidem donans eos vestitu, & ritu, eos quoq; circuncidit, & impunitos è carcere dimisit. Nec tamen diu hoc gaudio illibato usi sunt: Nam brevi tempore pòst, eos iterùm in carcerem condi jussit; & diligenti custodiâ tamdiu asservavit, donec indè abductos, capitali supplicio afficeret.

32. A. C. 1464 Bosnæ regnum, Machometes invadit. Regem ad se per insidias evocatum excoriavit. Fratrem regis & sororem vinxit, & in triumpho duxit. CREDVLITAS, in vitæ & fortunarum discrimen regem adduxit. Imperii ergo cupidis, fides non est habenda: quod non solum Machometis barbari, sed etiam Iulii Cæsaris Romani exemplũ declarat. *Dornavius.* Quod autem dicitur, Muchemetem Bozinæ regem captum

ptum occidisse: paulò latiùs explicat Leunclav. *in Pandect. cap. 141.* ut plenum tam barbaræ perfidiæ Muchemetis, quàm immanitatis horrendæ facinus cognoscatur. Stephanus ergò rex Bozinensis, & uxorio jure Serviæ Rasciæve, Despota, bello petitus à Sultano Muchemete II. & obsessus Iaitzæ, (quam alii Gaitzam, Turci & Cratæ Covadzam vocant) blanditiis tyranni, per quosdam de industriâ subornatos è castello Iaitzano evocatur, & ad colloquium arcessitur. Quùm barbaro temerè fidem habuisset, manuque capita pacis, inter se ac Muchemetem initæ gestans, in castra venisset, capitur; cute jussu Muchemetis, vivus exuitur: justo denique Dei judicio, cum vitâ regnum, quo fraude patrem filius sceleratus excusserat, amittit. Hoc modo tum Bozina, Rascia, Serviæ magna pars, Turcorum in potestatem venit. Matthias tamen rex Vngarus Iaitzam, cum XXVII. Bozinæ opidis, recepit: quam militum corona deindè rursum Muchemetes circumdedit, & oppugnavit; irritoque conatu famâ duntaxat adventantis Matthiæ territus ab obsidione, Bozinæque finibus, discessit.

15. Peloponnesus, vulgò Morea dicta, post reliquam Græciam capta, A. C. 1465. subjugata est. DISCORDIA Demetrii & Thomæ fratrum Palæologorum reliquias Græciæ perdidit. Demetrius affinitate sibi Mahometem conjunxit; ut fratrem è regno eiiceret. Thomas fugiens, exilium quàm servitutem maluit subire. *Chalcocond. lib. 9. & seq. Dornavius. d. Increment. Turcici Dominat. Camerar. in Narrat. Turcic. f. 52. & seq.* Cuspinianus, *in Mahom. 2.* qui addit: Sublato è Peloponneso Græcorum principatu, retinuerunt Veneti quædam

dam in eâ terrâ oppida: è quibus etiam pòst sunt à Turcis eiecti. Nam Mysiâ potitus, ac reliquâ Græciâ penè omni; etsi in Macedoniam exercitum esset translaturus, cùm intelligeret Venetos Corinthiacum Isthmum summâ ope munire (decem enim annis Veneti, tum nullum gesserant bellum) qui tantâ usi sunt celeritate, ut totam muri longitudinem, quæ ab Ionio ad Ægæum mare protenditur, quadraginta circiter stadia, quindecim dierum spacio, duplici fossâ, subitariaque molitione firmarint. Triginta millia hominum, eo loco operata dicuntur; sed veteris structuræ saxa, quæ ad manus fuere, materiam præbuerunt operis celeriùs consumandi. Veneti labore perfecto, Corinthum urbem medio Isthmi intervallo sitam, Ephyren quondam dictam, tripartito agmine, frustrà egrediuntur. Mahometus ut cœptum disturbaret opus, ex Bosnâ veniens, Isthmum cum 80000. equitum, strage & cæde agrestium ingressus; agros Coroneos ac Metonenses populatus: dehinc captis proditione agris, dum 32. triremes Veneti in Turcorum equitatum immitterent, magna suorum strage fusi, fugatique sunt: mille & quingenti cæsi.

II. A. C. 1470. Eubæa Insula, quæ Nigroportus appellatur, triginta dierum obsidione toleratâ, expugnata est; ponte super Euripum facto. PRODITIO Liburni militis, Turcæ victoriam præbuit: qui præfectos per medium dissecuit, Italos milites palis affixit; mulieres in aris Divorum violavit. Dornavius, Eaque de re, ita Cuspinianus. Omnium crudelissima fuit Chalcidis urbis in Eubæa insula (quæ vulgo Nigro-

Nigropontus dicitur) expugnatio. Hanc cum Mahometus 30. diebus obsedisset, & continenti insulam ponte coniunxisset, circa muros sæpius dimicatum est atroci pugnâ, ut cùm Turcis quadraginta penè millia hominum perdidisset (habuit enim in exercitu, centum viginti millia) de fugâ ac obsidione solvendâ cogitaret: sed admonitus à suis, cum Venetæ triremes, quæ cives Chalcidenses facilè liberassent obsidione, metu perculsæ substiterunt trepidæ; præmia Barbarus hostis pollicitus, per integram noctem ad lucem usque oppidanos prælio fatigavit, atque hinc oppido potitus est. Post crudelissime sævitum est sine discrimine, in omnem sexum ac ætatem: crudele edictum propositum, ut puberes omnes ad unum obtruncarentur; ac capitale esset, si quis supra viginti annos quenquam natum, servasset. Magistratus & cives necati diversis locis. In foro præfectus urbis, in ædibus legatus, prætor urbis per medium sectus fuit: quia cùm ei venia esset promissa à tyranno, cavillatus pollicitum se cervici, non lateribus se parsurum.

16. A. C. 1478 Scodra Dalmatiæ sub ditione Venetorum, tantá vi tantoque conatu oppugnata, quanta nulla urbs alia post Constantinopolim; sed re infecta: tandem igitur dedita est. Muhametes eodem etiam anno, Croiam Epiri urbem munitissimam, undecimestri obsidione pressam; fame tandem coactam, deditione accepit. Insuper totam ferè Carinthiam vastat. Dornavius. Et Italica quædam scripta narrant, Venetis datam Scutarin urbem, unà cum Croia à Scanderbega, quò minùs expositæ essent iniuriæ Turcicæ: diu fuisse tunc defensam adver-

adversus acerrimam oppugnationem Turcicam. Sed cùm obsidione cinctis, & subsidij spes & commeatus copia adimeretur; tandem penuriam fuisse omnium rerum extremam: adeo ut canium & murium carunculæ ingenti pretio venderentur. Atque ita factam pacem inter Turcam & Venetos, ut traditâ urbe, incolis discedere liceret, si vellent, cum facultatibus suis. Eos igitur patriam deseruisse, & concessisse in ditionem Venetorum, & Turcas possedisse urbem. Sustinuerunt incredibilis impressionis vim immensam. Cùm alia autem, inprimis admiratione digna, in eâ oppugnatione, adhibitâ arte & potentia Turcarum, tum hoc refertur: pilas in urbem coniectas ex bombardicis machinis illorum fuisse, quasdam pondere librarum nostratium. D. LII. quasdam D. CC XII. Et globos ardentes ex iis, quæ mortaria vocantur pondere librarum D. CC. L. Eosque cum deferrentur, horribili specie & terribili fragore in urbem, parùm tamen damni dedisse, & esse his duos tantùm mortales extinctos, præsidio ad prospiciendum & restinguendum volaticum ignem fortiter & prudenter intento. Sed urbs tandem ut diximus, destituta omni ope, & hominibus fame tabescentibus, tradita fuit Mahomethæ à Venetis; inter alias factæ pacis conditiones, quam illius invicta aliis potentia superare non potuerat. Quem etiam ferunt supra modum, irâ indignationeque commotum; quod illâ urbe totis viribus regni sui, potiri nō potuisset: interpretatumque fuisse, hanc infelicitatem pertinere, vel ad Imperij vel ad vitæ suæ detrimentum. Neque enim omen istud fefellit. *Camerar. in narrat. Turcic. fol. 54.*

A.C.

57. A. C. 1481. Mahometes, à Rhodo Insula repulsus; omnibus improvisis: Hidruntem, maritimam Apuliæ urbem (Orranto Turcis, & Italis vocatur) expugnavit. Sita est ea, è regione Albaniæ vel Epiri: cujus ab opido Velona, sive Valona, quondam Aulonia, sexaginta dumtaxat interiecto mari milliaribus Græcis, distat. Leone quidem (cognomine sapiente) regnante pars isthæc Italiæ, cum Calabria, Byzantino parebat Imperatori: sic & metropolis Romæ novæ patriarcham non veteris Papam adgnoscebat. Inter alia post captam Hydruntē, à barbaris edita crudelitatis excēpla, refertur & illud; quòd urbis archiepiscopum, ad aram serrâ dissecuerint. Hydruntem à morte Muchemetis, quum Baiasites patris in imperio successor, bello contra Zemem fratrem implicatus; Achmetem Geducem bassam ad se anno proximo revocasset; Neapolitani reges, obsessam & expugnatam recuperarunt; ab Vngaro rege Matthia copijs auxiliaribus impetratis: quæ pugnis adversus vicinos Turcos adsuetæ, præcipuam hoc bello, superandis barbaris, operam navasse prædicantur. Vndè Iovius, *d. vitis Imp. Turcic. in Mahomete.* 2. Mahometis mors, Italiæ saluti fuit; propterea quòd Turcæ, qui omnium ferè Christianorum vires per annum iam, & menses aliquot Hydrunti sustinuerant, auditâ Principis morte, Acomathem Bassam, qui cum vigintiquinque Turcarum millibus, Hydruntinum exercitum instauraturus, Velonam adventabat, haud diutius expectarunt: sed cum nostris ea fœdera percussere, quæ bellicam gloriam prius partam minimè demigrarint. Etenim & anteà se militiæ magistros esse osten-

ostendebant cataphractis nostris sæpius repulsis, duobus primi nominis ducibus, nempe Iulio Comite ducis Hauteuillis patre, Matthæoque Corrigi principe interfectis. Vna tantum inter millos equitum Hungarorum ala, inventa est, quæ pari arte cum Turcis congrederetur; assueta nimirum levibus pugnis, quas in Belgradi ac Samandriæ finibus, absque intermissione cum illis committunt. Ioannes autẽ Iacobus Triultius princeps, sæpius referre solitus erat, Italos à Turcis didicisse optima propugnacula construere, illis, quæ Turcæ intra Hydrunti mœnia singulari artificio fabricarunt. Cæterùm post receptam a nostris civitatem, Calabriæ dux plurimos è Turcis qui in ea fuerant, ut sub se militarent, conduxit: atque ij posteà, in eo prælio, in quo ipse dux contra Sixti Papæ exercitum in loco, qui Campus mortuus dicitur, pugnans fusus est, adeò viriliter cum hostibus congressi sunt, ut pedites, quos Ianizaros vocant, balistis equitum impediti, nec tamen unquam terga vertentes, ad unum omnes perierint: equites verò, magna militari cum virtute, tum arte, sæpè insequentes conversi, atq; iter institutum ijs repressis persecuti. Ducem ipsum contempto hostium impetu, usq; ad Neptuniana mœnia, incolumem perduxerint.

18 Suprà facta mentio est, belli à Mahomete, in Vsuncassanen, Persiæ Regem moti. De quo, quid Chalcocondiles, alijque habeãt, hîc referre iubet. Et quidem Chalcocondiles, lib. 9. ita scribit. Vbi Machrometes Sebastiam transivit, irruptionem fecit in Chasanis regionem, urbemque occupavit nomine Corycum. Rex cùm ulte-

riùs pergeret, obviam habuit Chaſanis matrem, munera ampliſſima portantem; & nomine filii legatione apud regem fungentem. Progreſſa autem in conſpectum regis, ſic infit: O rex Otomanidarum, fili Amuratis; me quidem miſit Chaſanes filius meus, qui admodùm rebus tuis favet, nec invidet fœlicitati tuæ, nec recuſat tibi gratificari in omnibus, quæcunque imperaveris. Quæ autem nunc ſequuntur, ex memetipſa profero, vir divine. Quid nos, qui eiusdem tecū gentis ſumus, idemq; populus, bello perſeqneris? Haud ignoras Paiazitem Lælapa Amuratis filium, qui cùm circa hæc eadem erraret, & plurimùm delinqueret in gentis ſuæ homines, tandem ſenſit ultionem. Nam iuſtitia accedens, eique manus injiciens, effecit ut trucidaretur ab Temire rege. Tibi quidem hactenus, quia manſuetè & clementer tractaſti tuæ gentis homines, nec cuiquam intoleranda feciſti, Deus maximā & copioſam largitus eſt fœlicitatem, auctore Heroe (Mahomete) Præterea præbet amplam & opulentam regionem, urbes & reges, qui omnes tuum imperium agnoſcunt, & contremiſcunt. Certè haud te clàm eſt, fore, ſi contumeliis & injuriis laceſſ[illegible]is homines, qui Heroa colunt, ut nequeas amplius hoſtes tuos vincere; quamvis quidem natura, & animo malè feriati homines, & impudentiſſimi, cenſeant juſtitiam nullibi terrarum homines punire, verùm caſu quodam ſive fortuitò res humanas gubernari. Nec ad qnodcunque ſe contulerit quilibet ſive rex, ſive tyrannus, fas juſtumque eſt: ſed ſi juſtitia acceſſerit. Verumenimverò, cernimus Parcas utranque ſortem, bonam & malam, diſtribuere: & in

Ab utraque hanc ſecernunt homines, qui in mundum advenerint. Quibus melior ſors in hoc ſeculo, à Parcis fuerit attributa, hi poſt mortem novis pœnis ſubjiciuntur. Solet autem alias numen ſedulò id procurare, ut quod quis intercedente numine ſtipulando pactus fuerit, præſtet. Sin prævaricatur, prævaricantem ilicò comminuit. Tu quidem maximam conſequutus es fœlicitatem, adeò ut nullus omnium qui in orbe ſunt, regum tibi ſit conferendus. Cauſa vero in promptu eſt. Nam paruiſti Heroi, & ſolennia quæ ſemel ſtatuta ſunt, non es transgreſſus: & in poſterum imperabis, ſi ſic perrexeris agere. Pactis autem omnibus quæ quis fecerit, ſive cum Heroe, ſive cum Deo, donec moriaris, ſtandum eſt. Verum non honeſtè nobiſcum agis, qui ſumus de tua natione, & ſervi Herois. Nam etiam Parca nobiſcum pacta eſt. Satis ſcio, hæc nos non deſpiciet, nec nos contumeliis, & injuriis abs te affectos aberrare vagos ſinet. Hæc loquuta eſt. Rex autem in hunc modum reſpondit. O mulier, non eo inficias, quin juſta ſint quæ commemoraſti omnia: verum haud te clam eſt, pactum cum eo non amplius quippiam, quàm privato ſtatuentari regi, & tyranno. Id autem rerum experientia demonſtrare conſuevit. Nam ſi quis in eiuſdem nationis homines peccare apparet, eius teſtimoniis fides accipienda eſt. Deindè a confeſſo eo oportet ultionem exigere. Hoc à nobis factum eſt. Siquidem prædiximus filio tuo, nos nolle amplius ei noſtram præbere regionem. At non acquievit noſtro imperio, nec regione noſtra abſtinuit: verum noſtra interturbare accedens, non ceſſavit. Cæterùm, utut

hæc facta sunt, tamen filio tuo hæc nunciamus: quæ si fecerit, ab eius regione exercitum abducemus. Det operam, ne in nostram regionem incursiones faciat, nec auxilio veniat regi Trapezuntis, ut simul cū ipso capessat bellum. Hæc ubi enarravit rex, mulier pacifcebatur, & pacem componebat. At de bello, quod Mahometus, cum Vsunchasano gessit, ita scribit Leunclavius, lib. 15. LXX vel LXXX millia militum continebat exercitus, quem in Vsun-Chasanem Muhametes duxit; filiis etiam suis, Sultano Baiasite, Sultanoque Mustapha, secum sumtis. Profectus in hostem tantis cum copijs, velut oceani diluvio quodam, Azemiorum regionem inundare cogitabat, & suam in potestatem redigere. Rex Persicus, Vsun Chasan, adventanti obviam progressus, astuto consilio Chasim Muratem, Europææ Rumiliæ beglerbegum, prius invasit: cuius copiæ, quùm impetum illum primum, gravissimumque sustinere non possent, Chasim Muratem beglerbegum suum, hinc indè dissipatæ deseruerunt. Quò factum, ut Chas-Murates occisus, cœtui Schidorum & martyrum (ita Turcæ loquuntur) adgregaretur. Sultanus autem Muhametes in Vsun-Chasanem irruens, summis cum viribus adortus est. Vsun Chasan vicissim & ipse magno in Sultanum Muhametem animo perrexit. Quapropter ambobus his exercitibus inter se congressis, inprimis acre commissum prælium fuit. Filij Sultani Muhametis; Sultanus Baiasites, & Sultanus Mustapha, duabus à partibus Vsun Chasanem invadentes, tormenta bellica maiora, sclopetos, balistas in aciem eius exonerarunt, pluviamque telorum mor-

[illegible]lium in eos immiserunt. Tatarorum exer-
citus (Vsunchasanis nempè milites, qui maio-
rum origine Tartarus erat) ad tormentorum &
[illegible]orum ictus, subsistere non potuit. Erat in
exercitu ipso quasi pectore, mediaque suorum
acie Sultanus Muhametes; & summis utrin-
que viribus dimicabatur. Anatoliæ beglerbegus
[illegible]des bassa, Machmutes bassa, Sultanus Ba-
iasites, & Sultanus Mustapha, tamdem quatuor
a partibus in hostem irruerunt. Hinc Vsun-
chasanis filio, Zeineli Sultano, caput ab his am-
putatum, & exhibitum Sultano Muhameti fuit;
[illegible]inque res Vsunchasanis in angustum re-
dactæ fluctuabant. Interim Turcis locustarum
more in adversos involantibus, animadvertens
Vsun Chasan ab hoste se circumdari; saltim sa-
lutem consulendum statuit, & fugam inire ce-
pit. Mox & exercitus ejus, qui militibus Mu-
hameticis amplius nequiret obsistere, tam ef-
[illegible] in pedes coniecit; ut universa Ta-
tarorum acies illa dissipata, Turcorum vi pro-
fligaretur. Insecuti milites Vsunchasaneos Mu-
hametici, quùm ipsum Vsunchasanem adsequi
nullo modo possent; ad castra tentoriaque V-
sunchasanis se contulerunt, & Ordam ipsius, si-
ve forum castrense, diripuerunt. Omer begus,
[illegible]chanis begi filius, & multi alij proceres,
qui Chasi Murate cæso, capti fuerant, in castris
Vsunchasanis inventi, libertatem receperunt.
[illegible] prælio superatus fuisset Vsun-Cha-
san, victorque Muhametes cum exercitu suo re-
[illegible] ipsius, pro lubitu suo tractasset: retro
[illegible] abijt, arcemque Carachisarem, Græcis
Maurocastron dictam, ceu castrum nigrum, ce-

pit. Sunt autem hoc nomine tres arces in Anatolia, triaq; castella; de quibus heic unum illud accipi debet, quod est in Cilicia sive Caramania. Opimis deniq; spolijs onustus miles Muhametícus, ex ijs locis redijt. Victus autem prælio fuit Vsun-Chasan, Anno Chr. 1474. die XIX. mensis Rebiul Evel, qui Mercurij dies erat. Et memoriâ proditum accepimus, in eâ fuisse sententiâ & opinione regem Vsun chasanem; ut auspicato se die Mercurij pugnaturum adversus Muhametem propterea crederet; quod rex quidam Tzichan Schachus, cum Saide bego, Tzincanio vel Aegyptio rege, manum die Mercurij conferens, eumdem victum fudisset, fugasset. Atenim auspicatus ille dies, in nefastum Vsunchasani conversus, & inauspicatum fuit. Adeoq; tamdem præ irâ & indignatione, tristior solito factus morbum contraxit; quæ vitæ ipsius finem attulit.

19. Sed porrò addere lubet, quæ Petrus Bizarus *de rebus Persicis* plura de Vsun-Chasane habet, & quidem lib. 9. ita ille scribit. Vsumcassanus, nec regiâ stirpe satus, nec amplis opibus subnixus, licet ex nobilissimâ familiâ oriundus, ad summam potentiam propriâ virtute, ac jure belli pervenit: utque in eâ sese magis constabiliret, cum Davide Comneno Trapezuntis Imperatore inito fœdere, affinitatem contraxit; ejusque filiam Despinam, in matrimonium duxit. Posthæc, legatos misit ad Mahometen, afferentes dona amplissima, deprompta ex thesauris Persicis ad ostentanda victoriæ præmia; qui flagitarent, ut abstineret Trapezunte, & Cappadociâ, quas sibi regiones dotalitio nomine ven-

vendicaret. Nuper enim Amasiæ præfectus, facta in Cappadociam irruptione, Trapezuntem detinuerat. Turca, impatienter ferens, & leges sibi ferri & quasi insultari in calamitate recenti, ab inferiore domino, simulque offensus novi regis felicitate, & gloriâ; belli apparatum omnẽ terrâ marique in Asiam nullâ morâ interpositâ, transtulit, præmissaque parte classis in Pontum, & Synopem, versus Trapezũtem, ipse cum terrestri exercitu secutus, incredibili celeritate Asiâ ceu pervolitatâ, opinione omnium citiùs contra Vsumcassanum castra fixit. Vbi Vsumcassanus bino, & utroque acerrimo conflictu, semel ad Euphratẽn, pugnante Amurathe Basŝâ Græco homine, olim Imperatoris Constantinopolitani consanguineo, qui in eo prælio, victus concidit: iterum Mahomete ipso præsente, Turcicas vires vehementer attrivit: sed, dum tertiò summi certaminis fortunam periclitatur ad Arsengam, multitudine tormentorum obrutus infelici exitu superiores victorias corrupit. Nam cùm exercitus Persicus, insolito fragore displosarũ bombardarum, atque violentiâ turbatus, non consisteret, recipere sese Vsumcassanus coactus est: amisso filio Zemalde, seu Ezeimald, ut alii vocant; qui ęnea glande trajectus, occubuit. Vsumcassanus, ubi fortunam prorsùs in Mahometis partes inclinasse animadvertit, ex prælio, quod quidem ante Meridiem inchoatum, fermè usq; ad Solis occasum continuavit, cum parte copiarum, quæ supererant, aufugiens; Taurisium incolumis revertitur, eumque mox alter filius, nomine Vnghermaumet, subsecutus est: & confestim sese in montes recepit, nihil ausus intereà

movere, quamdiu Mahometes in Persia subsisteret. Turci Persarum castra invadunt, omniaq; impedimenta diripiunt; nec ultrà hostes persequi ausi sunt. Fuit victoria hæc satis speciosa: Sed Turcis multò calamitosior, quàm Persis. Apud quosdam scriptum reperio, eo die, ex Ottomannico exercitu, ad quatuordecim; & nonnulli etiam asserunt, ad quadraginta millia: ex Persico, ad decem millia, nec ampliùs desiderata. Regis copias in hâc expeditione fuisse, armatorum trecenta & quinquaginta millia: Ottomanni vero exercitum, trecenta & viginti millia explevisse. Et libr. 10. idem Bizarus scribit: Anno humanæ salutis, supra millesimum ducentesimum octogesimo, septem principes Turcicæ gentis, regna inter se compartiti sunt: ex quibus deindè quatuor præcipuæ familiæ, reliquis oppressis, supremum imperium sibi vendicarunt; nempè Assimbeios, Candeloros, Caramannos, Ottomannos: exque Assimbeiis natus est Vsumcassanus, qui præfectus Armeniæ majoris, ab indigenis patrio idiomate Diarbec vocatæ, cum Malonchre Partho, sive, ut alii volunt, Tzanise Turcarum Rege conflixit; eoque in acie contrucidato, Perside potitus est. Hęc autem vox Vsumcassani, magnum sonat virum, seu Heroem aliquem. Vbi iam verò, sublatis æmulis, Persarum imperium adeptus est; mirâ ejus proferendi cupidine ac studio, inflammatus: Syriam & Aegyptum invadere constituerat: sed Calixtus Pontifex ad eum oratores misit, multisque rationibus cohortatus est, ut bellum in Turcos verteret Circa idem fermè tempus, etiam Veneti, post Eubœam insulam amissam, Catarinum Zenum, virum

virum patricium, & equestris ordinis, ac eximiis animi corporisque dotibus insignem, ad eundem ablegârunt: qui publico nomine apud eum legationis munere fungeretur, ac enixè operam daret, ut inter ipsum, & Venetam Rempub. fœdus ac societas coiret. Nec sane incassum res mota est: mox fœdere utrinque inito, & confirmato, Persa deindè quatuor præstantes viros, quorum nomina fuerunt Azimamet, Morat, Nicolaus, & Chefarsa, ad præfatum Pontificem ac Venetos expedivit: qui eos admonerent, suum Principem ad opprimendum Ottomannum in expeditione esse, & jam ejus duces, cum haud contemnendis copiis, Armeniam minorem, Ottomanno subditam, invasisse: nec non Tocatum, validissimam urbem ejusdem regionis, & nonnulla alia oppida cepisse. Adhæc subiicerent, Persas, equis & viris satis superque abundare, non etiam hastâ, ense, ac sagittis, ad pugnam idoneos. Cæterùm, reliqui instrumenti bellici ignaros, atque expertes esse. Proindè ab eis majora tormenta, & militares machinas, ad expugnandas urbes, & ad summovendum eminùs hostem necessarias, postularent. Quod nisi eâ quoque parte, quâ Ottomannus maximè abundare dicebatur, à sociis & confœderatis juvaretur: fieri non posse, ut tutò ac feliciter cum hoste confligeret Veneti, & Persicâ legatione, & literis Catarini Zeni, sui apud Regem oratoris, commoti, ac persuasi, magnum numerum tormentorum cujusque generis, pararunt. Vasa etiam ex auro & argento convivalia, Parisini operis, egregie cælata, multùm panni lanei tenuissimi, multùm serici vermiculo tincti, auroque in-

texta-

tertexti, ad regium usum, omnia Regi Persarum dono daturi. Præterea centum juvenes, qui bellica tormenta exercerent, delegerũt: iisque Thomam, ex Imola oppido Flaminiæ, quod olim Forum Cornelii dicebatur, oriundum, præfecerũt. Postremò, ad hæc Regi deferenda, oratorem designarunt, virum itidem patricii otdinis, Iosephũ Barbarum, non minùs ætate, quàm prudentiâ & consilio gravem, ac Persici idiomatis ueutiquã ignarum. Tum omnia parata, in tres naves magnas imponunt: quæ, etsi remis aguntur, onerariæ potiùs, quàm actuariæ dicendæ sunt. Habent enim Veneti, hujus generis naves multas, quas rerum commutandarum gratiâ, ad multas Provincias quotannis mittere consueverunt. Quibus paratis, orator Venetiis solvit, ac Cyprum appulit: ut illinc commodè, cùm Vsumcassanus ad maritima Ciliciæ aut Syriæ venisset, dona ei offerret. Fama enim divulgârat, proximâ æstate, Regem ad ea loca profecturum esse. Deindè ex Senatus decreto, injunctum est Petro Mocenico, Venetæ classis navarcho, ut ad omnia Vsumcassani mandata, præstò esset, quæque maxime cordi Regis fore existimaret, cæteris rebus posthabitis, summo studio ac diligentiâ procuraret. Muhametes intereà, non solùm famâ excitus, sed per exploratores de magnitudine copiarum, & de adventu Regis Persarum planè edoctus: ultrà non esse sibi cessandum ratus, bello se instruere, atque hosti quàm primùm occurrere statuit. Proindè collecto ingenti exercitu, rebusque omnibus ad tantum prelium gerendum necessariis, probè dispositis ac præparatis, illum ex Thracia in Asiam trajecit. Ipse etiam, priùs Byzantii

[illegible] valido præsidio, cum minore filio relicto, [illegible]as copias ad occurrendum hosti subsequitur. Quis autem fuerit hujus expeditionis exitus, & quonam eventu utrinque armis dimicatum sit anno videlicet supra millesimum quadringentesimum quinqnagesimo septimo, paulo ante demonstratum est. Anno ejusdem ævi, septuagesimo secundo, Vsumcassanus iterùm cum eodem hoste commisso prælio, felici Marte conflixit, multaque oppida & urbes illi ademit; quod maximum ac æternum nomen ipsi Assimbeio in Orientis partibus peperit. Rursùs, proximo anno, levibus præliis ad tria millia, ex Mahometis exercitu fudit. Cæterùm insequenti æstate, longè aliam fortunam expertus est ad Euphratem fluvium; sive ut alii volunt, juxta [illegible]endam, quæ hodie Toccata dicitur, in campis Anserinis: ubi conflictu habito cum patre adversa, victus est; & ex suis, ad sex, sive, ut aliis placet, octo millia & octingentos amisit. Ex quibus, Mahometes domum rediens, in singulis locis ubi stativa habuit, quingentos eorum, per medium secari jussit, & insepultos abigi, atque dispergi; totamque Armeniorum regionem, hoc atroci & horribili funerum spectaculo implevit, maximum terrorem ubique incutiens. Memoriâ proditum est, Mahometem, simul atque accepit de fœdere percusso inter ipsum Assimbeium ac Venetos; legatione missâ, plurimùm Persam obtestatum esse, ne Turcorum Imperatorem, novo bello impediret, quò minus Christianum nomen deleret: Quod si nullâ se aliâ moveretur, communis fidei necessitudo, tanti quod cum esse deberet; ut non modò non inter-

pellaret tam pulchrum negotium, sed enixius etiam juvaret. His autem sic fuisse responsum, Mahometem, quem ipsi sequerentur, id inprimis lege sanxisse, ut, quæ semel promissa essent, ex fide servarentur: se Romano Pontifici, Venetoque nomini pollicitum, sanxisseque in id fœdus, ut Turcos terrâ & mari persequeretur: anniхurum proinde se totis imperii viribus; ut sibi fidem constare, omnes intelligeret, quam alienæ genti fœdere obstrinxisset, atque ita oratores dimissos. Proximè recensuimus, Iosephum Barbarum à Venetis cum muralibus machinis, multoque bellico apparatu, in Persidem ablegatum: sed, dum is in Ciliciam appulsus, longiorem moram traheret; conflictus habitus est, priusquam Persa ex his militaribus præsidiis, quicquam fructus, ac emolumenti percipere potuisset. Præcipua vero causa hujus atrocissimi belli, fuit potissimum propter regnum Ciliciæ, quod uterque omnibus studiis atque artibus affectabat. Inter hæc, Veneti, ut Regis animũ confirmarent, simulque ipsum ad novas expeditiones erigerẽt; anno eiusdem seculi septuagesimo tertio, Ambrosium Contarenum, virum cum à generis nobilitate, tum à singulari prudentiâ, consilij rectitudine, cęterisque virtutibus, quàm maximè commendatum, oratorem destinarunt. Et hæc quidem tertia Venetorum legatio extitit. Per ò hi omnes, à Rege Persarum benignissimè, atque humanissimè excepti fuêre: inprimis vero Catarinus zenus, qui partim ob ingenij dexteritatem atque solertiam, partim etiam propter affinitatem, quæ illi cum reginâ Persarum intercedebat, in summam ipsius Regis familiaritatem

tem devenerat. Siquidem David Caloioannes, Imperator Trapezuntius, præter Despinam quæ nupsit Vsumcassano (eâ tamen conditione, ut, cùm esset Christiana, eandem religionem sibi profiteri liceret, quod quidem Rex ipse ut se facturum receperat, sic etiam re ipsâ fidelissimè præstitit; adeò sanè, ut quamvis uterque diversis ritibus Deum coleret, religionis tamen diversitas, rar p quidem exemplo, conjugalem benevolentiam & charitatem, nullâ ex parte imminuerit) habuerit aliam filiam, quæ locata fuit in matrimonium Nicolao Crespo Duci maris Aegæi, ex qua sustulit quinq; femellas, quæ ubi adolevissent, totidem Venetis patricii ordinis, & in ea Republ. opibus ac dignitate tunc maximè florentibus, matrimonio copulatę sunt: quarum primam duxit uxorem N. Cornarius, ex quâ deindè nata est Cypri regina, & Georgius Cornarius. Secunda, nomine Lucretia, nupsit in familia Priuli, & tertia, quæ dicta est Violantes, Catarino Zeno, cujus hìc mentionem facimus. Hic tandem, peractâ legatione, & ab eo Rege amanter atq; honorificè dimissus; nomine eiusdem Regis, aliam legationem apud Casimirum Poloniæ, & Matthiam Corvinum, Hungariæ Reges obivit: ut eos vicissim, ad opes ac suppetias ferendas incitaret, eâque feliciter ac sedulo explevit, in patriam, ceu postliminio rediit: ubi à Senatu, atq; universis civibus, maximo applausu ac summis honoribus exceptus est. Vsumcassanus, præter bella quæ gessit cum Ottomanno, expugnavit etiam Sarochum nepotem magni Tamerlani; qui apud mare Caspium, Sarmocantem urbem proximam Amazonibus tenebat

Hiemſclemitem Babyloniæ Regem, cum toto exercitu ſuperavit: Aegypti Sultanum in latiſſimâ planitie, juxta Orpham civitatem, acerrimo prælio devicit, eumque ob formidinem ad fœdus ineundum compulit. Adhæc, Cappadoces, Armenos, Georgianos, Meſopotamios, finitimosque populos omnes, ſubegit, eratque dominus Perſarum, Parthorum ac Medorum, & fermè totius Orientis: ejusque nomen per univerſum terrarum orbem, longè lateque inclaruerat. Dum verò contra Ottomannum, novam expeditionem molitur; Vnghermaumet ejus filius, juvenis præcelſi ſpiritus, utque paternarum virtutum, ſic etiam ejusdem imperii æmulus, à patre defecit; ejusque defectionis præcipua cauſa Curdi, qui montanus regiones incolunt, extitêre. Hi enim Vſumcaſſano parùm faventes, ut inter ipſum ac ejus filium, mutuæ ſimultates ac diſcordiæ orirentur per omnia loca paſſim divulgarunt, Regem vitâ defunctum eſſe. Proindè cum his rumoribus Vnghermaumet faciles aures adhibuiſſet, quippè qui ad imperium totis animis anhelebat, confeſtim, cum ex his militaribus cohortibus, quas ſibi pater, pro Bagadet, olim Babyloniæ, ſimulque finitimæ provinciæ, quàm vulgo Bierberam vocant, tutelâ atque præſidio aſſignarat; tum etiam ex Curdis, quorum ingens multitudo ad eum confluxerat, juſtum exercitum coegit: & mox urbem, ab incolis Seram appellatam, & ſitam in finibus Perſiæ, occupavit. Quo audito, Vſumcaſſanes, nullâ morâ interpoſitâ, cum ſuis prætorianis militibus, verſus civitatem, cui nomen eſt Leras, feſtinatis itineribus contendit. Hæc ubi Vnghermau-

[illegible] nunciata sunt, & Curdorum perfidiâ, & suam levitatem ac præcipitem ambitionem summopere detestatus, urbe egressus est, & per quosdam proceres viros, quibus patrem favere intelligebat, ut ipsi reconciliaretur, omni ope ac studio sibi annitendum esse constituerat. Cæterum, cum intelligeret, patrem infensissimo in se animo esse, ac proditionem vereretur, mutatâ priori sententiâ, primò ad Bajazetem Turcorum Regis filium, qui præerat in finibus Persarum; & mox ab eo impetrato diplomate, Constantinopolim ad ipsum Mahometem côcessit: à quo perbenignè exceptus, brevi pòst, hujus ope atque armis adjutus, in paternam provinciam, cui nomen est Sanga, Ottomannicæ ditioni conterminam, cum exercitu profectus est, atque indè crebris excursionibus, paternum imperium devastare cœpit. Rex, tametsi ad illius conatus reprimendum, aliquot turmas, & militares cohortes expedivisset, nunquam tamen vultu ac verbis præ se tulit, ut tantas injurias ulcisci vellet: quin potius & in publicis & privatis colloquiis aiebat, sibi hæc molestissima esse, maximumque dolorem afferre: adeò ut non multò post simularet, se in hujusmodi morbum incidisse, unde nulla spes revalescendi foret; atque interim unà cum his, quos sibi aut beneficiis, aut aliquâ aliâ ratione obstrinxerat, in secretiorem locum secedens, eò rem deduxit, ut ab ipsis per universam Persiam, ac etiam Ottomannicâ ditionem publicaretur, Regem gravissimè decumbere, ac tandem supremum diem obiisse. Tum itaque primores ac Satrapæ, per fideles internuncios Vnghermaumetem, de Regis obi-

tu cer-

tu certiorem faciunt, eumque adhortantur atque orant, ne ullo modo differat profectionem in Persiam, sed quamprimum sese itineri accingens, Taurisium veniret, ut Rex Persarum inaugураretur: priusquam Calul & Iacuppus eius fratres, bellicâ virtute ipso longè inferiores, regnum invaderent; utque dolus occultior esset, omnisque suspicio removeretur, in ipsâ urbe regiâ, Regis manibus publice parentatum est, & funeralia solenni pompâ, magnisque sumptibus peracta. Igitur miser ac infelix Vnghermaumet, adversis fatis agitatus, sive potius pertractus, simulque oblitus, se paulò antè ob nimiam credulitatem eo redactum esse, ut omnibus fortunis exutus, extorris ac profugus, inimici opem atque auxilium implorare cogeretur, rem ita se habere, sibi omninò persuadens, tantâ celeritate in Persiam festinavit, ut infra exigui temporis intervallum, ad urbem Taurisium perveniret; ibique statim percunctatus de his proceribus, qui ei paternum interitum significaverant, & futuri regni haud dubiam spem præbuerant, ab iisdem tanto silentio ad patrem perductus est, ut infortunatus juvenis, tunc demum se prorsùs delusum ac deceptum animadverteret, cum in patris conspectu esset, & coram eo sisteretur. Qui, postquam filium acerrimis verbis, ac minis increpasset, mox illum in vincula conijci jussit, & paulò pòst miserrimè trucidatus, commeritas suæ præcipitis ambititionis, ac levitatis pœnas persolvit, dum paternum imperium rapere magis, quàm expectare voluit. Post huius mortem, arma Ottomannica ad tempus quievêre, cùm etiam Persarum Rex, deinceps ab omni alia expedi-

peditione supersederet : donec tandem senio confectus, nec minus annis, quàm gloriâ & rerum gestarum magnitudine onustus, placido exitu vitam terminaverit. Anno Salutis supra millesimum quadringentesimum septuagesimo octavo, ætatis circiter octavo & septuagesimo, in nocte, quæ præcedit festum trium Magorum, quod Epiphaniam vocant. Fuit decorâ proceritate, vi corporis, licet gracilis, admodum insignis: formâ principe viro dignâ, liberalis præterea, magnanimus, fortis, prudens, bellicosus, visuque & auditu juxtà venerabilis. Successorem reliquit Iacuppum, cognomento Chiozzarnal, quæ vox Persico idiomate sonat unius oculi luce privatum. Hunc ferunt, eâdem nocte, qua Vsumcassanus vitâ migravit, ut solus regnaret, fratrem natu majorem interfecisse.

20. Tot autem, tantasque victorias Mahometis, discordiæ & bella civilia Christianorum, pronas facilesque reddiderunt. Etenim, anno 1452 Ioannes Hunniades, Vngariæ coronam à Friderico frustrà petens, cum XII. millibus Austriam incendiis & deprædationibus vastat. Austriaci, cùm Fridericus Cæsar Ladislaum Vngariæ Regem dimittere nollet, arma contra Cæsarem sumsere. Depugnatum itidem est in Gallia: victis Anglis ad Forminiacum, totaque expulsis Aquitania & Normannia. Porrò anno 1453. Bellum movent Friderico Cæsari Vngari, Bohemi, Moravi: eodemque in novâ civitate Austriæ obsesso Ladislaum recipiunt. Civile pariter bellū in Anglia ortum est difficillimum : cuius Principes ex albâ, rubrâque rosâ cognosci voluerūt. In Belgio & Gallia bellum grave, exoriebatur: &

Philip-

Philppus Burgundio, Gandavensium 20000. interficit. Anno 1460 ipse Imperator Fridericus, quodammodò Viennæ in Austriâ, à civibus obsessus fuit. Militum quoque nonnullorum, in Austriâ invalescit conspiratio; quæ decem annis Austriam vehementer perturbavit. Cæsari se opponunt in Austria & Carnia, Fraunaverus & Henricus Goritius. Biennio ante Alphonsus Hispaniæ Rex, Genuenses classe XXX. triremium vicit. Anno 1462. Imperator Fridericus iterum Viennæ à civibus obsidetur: Liberatus auxilio GeorgI PodebracI, cujus filios, Cæsar gratitudinis ergò, Duces Münsterbergenses creavit. Commissum etiam est cruentum admodùm prælium, in Polonia ad Puscum: quo confecto, res Polonorum crescere, Cruciferorum imminui ceperunt. Anno 1465, Carolus Audax Burgundiæ & Ludovicus Galliæ Rex, gravi bello implicantur. Georgio Podiebrachio dissidia cum Bohemis, bella cum Matthia Vngariæ rege, gesta fuêre. Anno 1470. Caroli Burgundi furor bellicus, adquirit vires: Leodio capto, incensoque. Sævitum in omne hominũ genus, puerum quoque; quorum sexcenti in Mosa sunt submersi. Matthias Vngariæ Rex, bellum Bohemis infert: Georgio Podiebracio è vivis decedẽte. A. 1476, Matthias Vngariæ Rex, Austriã & Styriam & Bavariam usque vastat: Bohemiæ coronam Imperatori extorquet. Carolus Burgundus ad Gransonum, spoliatur ab Helvetiis supellectile suâ, ad Muratum amittit 14000. pugnatorum; obsidetur NanceI: ubi sequenti anno vitam quoque amisit. Anno 1479. Ludovicus Galliæ Rex, magnâ manu Burgundiæ fines invadit: ubi magnã mul-

multitudinem hominum amisit. Maximilianus Archidux in Belgio cruentum bellum gerit. hæc Onuphrius. Ac quoque Camerarius *in narrationibus Turcicis* scribit: Incidunt autem hæc, quæ commemorata (de Turcicis victoriis) sunt, in id tempus, quo Pannones, id est, Hungari & Austriaci bellis fuerunt conflictati. Prætendentibus Hungaris causam; quòd Fridericus III. Romanorum Imperator, retineret apud se Ladislaum Alberti filium, neque dimittere eum jam adolescentem & idoneum ad regnum abs sese vellet. Quibus & aliis, in nomine Christiano flagrantibus illis dissidiis, & excitatis motibus, ocium concessum fuit externis hostibus grassandi impunè & perficiendi facilè quicquid vellent. De qua miseria, querelæ lamentabiles, à multis illarum rerum scriptoribus deploratæ sunt: utinam animi hominum nostrâ ætate, tristitiâ exemplorum istorum moti, similes eventus averti studerent removendo eorum causas.

51 Tales porrò Muhametis hujus progressus victoriæque; non raro quoque cladibus sat funestis impeditæ, contaminatæque fuerunt: is enim opibus quas triennio congesserat, ex omni regno accersitis proceribus, Anno Christi 1456. successu tumens, expeditionem in Hungariam instituit, cum maximis ac infestissimis copiis circum 150000. hominum, Belgradum, quam Hungari Nandoralbensem arcem, hodie Albam Græcam vocant, obsedit. Annales Hungarici 400000. militum in exercitu pedestri ac navali habuisse Turcum tradunt, incredibili superbia tumescentem, quasi tota jam Hungaria à se victa esset. Romanorum enim Imperatorem se obruere jacti-

[illegible] nocte se [illegible] abducūt, omnes [illegible] converſi, victoriam Chriſtianis reliquerunt. A quibus fuſi, fugati & ſuperati, reliquis [illegible] munitionibus, impedimentis, & [illegible] generis tormentorum inſtrumentis, [illegible] bellicis, ac ſarcinis militaribus, caſtris [illegible] exuti. Ignominioſâ ac turpi fugâ, [illegible] innumerabilis formidabilisque exercitus, per noctem obſcurā abiit; non tamen ſine cruen[illegible] Imperator Mahometus roſtu ablatus, [illegible] ubi ex dolore vulneris ad ſe rediit, in[illegible] infamem acceptam ſuorum cladem, [illegible] inque ſtragem, veneno vitam voluit ſi[illegible] adimere: ne tanto cum dedecore, in patriā [illegible] remearet, vix a ſuis prohibitus. Nun[illegible] poſthac de illa clade, aut dicere aut audi[illegible] voluit. Et quoties illius memoria [illegible] barbam manu graviſſimè demul[illegible] deduxit cum fremitu: hunc execra[illegible] inter atros computavit. Etenim quàm [illegible] erat ejus adventus, tam turpis ac fœ[illegible] diſceſſus: optimi maximi Dei Ieſu Chri[illegible] ſic ordinante. Multi crediderunt, ſi [illegible] alīque hoſtes tum fuiſſent acriùs in[illegible] Chriſtianis Principibus, potuiſſe eo die [illegible] imperium deleri. Calixtus Ro[illegible] pontifex, qui ſe perpetuum hoſtem Tur[illegible], ob rei perpetuam memoriam, cum [illegible] rogatu continuiſque ſupplicationibus [illegible] octavo Idus Auguſti, quo die tum [illegible] ſancti Sixti, transfiguratio Domini [illegible] celebraretur: & voluit, poſt meridiem [illegible] ſignum dari fidelibus omnibus, ut o[illegible]ibus eos juvarent, qui contra Turcos con-

tinuò

tinuò dimicabunt. *Cuſpinianus in vita Mahometis I. Chalcocondyles l. b. 8.* Sanè jam antè, contra vim Muratis, urbem hanc Christiani defenderunt, duravitque obſidio menſibus ſeptem, *Bonfin. Decad. 3 lib. 4.* Nunc iterum obſeſſa fuit à Muchamete Muratis filio; qui eam repetebat ab Vngaris, ut membrum Serviæ nunc ſui juris effectæ. De hacque obſidione ſecunda, Thomas Ebendorfus in *Auſtriacis annalibus ſuis*, hæc retulit. Anno 1455, Turcus Machumet ſecundis elatus fortunis, Despotam Georgium, Ratziæ principem, in ſuis terris hoſtiliter invaſit, & plura hominum millia crudeliter abduxit. Hinc & Deſpota verſus Vngariam, ad Albam Græcam, cum ſuis ſecretis ſe contulit, terramque ſuam gubernandam Ioanni de Hunniad, Vngariæ Gubernatori (dum Viennam, ad Fridericum IIII. Imperatorem pergeret) commendavit. Indè Nandoralba, janua & clauſura regni Vngariæ, obſidetur à Mahumeto, anno 1456. oppugnatione acerrimâ factâ die 21 Iulii: quum priùs hoc in itinere, caſtrum S. Andriæ (Senderoviam alii vocant) quod erat Georgii Deſpotæ, adgreſſus incaſſum fuit. Solutâ obſidione, mortuus Ioannes de Hunniad, Comes Biſtricenſis, XI. die Auguſti. Eum ita deploravit Fr. Ioannes de Capiſtrano, Hunniadis commilito: Salve aureola cœli, quæ cecidiſti, corona. Regni extincta es lucerna. Orbis corruptum es ſpeculum, in quo nos diutiùs inſpicere ſperabamus. Nunc tu devicto inimico, triumphas coram Deo & Angelis, ô bone Ioannes. Sanè quàm fortiter, & immortali cum laude ſuâ, hi duo ſe geſſerunt, hoc propugnaculo Chriſtianorum defendendo; Hunniades & Capiſtranus: clarus

clarus in historiis Volonum cruce signatorum dux, qui mortuũ Hunniadem paucos intra dies sequutus fuit. *Leun lav us Pa[illegible] c.133*

22. Cum item post Constantinopolitanum excidium, sævissimus tyrannus, vi & armis quã-plurimas regiones, annis viginti octo subegisset, plerumque imperio potitus esset circum-adjacentium, ægerrimè tulit, Rhodum liberam esse. Eam igitur quatuor classibus oppugnare adorsus est frustrà, semper clade affectus: cùm partim ex suis captivi palo affixi, partim calamis gestulis perfossi, partim membratim discerpti, terra marique trucidati succubuerint. Cùm ergo hoc non procederet, versutiâ, dolis & proditione, subornatis qui se transfugas fingerent, rẽ in aliam pacem simulat, si aut vectigal, aut munera Rhodii offerant. Generositate animorum, Rhodii milites utrumque reiiciunt, fœdus & munera contemnunt. Cùm igitur triennio, de proditione Rhodii consultasset Mahometus, Petrus autem Daubusson, princeps & Rhodiorũ militum magister, collapsos urbis muros ac mœnia restituisset, munitionibus egregiè custoditis, tyrannus irâ incensus, classem quam potuit maximam, ut Rhodum perdat, cum centum millibus militum mittit. Ter urbem aggressus, septingenti primo congressu periere, multi vulneribus confossi. Dehinc duo millia & quingenti, cum à nocte mediâ, ad diei decimam horam constanti prælio esset dimicatum, occubuere: auro, vestibusque preciosis spoliati. Postremò ceciderunt tria millia quingẽti. Cum penitus urbem diruere moliretur Turcus. Fertur tum crux aurea, mediâ oppugnatione in

cœlo

insignia sunt, perpetuum ea familia symbolum, FERT, hujus Amadei virtute promeruit. Nam ea literæ plenius explicatæ significant; Fortitudo Ejus Rhodum Tenuisse. Sed Turci nihil adhoc usque tempus, in eam moliri fuerant ausi: licet Asiæ quietam prope possessionem inperturbari ab equitibus illis Rhodiis, ægerrimè ferrent. Nunc tandem Rhodum, jussu Mechemetis adgressus est Mesites vezir bassa, gente Palæologa natus. Erat tunc princeps ordinis, quem Græci Megalon Mastora vocabant, nostri magnum Magistrum, Petrus Albussonius, (ut jam dixi) natione Gallus; qui postea Cardinalis ecclesiæ Romanæ creatus fuisse traditur. Is tam fortiter hac obsidione cum suis se gessit, ut non solum infectâ re, verumetiam damnis acceptis gravissimis, indè discedere Mesites cogeretur. Quippe non revocatis ad calculum detrimentis ceteris, cæsa periere Turcorum XXXCIↃ. *Leun. l. in Pandect. c. 141.*

23. Tentatus item domesticis insidiis fuit Mahumetus. Fuerunt enim nonnulli Janissarii & cubicularii, quos sui studiosos homo demens arbitrabatur: qui de interimendo tyranno, consilium inere: perpetrassentque cogitata, nisi unus ex conspiratoribus, & Græcus & Constantinopolitanus Maudromenus, nescio quo infelici fato, tam salutare facinus è manibus victorum extorsisset. Ingressi namque tentorium vinolenti & stertentis domini, probissimi adolescentes, jam contentis arcubus, sagittas emissuri forent, perfidus ille Maudromenus, veluti quodam afflatus infesto spiritu, conclamat repente: Cave vitæ tuæ, mi Here, Amyra, cave tibi,

ribusque suis inauditis: & pertimescebat ab illis pœnas, quos vel ipsos, vel eorum aut parentes, aut patriam, tot injuriis contumeliisque affecerat. Et quod ratio antè non potuit, eum supplicii formido, à quotidiano instantique periculo reddebat cautiorem. Sic qui anteà negligentissimus erat sui corporis custos, qui nihil aliud neque cogitabat, neque exercebat, quàm se vino exquisitissimo obruere, ac obsoniis variis ingurgitare: ita se composuit posteà, ut nemo ad custodiendum esset eo diligentior, nemo ad suspicandum sagacior, nemo ad vindicandum severior. Homo naturâ versutus; & usu non tam prudens quàm malitiosus. Et quanto corpore ob turpissimas voluptates fuit imbecilliori, tanto erat animo immanior ac crudelior. Voluit se palam laudari, cunctisque summis Imperatoribus ac regibus, quotquot sunt aut fuerunt usquã gentium, gloriâ anteponi. Matthiam Hungariæ regem solum excipiebat, quem etiam Principis nomine strenui, honorabat: ob id & Deum contempsit, & in cunctos homines, per omnem sævitiam & contumeliam debacchabatur. Hec Cuspinianus: qui & sequentia habet: Repletus omnibus sceleribus, omnia contempsit: nullum esse Deum putavit, Christianam fidem irrisit; Mahometum illum pseudoprophetam, sui similem fuisse dixit: vel se illum tanto inferiorem, quod & Cyreneus fuerit servus, & fur & latro, & à majoribus suis cum inhonestissimo in faciem vulnere, turpiter fugatus ex Perside. Prophetas omnes atque Patriarchas pro nugis habuit. Solum Alexandrum Magnum, potissimum ubi de ejus furore ac libidine scribitur, admirabatur:

cui se similem asseruit. Magnus Mahometus dici à cunctis voluit.

24. De ejus moribus, itidem Camerarius *in narrat. o. bus Turc. c. fol. 61.* scribit. Non putantur pauciores octies centum M. homines, jussio Mahometha interfecti esse. Ex diversis autem locis, in servitutem abstracti, nullo numero indicari possunt. Fortunam in bellis habuit admodùm propitiam. Sed huic ipse nequaquam defuit; munificâ potissimum liberalitate erga viros in exercitu fortes cum fructuum annuorum copiâ, eos & ugencorum dignitate præcipuâ ornando. Non ille curras, histriones, moriones & hujusmodi alios homines, secu habuit, nec in usus futiles effudit pecunias suas; sed in eos potius, qui & in bello virtute suâ, & in pace prudentiâ, operam navarent. Multarum linguarum cognitionem habuit, & in Arabicam (quæ ipsi familiarior esset) translatas historias, cùm alias studiosè legit, tum Alexandri Macedonis & C. Julii Cæsaris, quos & in affectandâ dominatione, autores sibi esse aiebat: cum jam in titulis suis sese faceret Dominum Orientis & Occidentis: quam elati animi ipsius ostentationem, graviter reprehendit, in quadam epistola, qua ad Mahometham, Scanderbega. Quod autem, u. um in homine aliquis possit, tam crudeli atque sævo; in pauperes cujuscunque religionis, perquam liberalis fuit, inque eos singulis diebus septenis, magnam pecuniæ summam distribuendam curavit. Constantinopoli in ruinis ædis sacræ Apostolorum, extruxit Turcicum templum, ipsi Moscheas nominant; adjunctâ domo, in qua ægrotantes commodo suo, & hospitio, & medicinâ ute-

ná uterentur. Prospexitque his una cum templo prolixe, constituendo fructum annuum, ad centum quinquaginta aureorum millia. Fuit in Mahometha ingenium eximium, & excellentius captu gentis suæ. Peritus ipse literarum tam Arabicarum quã Græcarum, usus Magistro Scholario, quopiam Monacho valde docto; qui præsentia suâ auxit Synodum Florentinam. Non fuisse Mahometham infensum Christianæ religioni, ex eo etiam putarunt aliqui conjecturam capi posse; quòd in penetralibus suis, reliquias corporum quasdam sanctorum hominum Christiani nominis, conditas, cum reverentiâ, accensis semper luminibus haberet. Sunt tamen, qui hoc ab ipso factum esse perhibeant, simulatione astutá, ut venderet eas requirentibus carius. De eodem Iovius *lib. de Vitis Imp. Turcar.* Prosperrimâ Fortunæ aurâ usus est, animoque ac ingenio, nec non gloriæ cupiditate, Magno Alexandro persimilis extitit; nihilominus crudelis admodum cùm in bello, tum in Portæ clausurâ fuit: adeo ut juvenculos etiam ac pueros, quos tamen libidinoso prosequebatur amore, vel minimâ de causâ interficeret. Cæterùm liberalem principem egit, præcipuè verò virtute præditos, ac fortes viros, sibique ex animo inservientes, magnis muneribus donavit. Quamplurimi fuere, qui existimarint, non magis hunc Mahomethanæ religioni, quàm aut Christianæ, aut Gentiliu adhæsisse. Educatus quidem à matre Christianâ, Lazari Serviæ Despotæ filia, ab incunabilis fuerat, Angelicamq; salutationem, ac Dominicam precatiunculam, ex eâ didicerat: sed quum adolevisset, Mahomethanam sectam secutus

cutus, talem se exhibuit, ut neque in Christum, neque in Mahometem crediderit: hincque effectum est, ut promissa, nisi quatenùs in suum cõmodum cederent, minimè servaret; atq; in nullo scelere culpam aut peccatum cõstitueret, quo suis satisfacere desideriis valeret. Excellentes in quavis arte viros, summoperè dilexit. Impensissimè curavit, ut victoriæ quibus ipse potitus fuerat, à doctis atque judicio præditis hominibus, conscriberentur: antiquorũ verò historias, continuò legere consueverat. Ioannem Mariam Vicentinum, Mustaphę primogeniti sui servum, maximis excepit blanditiis, quòd victoriam, quam ipse de Vsumcassano Persiæ rege reportarat, Turcico sermone, atque item Italico literis mandasset. Bellium, Venetum pictorem, quem Constantinopolim, cum ut suam ipsius Imperatoris faciem ad vivam effigiem, tum verò ut occidentalium hominum habitus depingeret, Venetiis evocarat, largis muneribus ditavit. Idemque Iovius *Elogiorum lib 3.* Natus erat ex Despoti Serviæ filiâ, quæ puerum, Christianis præceptis & moribus imbuerat: quorũ mox oblitus, adolescendo ita ad Mahometis sacra se contulit, ut neque hos, neque illos ritus teneret, & in arcano prorsus Atheos haberetur; utpotè qui unum tãtùm bonæ Fortunæ numen coleret, quod præclarè conciliari, vividâ efficacique animi virtute prædicabat. Itaque nulli addictus religioni; cunctorum hominum accuratas de diis, tanquam humana nihil curantibus, cogitationes, irridebat; eo animi decreto, ut nullum unquam jus amicitiæ aut fœderis, nisi ex commodo, exceptaque ad proferendum imperium occasione, colen-

colendum atque servandum arbitraretur. Refertque ex Martino Barletio, Reineccius; Mahometem astrorum precipuum observatorem fuisse; ita ut omnia acta agendaque ad eorum cursum instituerit: tum figuram nativitatis eius, insignem felicitatem, & multiplices victorias, designare.

25. Sed & aliquot exempla rarioris crudelitatis addere lubet, & quidem primum ex Cuspiniano. Constituerat Amurathus pater, nefario isti & abominabili Mahumeto filio, ab ineunte usque puerítiâ, tanquam pædonomum quendam, atque morum vitęque magistrum, Chalin, seu Calibassam; virum & ætate, & opinione hominum, inter Barbaros illos gravissimum. Quē etiam moriens eide Mahometo, qui adhuc adolescentem ageret, tutorem esse voluit. Monens identidem filium, flagitiosum & impium, ac jubens; non secus unum Chalin & audiret & observaret, quàm si pater esset. Cōsiderabat enim pater viri prudentiam, amoremque erga se, atque suos omnes; cum repeteret ætates usque septem superiores, quibus majores ipsius Chalis, primarii semper fuerant in Orthomannorum tyrannide, & Turcis omnibus dilectissimi. Sed post devictum illud Orientale emporium Constantinopolim, continuò in Chalim tutorem, quam optimè de se ab infantia usque meritum, debacchari cæpit, quòd Turcorum esset omniū opulentissimus. Sed ut honestiore obtentu id faceret, Chalin confictis dolis insimulat, semper sensisse cum Christianis: cuius persuasionibus factum fuerit, ut pater Amurathus, nunquam sit ausus in tot Græcorum injuriis, Constantino-

 polim

polim bello fortiter urgere, quam nullo quasi labore oppresserit ac diripuerit. Chalis enim prudentissimus, satiùs arbitrabatur Orientale illud imperium, ætate & longâ ægrotatione confectum, suâ interiore tabe paulatim ac sensim dissolvi atque deficere; quàm turbulentâ ac repentinâ aliqua vi, quâ fortè omnium Christianorum principum vires in extremam Turcorum calamitatem coactæ conjurassent, opprimere. Ob hanc ergò causam, Chalin locupletissimum, inopinatò captum, post varios & acerbissimos corporis cruciatus, strangulat. Ingentes enim quas cumulaverat divitiæ, exitii causa fuerunt. Enarrat quoque Chalcocondyles, quomodo hicce Bassa fuerit interfectus, & inter alia scribit. Rex jam antea indicia haud obscura præbuerat, se virum istum odisse. Idem loquebatur fama, quæ plerumque divinatio esse consuevit. Cum quondam vulpes ligata esset in Ianuis, Rex dixisse fertur: O misera, quare non opibus Chatitem nostrum præfectum corrupisti, ut effugeres, verùm adeò miserabiliter hic agis? Fama non nihil & Chatitem perterruit. Profectus est ergò peregrè, ut Mechmetis se pulchrum visceret, sperans fore, ut interim Regis furor frangeretur. Rex autem astu virum circumvenit, haud cessans eum opibus colere. Quondam cum Rex cerneret Chatitem, famâ vulgi perturbatum, pecuniam ei misit multam, dicens: Bono sis animo, nec facilè audias illos, qui nescio quæ horrenda tibi augurãtur. Fac bono animo sis. Chatites in hunc modum deceptus, nuncium ad regem misit, dicens: O Rex, in te situm est, ut & doleamus, & gaudeamus. Si igitur dolere jubes, accessu-

necessitas urget, ut id faciamus, sin autem gaudium imperaveris, gaudio maximè indulgendū est, ac læto nos animo esse oportet. Præcedentibus autem subjungit Cuspinianus. Suffecit ilicò in ejus locum, Mahometum juvenem industriū ac insolentem, natum parentibus Christianis: Triballo patre, & matre Constantinopolitanâ, eademque Agarinâ:. & sibi, usque à puero, ut æqualem ac sodalem. summâ familiaritate conjunctum. Hunc non modò exercitui Occidentali (hoc enim nomine has copias vocant, quæ colliguntur ex Europæ provinciis) ducem præfecerat: sed omnia per eum, quæ maxima & periculosissima erant, gerebat: erat enim versutus, callidus, strenuus, & nullâ in re tardus Permulta quoque quotidiè præclara facinora est adortus, ex quibus tum gloriam non vulgarem est adeptus, tum tyranni dilectionem, quâ se omnia posse quæ vellet, liquidò cognoscere videretur. Quare ut se aliquandò ex infami onere servitutis redimeret (nec enim, quamvis à puero Christum abnegasset, libertate donatus est) excipit Mahometum magnifico, regalique convivio, ubi nil defuit ad explendas omnium voluptatū illecebras. Affert dehinc avarissimo tyranno, precio aureūm numūm quinquaginta millia & ampliùs: verbis usus appositis & submissis; libertatem supplex petens, ut se libero quàm famulo uti malit. Quo audito, ita excandescere cæpit, ut penè à puero sodalem, ac vitæ morumque socium, ducem prætereà insignem, ac victoriis illustrem, humi prostratum, tanquam fugitivum quendam servum, pedibus calcaverit; fusteque ulmeo, ad lassitudinem usque tamdiu

 pul a-

pulsaverit, ut etiam ipse ex humeris atque brachiis laboraret, donec repetitâ sæpius voce clamaret: Gratias ago tibi mi here. Sed & alia adhùc crudelitatis exempla, ex Camerarii narrationibus Turcicis, repetere hîc lubet. Constantinopoli captâ, adducta ad hunc fuerat Græca fœmina, incredibili formæ admirabilis venustate prædita, nomine Irena. Hujus ille captus amore, inter concubinas eam habuit præcipuo loco. Cùm autem in muliere, non modo formæ eximiæ bonitas summa; sed morum quoque elegantia atque suavitas, & cætera inessent, quibus & Amores conciliari, & confirmari, augerique solent, adeò Mahometam illa sibi devinxit, ut hic ipsius consuetudini posthaberet omnium rerum negotiorumque consilia, atque actiones & solius Irenes colloquiis complexibusque vacaret, neque esset de regno sibi relicto, vel tuendo vel amplificando sollicitus. Quiescere igitur arma, & opera bellorum omnia cessare, & esse ocium in regno Turcico: dante voluptatibus & vitæ jucundæ operam Mahometha. Hoc duces copiarum & principes aulæ, qui Bacchæ sive Bassæ vocantur, ægrè ferre: & metuere, ne desidia illa, ad detrimentum, vel etiam ruinam Turcicæ potentiæ evaderet. Sed cum non ignorarent, quanta & quàm immanis esset iracundia Mahomethæ, nemo ausus diu sanè fuit aliquid verborum contra voluntatem ipsius, ea de re facere. Tandem unus, cum eo ab annis primis ineuntis ætatis educatus, vitam suam non dubitavit manifesto periculo exponere, & fretus longi temporis usu, compellavit Mahometham: & longâ oratione demonstravit, perniciosam ipsi

& totî

& toti regno rationem vitæ eã esse quam sequeretur, in deliciis & luxuria domi ociosus desidens. Quod si omninò abesse ab amoribus suis non posset, licere ut exercitu educto, comitem haberet amicam suam; neque unum hoc postulari, ut non obsequeretur animo suo, & repentè cupiditates omnes coerceret: hæc cum ille verbosè disseruisset, Mahumetha audito eo patienter, neque signum ullum dedit offensi animi; & se, quo facto opus esset consideraturum esse dixit. Post dies paucos, principes Aulæ universos, cum ductoribus præcipuis copiarum convocari jussit; & ad eos processit adducens Irenam, & ornatu pretioso, & exquisito cultu spectandam. Quam qui convenerant intuentes, ità affici, ut facilè ignoscerent Imperatoris erga ipsam affectioni. Ibi fertur Mahometha, cùm propter se assidentem manu Irenem deprehendisset, interrogasse præsentes: An perperam facere sese arbitrarentur, qui talem fœminam singulari amore complecteretur? Cùm nemo hoc facto ipsum peccare, ac cõtrà omnes dicerent; fructum amoris istius percipientem, illum nequaquam delinquere: mihi, inquit Mahometha, ut regni negotia, & nostrorum omnium dignitatem, & meã quoque existimationem curæ inprimis esse perspiciatis, & studium amplificandi nomen Othomannicũ, in me nequaquam refrixisse. Id quod mihi charissimum est in hoc orbe terrarum, unà cum animi mei inclinatione & sententiâ, quoniam obstare & impedimentum moramque inferre fortunæ publicæ privatæque prosperitati videtur; meâ sponte alienaturus, & bis quasi vinculis conatus virtutis nostræ sum liberatu-

rus. Et, his dictis, novaculâ, quam secum attulerat, subito collum Irenes incidit, ut statim ante pedes ipsius, cum omni præsentium stupore, qui quasi attoniti astabant, mortua illa concideret. Ac quæ de pulchrâ illâ Græcâ referuntur, inserta etiam sunt Historiis Tragicis, à Francisco de Belle for est, Gallicè conscriptis *tom. 1 histor. 2.* Et insuper Camerarius, *ibid.* scribit. Imperatorum Turcicorum studium & cura est, ut cultos & variis fructibus consitos hortos habeant. Vidit Mahometha in uno aliquando, specie & magnitudine egregium cucumerem, sed nondum maturum. Vetuit igitur eum tolli, quod incrementum ipsius videre vellet. Fortè unus ex pueris aulicis, mandati vel ignorans vel oblitus, cucumerem præcidit, & comedit. Non diu pòst, in hortum venit Mahometa, & requirens cucumerem, cùm non reperiretur ille, quis abstulisset interrogat. Sed cum negarent, à se esse factum universi, se esse rem dixit facilè comperturum; & pueros jussit corripi, & ventres eorum incidi, itaque in decimoquarto, cucumeris particulæ sunt inventæ.

26. Leunclavius porrò, *Pand. 7. cap. 143.* refert Achmetem bassam, cognomento Bidicem, habuisse feminam, formâ præstantem, cujus amore captus fuerit Mustaphas Muchemetis filius. Indè factum, ut illa quodam tempore balneū (pro more Turcico) ingressa, Mustaphas eòdem se conferret, & nudam (ut erat) nulla pudoris habitâ ratione, violaret. Indignum hoc facinus quum Achmetes ad Sultanū Muchemetem deferret, laceratisque vestibus ac tulipanto, detam gravi quereretur injuriâ, vindictam celeris exposcens:

poscens: respondisse Muchemetem, cur iis querelis uteretur? an nesciret, Sultani se mancipiũ esse? Si maximè filius, inquit, meus Mustaphas, in uxoris tuæ complexus venit, an non meo cum mancipio rem habuit? Nihilò tamen minùs, patre de tali patrato facinore, filium secretò, quàm acerrimè increpasse; jussisseque, suo ut è conspectu ilicò discederet. Et quia deesse non soleret officio, in observatione juris & æqui, siquidẽ ita libitum ei fuisset; misisse post triduũ quemdam è suis, qui Mustaphæ nervo injecto, fauces jussu patris eliserit. Hæc Spanduginus, quæ sanè si vera sunt, ut pluribus ex caussis esse videntur; memorabile nobis exemplũ paterni rigoris erga filium, ceteroqui præstantem virum, in ea gente præbent: cujus Sultani, suos in subditos, velut in vilissima mancipia, ne maximâ quidem dignitate viris exceptis, quidvis sibi licere putant. Magni nominis vir fuit Achmetes referente Leunclavio, *Pandect. cap 147.* bassa, tam apud Sultanum Muchemetem II. patrem, quam apud Bajasitem filium, (Mahometi successorem) hicce. Eratque Albanensis origine, vel Epirota. Sigismundi Malatestæ secretarius scripsit, cum fuisse virtute militari parem antiquis ducibus: adeò quidem, ut sola nominis sui famâ, quocumq; se conferret, omnibus formidinem ac trepidationẽ iniiceret. Quàm verò à tenui fortunâ, maximam ad dignitatem subitò pervenerit, Spanduginus his propemodum verbis exposuit. Erat, inquit, Sultano Muchemeti satelles, (Solacos Turci vocant) qui Bidic Acmat, (alii Gendic) ex eo nominabatur, quòd in oris anticâ dentium serie, dentem unum amisisset. Hîc, quùm aliquandò

cum principe suo colloqueretur, ut fieri nonnunquam solet, adferebat inter alia: non posse principem reverà se magnum prædicare, si non ex parvo magnum, & vicissim ex magno parvum facere posset. Hæc eius verba tantùm in animo Muchemetis habuerunt efficaciæ, ut Achmetes hactenùs satelles, ab ipso supremum ad primarij bassæ gradum, proveheretur. Sed exitum huius Bassæ, licet is acciderit post Mahometis mortem, ejusque filio Bajasite imperante, hic subjungam: ex Leunclavio, *Pandect. cap. 156.* Qui à conditione humillimâ, subitò supremam ad dignitatem & opes emerserat, & imperatoriis tamen artibus præstans, magnas pro Sultanis suis, Muchemete Bajasiteque, res gesserat, insigni suâ cum gloriâ: quàm indignâ tandem morte, vitam hanc clauserit, annales Turcici, paucis commemorant. Causas tamen nullas adiiciunt, cur ita subitò peremtus fuerit, jussu Bajasitis, ut Geufræus; ipsius manu Baiasitis, ut Malatestæ secretarius scripsit. Et quidem Geufræus ait, testatum fuisse Bajasitem, nimiam servi magnitudinem ac virtutem, domino formidinem incutere. Malatestæ verò secretarius, hujusmodi quædam paulò prodidit explicatius, quæ commutatis verbis ipsius Italicis cū Latinis, heic inseremus. Erant, inquit, pertinaces animi Genizarorum, quos sanè nonnunquam dicere non est veritum, quandò Baiasite domino parum propitio uterentur, arcessituros se Sultanum Zemem qui eis imperaret. Quinetiam armati aliquandò, magnâ cùm rabie ad ipsas Sultanini palatii portas, adcurrerunt. Tum verò Baiasites, lenibus eos verbis mitigare, cunctisque postulatis ipsorum, sa-

nè

nè quàm indulgenter adnuere. Sopitis autem furentium iris, auctores seditionis è medio sustulit. Et quia sæpenumerò Genizari, ad Achmetis Chendicis veziris bassæ domum itabant: Baiasites Hadrianopoli tandem, quâ in urbe tunc agebat, ad convivium Vezires suos omnes invitavit: ibique Achmetem bassam manu propriá confecit. Hæc ille, quibus Arateum hoc epiphonema rectissime quis adjecerit: eiusmodi scilicet amoris ac benevolentię tyrannorum esse præmia.

27. Mahometes tandem qui annum vigesimum primum agens, Imperator salutatus, præfuit imperio annis XXXII: quos tamen non omnino explevit. Aetatis vero annum LIII, quum mortuus est, agebat:

Summarium, rerum à Mahomete II. gestarum, ejusq; cognomina. 1.
Fratricidia Mahometi. 2.
Cum Græcis fœdus sancit; quos mox funditùs perdit. 2.
Athenas subjugat Mahometes. 3.
Constantinopolim capit. 4. 5. 6.
Prodigia, quæ eam cladem antecesserant. 4.
Turcæ non incipiunt bellum, nisi sufficientem secum ferant annonam. 5.
Vrbs spatiosa, ægrè defendi potest. 5.
Obsidionis, & occupationis Vrbis Constantinopolitana, prolixior relatio. 6.
Leo Imp. cognomine sapiens, finem Imperii Constantinopolitani pravidit. 7.
Statua Magica, quibus serpentes pulsa, & pestis Constantinopoli impedita fuit. 8.
An ob occupatam Constantinopolin, Turci sibi asserere possint jus Monarchiæ? 9.
Occupatio Trapezuntini Imperii. 10.
Turcorum clementiæ, fideique nunquam fidendum. 11. 12.

Duæ

Mores

Mores Mahometi 2. ejusque atheismus. 23. 24.
Insignia crudelitatis exempla, a Mahomete 2. statuta. 25.
Tutius esse efficere ut Imperium vicinum, lentâ tabe conficiatur: quàm illud apertâ vi opprimere. 25.
Blanditiis suspicacium Principum, non fidendum. 25.
Mahometes filium alienæ uxoris violatorem occidi curat. 26.
Aulicæ fortunæ inconstantis exemplum. 26.
Mahometi ætas. 27.

XI. *Bajazeth* II.

A. C. 1481.

XI. Mortuo Mahumetho, filius ejusdem Baiazeth II. Anno 1481. imperare occepit. Huicque Zizimus frater, de Imperio bella infeliciter movit: nam ter victus, ad Rhodienses, & deindè ad Pontificem Romanum confugit. Baiazethes autem, cladem Ægyptiacam ad Tharsum Ciliciæ passus, in Europam regressus, Pannonios & Venetos armis suis magnoperè afflixit. Sed in Perside Ismaël Sophus, hæresin in Religione, vel potiùs impietate Mahometanâ, defendens; manu robustissimâ collectâ, Turcicæ victoriæ cursus, novis victoriis inhibuit. Tandem multas domi calamitates passus, Bajazethes à filiis dissidentibus, & de Imperio obtinendo fraudibus, & vi digladiantibus, oppugnatus; à Selymo veneno necatus fuit.

2. Ma-

2. Mahometi mortuo, duo filij super fuêre, Baiazetes acZizimus; quorum alter inCappadociâ, alter verò in Caramaniâ agebat. Cæterùm defuncto Mahomete, Mehemedes Bassa, genere Caramanus, qui Visir, id est, Imperatori à consilijs erat; cadaver statim curru Cōstantinopolim vehendum curavit. Indè Zizimo atque Alcairi Sulthano, per citissimum nuncium hac de re admonitis, ipsumZizimum ptincipem constituere peroptabat. Intereà Ianizari, litus maris accesserant, ut Constantinopolim peterent. Sed Mahemedes indè naves omnes amoverat, ne exercitus trajicere valeret. Quo comperto, Ianizari maximo furore succēsi, lembis quibusdam paulatim, ac per partes transire cœperunt. Mox qui transierant, maioribus in eo litore acceptis navibus, alios omnes trāsvexêre. Sed quùm Mahemedes, & ipse ob id furore percitus, eos ut insolentes ac parùm obsequentes vehementer increparet, in unum collecti, hunc ipsum ædibus, in quas se receperat, expugnatis, interfecerunt; nam & ab omnibus, tanquam novorum vectigalium inventor, odio habebatur. Post hæc Ianizari, Baiazetem absentem Imperatorem creant, & id quidem auxilio ac favore Chersecoli Bassæ, Græciæ Bellerbeij, & Agæ Ianizarorum, qui Baiazetis generi erant. Sed enim Isaacus & Dauthus, ambo Bassæ ac Visires, summæque authoritatis viri, Constantinopoli tunc temporis agentes, ut tumultus sedare, ac meliùs omnia disponere valerent, Corcuthum Baiazetis filium, annos XIII natum, Imperatorem salutarunt; quousque pater Constantinopolim reverteretur. Iam enim & id ferebatur, Zizimum maximo cum exercitu adven-

?ventare, ut seipsum Imperatorem constitue-
et. Neque ita multò pòst Baiazetes affuit,adeo-
que puerum sollicitavit, ut tandem patri filius
imperium renunciarit: Baiazete post imperato-
riam dignitatem acceptam, pollicente, impe-
riũ se puero tempore opportuno restituturum.
Intereà Zizimus Bursiam pervenerat, atque ipsâ
civitate potitus, summis bellorum conatibus,
totam Natoliam sibi subjicere quærebat. Quam
ob causam, Baiazetes exercitum per Hellespon-
tum traiecit,atqueAcomathe cum iis militibus,
qui Hydruntinis suppetias tulisse debuerant,re-
vocato,propè Niceam cum fratre conflixit: quo
in loco Zizimus,virtute ipsiusAcomathis fusus,
& in Caramaniam usque fugatus est. Sed quùm
ne illic quidem, ob insequentem hostem tutus
esset, in Syriam profectus, Alcairum, Sulthano
seipsum commendaturus, tandem venit. Vnde
& factum est, ut paulò pòst ipsius Sulthani, ac
regis Caramaniæ adiutus auxiliis, qui & milites
& pecunias subministravit, in Asiam reversus
sit. Baiazethes autem, Acomathem contra eum
misit:quo cum Zizimus iterùm pugnans,quam-
plurimis è suis amissis, superatus est. Quamob-
rem fuga rebus suis consulere coactus,adRhodij
maris litora pervenit, ibique spe omni destitu-
tus, Magno Rhodij Magistro seipsum tradidit;à
quo posteà ad Innocentium IIII. Pont. Roma-
num missus est.Is est Zizinus,qui àCarolo Fran-
corum rege,eius nominis octavo,ex urbeRomâ,
Neapolim versus deductus, in itinere obiit Ter-
racinæ, veneno, (ut creditum est) ab Alexandro
Papa interfectus.Huius cadaver posteàFedericus
rex,Constantinopolim misit, ut eâ liberalitate,

quæ

que nihil ipsi constabat, Turcici principis benevolentiam contraheret. Hæc Iovius *in vitis Turcarum de Baiazete. II.* idemque Iovius, *historiarum lib. 2.* nonnulla de Zizimo habet, & inter alia scribit: Carolum octavum Galliæ regem Alexandro Pontifici pacem concedenti, inter alia præscripsisse, ut traderet Gemem, Baiazeti Othomanni fratrem. Is tum in Vaticano in libera custodia servabatur, quòd eum Galli trāsmarino in bello, sibi magno usui futurum existimarent. Hunc, vulgò scriptores Zizimum imperitè vocarunt, quùm Gemes, de nomine Parthorum inclyti regis appellaretur. Erat autem Gemes aspectu planè regio & gravi, ingenioque Arabicis literis vehementer exculto, promptoque ad ferenda salsæ urbanitatis dicteria; ubique demùm corporis, & magnitudine animi suâ stirpe minimè indignus. Is paucis antè annis mortuo in Asia patre Mahomete, quanquam ætatis prærogativa superabatur, fretus tamen populorum ac militum benevolentiâ, Ciliciæque regulorum opibus; armis de Imperio cum Baiazete fratre contenderat, victusque in Prusiacis campis, & aliquantò pòst in Lycaoniâ, ad Iconium amisso exercitu, Rhodum profugerat: ratus non defuturos sibi ad repetendam Asiam Christianos, quos propter antiqua odia, recentesq; injurias, & Asiæ incommodis, & Baiazetis periculo magnoperè lætaturos existimabat. Sed alios, quàm putarat Christianorum animos invenit. A Bussonio namque, Rhodiorum equitum magistro carcere inclusus; & aliquantò pòst, uti tutiùs atque humaniùs servaretur, in Provinciam, Galliæ finitimam est transmissus. Nec multùm indè In-

nocentius pontifex, cum Buffonio transegit, ut è Provincia Romam adveheretur. Quâ re impetrata, non multò pòst ipse Buffonius, quem Rhodus egregiè defensa, omni honore dignum effecerat, & hoc quoque merito in collegium Cardinalium receptus est. Fuitque Romæ Gemes, magnum vectigal ipsis pontificib. per aliquod tempus: quùm Baiazetes alendo fratri, quotannis quadraginta milia aureorum nummûm pontifici numeraret. Ingruentibus autem in Italiam Gallis; Alexander, inito iam cum Aragoniis fœdere, Georgium Bucciardum natione Ligurem, Turcicæ peritum linguæ, ad Baiazetem misit; qui doceret, quantò apparatu, quantisque classibus rex juvenis, gloriæ & proferendi imperij cupidus, Neapolitanum regnum invaderet quantisque demùm opibus, confecto statim Italico bello, in Græciam esset traiecturus: propterea cum enixè petere, ut Gemes sibi traderetur, cuius auspiciis, propter magnas paterno suo regno necessitudines, cuncta sibi faciliora eo bello futura consideret. Cæterùm pontificem, qui Gallos, gentem admodùm superbam, imperique avidam suspectam haberet; atque urbis Romæ totiusque Italiæ periculo plurimùm angeretur, cum Alfonso fœdus percussisse; paratosque esse communi consilio, eius gentis impetus terra marique sustinere: quandò neque milite, neque classibus egeret, modò alicundè pecuniâ juvarentur. Vnâ autem eâ ratione Baiazetem, si quota suâ parte aurum in stipendia suppeditaret, Græciæ rebus opportunè consulturum: siquidem urbem Romam, Neapolitanumque regnum Othomannici imperij fore munimenta, si

aliena

aliena in terra bellum aleret, neque eo sumptu deterreretur. Multò enim commodius atque faciliùs auro arceri hostes, quàm ferro ac viribus in ipso belli discrimine sustineri: quod ex rerum vsu plerumque accideret, ut qui pecuniæ parcendo, remota pericula negligere comtemnereque solerent; incumbentibus, demùm malis, desperato sæpè remedio, graviora detrimenta sentire consuevissent. Baiazetes qui cuncta hæc, cùm à speculatoribus tum multis etiam Alfonsi literis atque legationibus, vera esse didicerat; Georgio gratias egit, quòd se externum, & diversas de diis atque religione sentientem, Alexander qui sacri imperij, fastigium teneret, adeò benignè amiceque de maximis rebus tempestivè monuisset. Cæterùm suasit, ut cum Dautio legato suo, qui & pecuniam & secretiora de hisce rebus mandata deferret, in Italiam reverteretur. In his mandatis erat epistola Græcè conscripta, quâ rex Barbarus, multâ arte pontifici suadebat, ut Gemem fratrem, tanquam alienæ religionis hominem, veneno tollendum curaret: quem unum de imperio follicitus, ob ingentes viri virtutes, si quâ sorte custodiâ evaderet, maximè formidabat. Id si præstaret pontifex, ducenta millia aureorum nummûm, integrâ fide se persoluturum promittebat; Christique inconsutilem tunicam, sicuti paucis antè annis Longinianæ lanceæ cuspidem transmisisset, dono daturum; neque unquam dum vita maneret, moturum ultrò arma adversus Christianos: secus ac Mahometes pater, & Avus Amurathes, qui infestissimi Christiano nomini, continenter bella gerendo, nunquam ab inferendâ inju-

Iniuriâ cessavissent. Nec multò pòst, &, ipse Gemes, ad Caietam moritur. Eratque constans fama, Alexandrum, ut barbarus princeps inimici regis gloriæ atque spectaculo subtraheretur, ipseque obiter propositâ à Baiazete premia promereret; lethiferum pulverem saccaris, quibus Turca poculis omnibus uteretur, miscuisse. Is erat pulvis ad fallendum candore mirabili, nec iniucundo admodum sapore; qui non acriore vi protinus, sicuti præsentanea venena, spiritus vitales opprimeret; sed sensim venis illabendo, exitiabili tarditate grassaretur. Quo posteà Alexander, opulentos aliquot senatores, & postremò seipsum, incautè mutatâ lagenâ sustulisse ferebatur. Hactenus Iovius, similia ferè Ludov. Tubero habet, *com. d. remp. suo. lib. 6* qui & inter alia scribit. Mechmetes, cum circiter duobus, & triginta annis regnasset, dum adversus Syriæ & Aegypti regem proficiscitur, in confinibus Mysiæ & Bithyniæ, non procul ab Olympo monte, vitâ excessit. Sunt tamen qui asserant, operâ Baiazethis filii, qui patri in regnum successit, veneno sublatum esse: non, quod id quisque pro comperto habeat, sed (ut opinor) ab odio, quo pater filium, propter ejus ignaviam prosecutus est, ducitur coniectura. Satis enim cõstat, Mechmetem de necando Baiazethe cogitasse, quo Gemus regni hæreditatem acciperet. Hunc enim pater, propter animi magnitudinem, & unicè amabat, & magni faciebat; egregiumque regem eum fore, & qui Othomannorum nomen esset summoperè illustraturus, putabat. Cuspinianus *in vita Bajazeth II & hæc habet:* Literis ac nuntiis ultrò citroque missis, & acceptis, studium pacis

Zyzy-

Zyzymo fra[illegible] præferebat: ducenta millia nummum auri, & supellectilem regiam, si regni fines excedat, in fœdus pollicetur. Clam autem dolos prætendit, ut vivus in potestatem suam veniret. Ob id ut fratris versutiam fugeret, Rhodiis sese primùm per literas, tum per Oratores committit: ac paulò pòst onerariâ nave, Rhodum delatus, perbenigneque à magistro militum, & regio apparatu est exceptus, anno nostræ salutis 82. post 1400. cùm id priùs epistolâ quadam, Baiazetho, sagittæ alligatâ, ac violenter arcu in exercitum excussâ, significârit. Quâ perlectâ, ita in lachrymas est resolutus, ut amenti similis, tacitus in tabernaculo diù sederet, ægerrimè ferens, fratrem ad Christianos defecisse, ob quorum ignominiam pater eorum interiisset. Cæterùm par est, ut de moribus Barbari principis, & de corporis dispositione, adhúc aliquid depromamus. Fuit tum, cùm apud Rhodios esset acceptus rex Zyzymus, annorum octo & viginti, corpore procero, valetudine prosperâ, facie ferocitatem præ se ferente: oculis glaucis ac subobliquis, supercilio denso, aquilo colore, à nasi radice ferè utroque cohærente. Sinistrum in frontem elevabatur, dextrum ad oculum vergebat. Nasus aquilinus, os parvum, labia crassa, mentum exile, barba rara, non promissa; sed ad cutem fôrcipe tonsa. Cervix obesa, corpus pingue: vorare enim verius, quam mandere solebat. Brachia, crura, tibiæ ac pedes, pro portione compacti. Non tamen pinguedine impediebatur, quò minus saliendo, equitando, venando ac sagittando, habilis foret. Si quid concepisset indignationis, oculorũ motus, & vox acuta, caprino simi-

similis clamori, indicabant. Sed præsentibus viris prudentibus, faciem temperavit: simulator & dissimulator promptus. Cùm quietus erat, loquebatur modeste, & temperatè: nec a principis dignitate, quanquam profugus esset & extorris, cessit. Voracissimi stomachi fuit, avideq; cibum sumebat, bibebat avidiùs citra principis dignitatem. Vinum aromatibus conditum diligebat, & aquam saccaro infusam patrio ritu, potabat. Assa & elixa fastidiebat, & vinum austerum: quoniam aquam cum saccaro in usu habuit quotidiano. Vtebatur assiduè balneis, thermisque, aquaque gelidâ crebrò perfundebatur. Natabat libenter cunctis astantibus in pelago. Observantissimus legis Mahometeæ. Vbicunque habitavit, ædium cellulas omnes lustravit, ac undique decubuit: nonnunquam etiam subdivo, etsi paratum haberet cubiculum. Subtristis & cogitabundus semper videbatur, nec ullum lætitiæ signum dabat. Turcorum linguâ peritissimus; qui à cunis literis incubuit, ut etiam gesta scribere doctus esset. Res namque genitoris magnificè gestas, literis mandavit, gentilium literarum non ignarus. Reliquit autem apud Carras matrē inclytâ regum Serviæ familiâ natam, duosque liberos tenellę ætatis, masculum ac fæmellam. Baiazethus intereà frater, cùm iam principatus gubernacula teneret, audiens fratrem quem regno spoliaverat, ac bello persecutus erat, ad Rhodios confugisse; ut confugij spem auferat. Rhodiorum generositate allectus, pacem inire cum ijs molitur. Missis oratoribus, cum induciæ semestres, suasu præsidis Lyciæ sancitæ essent, in his Achmatus Bassa, Imperatoris

consiliarius, qui Hydruntum expugnavit, tam diù literis Rhodi Magistrum ad pacem hortatus est; donec Rhodiorum legati, cum Turco fœdus haud ignobile, priusque inauditum, percusserunt. Quod quia perpetuâ memoriâ dignum est, posteris quoque volui manefestare. Baiazethus enim Turcorum Imp. iureiurando pro more Mahumeteæ religionis adactus, sic fatur:

Miles gladium ne stringito.
Clades inferre caveto.
Nec continēti, nec pelago armis locum dato.
Classem offensam salutato.
Negociator tutò mercimonia exerceto.
Commeatus sumito.
Servum profugum, si in lege versatur, restituito.
Si extra legem est, XX. nummum auri exolvito.
Arx sancti Petri, perfugis patens esto.
Superstite Baiazetho principe pacem servato.

Hâc formâ pace stabilitâ, per Oratorem Baiazethus Turcorum rex, Magistrum Rhodi precatur, ut Zyzymum fratrem, quo fomes bellorum penitùs tollatur, sub alis suis foveat, ac protegat; pro annuoque sumptu pollicetur 450000. nummum auri quos Calend. Augusti, quotannis Rhodi exolvere, bonâ fide promittit. Quas conditiones Magister Rhodi, ut tempori cederet, ne dissidij materia peior oriretur, assumpsit. Missus est itaq; Zyzymus, quò tutior esset, in Gallias, ad Christianissimum Francorū regem; licet veteri constitutione Iudæi, alienique à fide catholicâ, regno excluderentur. Cæterū ut Baiazethus, gratiam Magistri Rhodi, maioremq; amicitiā affe-
que-

quereretur, dextram Ioannis præcursoris, dono misit. Et cum anno sequenti, octuagesimo scilicet quarto, post 1400 in Maio, ingentem pararet classem, numerosumque exercitum, in Italiam per Hellespontum mittendum, suadente Magistro Rhodi, ac minitante, si aliter faceret, fratrem contra ipsum emissurum, exercitum dissolvit, iuramento adhibito. Dehinc est Zyzymus Romam perductus, anno octavo & octogesimo supra millesimum quadringentesimum: & Innocentio VIII. summo pontifice, qui Sixto successit, datus: arte & solertiâ Leonelli Concordiensis antistitis, Legati apostolici. Nam Baiazethes, per legatos preter cetera, sacratissimum Christi sepulchrum, cum Hyerosolymis, & omni terra quæ sancta dicitur, Christiano nomine se daturum pro Zyzymo pollicebatur; & lanceam Christi pariter. Rex Hungariæ Matthias, & hunc impense petebat, qui Zyzymo sibi dedito, indubitatam de Turcis victoriam pollicebatur. Vicit tamen facundia antistitis, ut Pontifici traderetur: sub custodia tamen militum Rhodiorum est detentus. Sub Alexandro verò Sexto, cum Carolus Francorum rex urbem cepisset, ei obses datus, cum duce Valentino filio Pontificis; mortuus est veneno, Alexandro pont. haud ignorãte. Qui cùm infenso esset in Gallos animo, omnia priùs maluit, quàm res Caroli per eum fieri meliores. Carolus enim ea conditione, pacem cum Alexandro sanxit, anno salutis millesimo quadringentesimo quinto & nonagesimo, Idib. Ianuarijs, ut Zyzymum Baiazethi regis fratrem, sibi traderet; qui in Vaticano custodiebatur: quem ut veneno tolleret, ab initio Gallici

 tumu-

tumultus, per literas cum Alexandro egerat. Rex Barbarus magnum auri pondus, si eam sibi operam navasset, pollicitus est: nec solum Zyzymus datus est regi, sed in fœdere etiam positum; ut Valentinus quatuor menses regia castra sequeretur, ut omnia pontificis loca Gallis amice paterēt. Leunclavius quoque, Histor. Musulmanæ lib. 16. de Baiasite, ex annalibus Turcicis scribit: Vt ab omni metu fraterni belli, & insidiarum se liberaret, misit in Italiam Mustapham begum, Capitzilarorum bassam, sivè ianitorum principem, qui sub prætextu perferendi expensas annuas, à Baiasite pro Zeme Sultano promissas. eum veneno tolleret: uti sanè feliciter conatus hic, operâ Mustaphæ Baiasiti cessit. Proditum tamen est, etiam hac in re, principis Itali (Papam intelligunt hoc nomine Turci, quem & Franc-begum, & Rum begum; velut Italum Romæque dominum adpellare solent) consensum intervenisse. Et addunt Turcici Annales: Idem princeps Italus, etiam cadaveris avehendi potestatem fecit, quod Mustapha begus secum abstulit, & Burusam deportatum, ibidem pro more, monumentis avitis intulit. Censet autem Cuspinianus; quod si potestati Matthiæ traditus fuisset Zyzymus, ex totâ Europâ, omnem Turcorum familiam facile potuisse ejici, & ultra mare repelli. item Leunclav. *Pandect. c. 154. & seq.* inter alia inquit. Zemen Sultani Alcairensis fidei uxorem cum filio commendasse. De hoc eius filio, quid factum fuerit, paucis Spanduginus exposuit. Quippè narrat, eū, quùm in Rhodum insulam pervenisset, amplexum religionē Christianam, & baptisatum. Ibidem, susceptis

ex con-

ex conjuge quatuor liberis, duobus masculis, totidemque femellis, velut in latebris vixisse: donec Rhodo captâ, percunctanti de eo sollicite, Soleimani proditus; quùm religionem Christianam deserturum se constanter negasset, duobus cum filiis occideretur: jubente Soleimanæ, ut filiæ Constantinopolim aveherentur. Fertur Leonem X. P. M. in animo habuisse, Zizimi filium, cum Christiani nominis copiis, adversus Turcos ablegare in Vngariam; & creditum fuit, multos ad eum transituros fuisse. Verùm hoc consilium, morte Leonis in nervum erupit. *Reinecc. in append. Hayton.*

3. A. C. 1492. BAIAZethes reliquias Epiri subegit, CeraunioruMque montium ferocissimos incolas. Sequenti anno, à Cadumo Purpurato Vngarorum 7000. trucidata: abscissique nasi illorum, ut rei fides exstaret, Constantinopolim sunt missi. A. C. 1497. (vel ut alii A. C. 1499.) Naupactus Achaiæ civitas, nunc Lepantus, Venetis subjecta, in Turcæ potestatem venit. Nocuit tùm Christianorum TIMIDITAS, & IMPRVDENS DIFFIDENTIA. Arbitrati enim, se superatos classe hostili, suâmet sibi sententiâ spem omnem auxiliorum præciderunt. Eodem quoque Anno, Corona urbs Peloponnesiaca, Turcæ se sponte dedidit. Et Anno sequenti, Methone urbs Peloponnesi, Venetæ ditionis, à Baiazethe II. expugnata est. Andreas Sacrus Episcopus in tyranni conspectu, cum nobilibus oppidanis decollatus. Idque factum, INCVRIA defendentium; cùm mœniorum pars munitissima nudata esset: urbs capta, & incensa fuit. Amiserunt Veneti eodem Anno, Dyrrachium,

chium, quod inopinantibus omnibus Turcæ occuparunt: Forumque Iulii, vehementer vastarunt. *Dornavius.* De Methonis autem occupatione, ita Iovius Historiarum lib. 8. Bajazethes Anno seculari, cum centum quinquaginta armatorum milibus, ab Isthmo Peloponnesum ingressus, trinis castris ad Metonem positis, turrim portæ imminentem, majoribus tormentis est demolitus, murumque tribus in locis aperuit. Sed post varia certamina, utrinque acerrimè dupugnata, Ianizari pedites, à sanctæ Mauræ porta, in urbem perruperunt; quùm fortè miserabili casu, Metonenses conspectis quinque triremibus Venetis, quæ arma, milites, & commeatum obsessis afferebant, ut appulsos exciperent, ad mare desertis, stationibus descendissent. Itaque Barbari potiti lato aditu, editaque magnâ cæde, Græcos simul & Venetos milites obtruncant; cohortemque dudum expositam, & à portu intrantem concidunt. In eâ strage Antonius Fabrius, & Bardella, præsidii præfecti trucidantur; Andreæq; Falconi Metonensium Episcopo, qui in sacrâ veste hortabundus prodierat, mitratum caput barbari gladio detruncant: neq; cuiquam armato vel inermi, Turca miles pepercit, nisi quem aut ætas, aut decora forma conservavit. Captivi longis nexi restibus, supra mille perducti ad prætorium, in conspectu Imperatoris trucidati sunt. Custodiæ tamen injectis cathenis traduntur Gabriel prætor, & Balastrus quæstor, cum Aurelio scribâ: atque item Sebastianus è monte Silice, qui veteri præsidio præfuerat. Indè Bajazethes Coroneos, Metonensium casu perterritos in deditionē accepit. Crisseum quoque,

que, à Cherſeoglebaſſa, Bajazetis genero, tormentis eſt expugnatū. Tentavit & fruſtrà Nauplium Helibaſſa: & Pylus, olim Neſtoris ſedes, hodiè Navarrinum, Iunco portui impoſitum, metu exterrito arcis cuſtode, Barbaris eſt deditus. Quibus rebus geſtis, Baiazetes terrà & mari planè victor quòd Veneta claſſis nusquam congredi auſa, certamen detrectaſſet, Bizantium eſt reverſus. Nec multò pòſt, à Conſalvo, cui propter ſingularem virrutem, conſenſus militū Magni cognomen dedit, conjuncto ſibi Piſauro Venetæ claſſis præfecto, Cephalænia, poſt longos difficilesque labores expugnata eſt; quùm Turcæ fermè omnes in veſtigio ſtationis cum Gisdare præfecto, non inulti cecidiſſent. Piſaurus quoque, quùm multa Turcis detrimenta, agilitate triremium ſuarum intuliſſet, S. Mauræ oppidum, ad Leucadem, Neritho in inſulâ fortiter expugnavit, Turcarū equitibus per vada reciprocantis Euripi, ab Aetolico littore, obſeſſis opem ferre fruſtrà conantibus. Sed nequaquam pari fortunâ, Gallica claſſis, quæ ſubſidio miſſa, in Græciam pervenerat, mari rem geſſit. Nam Ravaſtenius præfectus, ad Lesbum inſulā delatus, Mitylenasque tormentis oppugnare adortus Turcâ ſe impigrè defendente, ita incepto abſceſſit; ut ſæviente tempeſtate, claſſis ejus diſſiecta ſit, ipſeque pòſt multa pericula, ac naufragia, ad Tarentum evaſerit. Et quoque ſequentia ex Leunclavii *Pan dect. cap. 157. & ſeqq.* addere placet. Erat hoc tēpore; nimirū An. C. 1498. Naupactus in poteſtate Venetorū, à 20. plus minus, annis: qui miſſo ad Baiaſitem Andreâ Zantano, legato ſuo, pacē in annos 25. cū eo fecerant; cuius tabulas Baiaſites, ſcripturâ manus ſuæ, pro more cō-

firmarat. Nihilominùs vix adpellere Venetias legatus potuit, quùm datam Venetis fidē, Baiasites violat. Quippè sibi lege suâ Mahumetanâ permitti volūt Agareni & Osmanidæ, ut in rebus ad imperium spectantibus, ex usu suo fidem datam flocci faciant; nec ullam promissorum Christianis factorum rationem habeant. Bellum igitur in eos molitur, & prætextus causâ, cupidè occasiunculam arripit, quòd Veneti protegendum suscepissent Comitem Ioannem Cernovichium, (quem alij Georgium vocant) vicinæ Cataro ditionis regulum; cui pleraque Baiasites ademerat. Sed alia reapse suberat causa, quæ penè certam ei spem faciebat ejiciendi Venetos è Moreâ, sive Peloponneso, in quâ multas sanè magnas & munitas urbes arcesq; possidebāt. Etenim Galliæ rex Ludovicus XII. Ludovicum Sphortiam, cognomento Maurum, à nigredine vultus, Ducatu Mediolanensi spoliaturus, quem sui juris adserebat; fœdus contra Sphortiam cum republica Veneta percusserat. Eâ Gallorum cum Venetis conjunctione, territus Sphortia, legatum ad Baiasitem mittit, qui tum muneribus ei, tum variis rationibus persuaderet; ut bellum Venetis inferret. Quippè futurum aiebat, ut occupatis Italico bello Venetis, ipse nullo negotio Græcis urbibus, & castris, & insulis eos exueret. Hâc illectus spe Baiasites, à pace cum Venetis sancitâ discessit. Ac fuit profectò, noxium Venetis id Mauri facinus: sed tandem hæc in ipsum, quod dici solet, cusa faba, justo Dei judicio fuit. Nam & ambitionis & injuriarum multiplicium, erga Ioannem Galeacium fratris filium, & funestorum patriæ consiliorum, qui-

bus

bus Gallos adversus Neapolitanos reges, Turcos adversus Venetos commovit, acerbas denique pœnas luit. Quod quidem ei subtilis & arguti vir ingenij, legatus Florentinæ reipublicæ, futurum aliquando prædixerat. Quippè quùm huic ad se misso, suas arroganter ostentaret, ut plerumque solebat, & opes, & ingenij vires; inter alia quodam in conclavi, depictum ei monstrat simulacrum mulieris, amictu pulcherrimo vestitæ, in quo expressa mirifico artificio tota conspiciebatur Italia. Propter hanc mulierem, adstabat Aethiops cum peniculo; quo se ipsum innuere volebat, qui & Maurus vulgò vel Aethiops audiret, & emblematum loco, soleret uti vel peniculo, cum inscriptione Latina, ET MERITO ET TEMPORE; vel ramusculo, tres complexo rosas, cum inscriptione Germanicâ, Mitzeit: id est, CVM TEMPORE. Erat hic Æthiops ita pictus, ut peniculo, mulieris è veste pulverem cum sordibus aliis extergeret. Eâ picturâ legato monstratâ, quid ipsi de hac videretur, interrogat. Tum is: Vt mihi quidem videtur, inquit, hic Æthiops pulverem omnem in se ipsum convertit. Quod hominis acuti, de Ludovico Mauro vaticinium, deinceps eventu comprobatum fuit. Quæ autem de infelici conatu, removendi Baiasitis ab obsidione Naupacti, ex Iovio allata: his fere verbis, Spanduginus exposuit. Anno, inquit, millesimo quadringentesimo nonagesimo nono; Ferdinandus rex Hispanus, occupatis Naupactio bello Venetis, ex lege fœderis subsidia misit; auspiciis Consalvi sui, quem Magnum Capitaneum vocabant. Is adiunctus classi Venetæ, Cephalleniam insulam, Turcis ereptam recuperavit, cum S. Maura: quod opi-

dum in insula cognomine (prisci Leucadem vocarunt) non procul à Naupacto, Patrisque situm, ab Augusto, post Actiacam victoriam, Nicopolis dictum fuit. Adaucta quoque tunc Veneta classis fuit, auxiliaribus navigijs, à confœderato rege Francorum Ludovico XII. ductu reguli Ravestani, Philippi Clivensis; qui Genuam, pro rege tunc administrabat. Is prœlio cum Turcis congressus, quùm Venetorum triremes nullum navigiis suis ferre subsidium vidisset; indignatus, vela ventis dedit, & indè discedens, Massiliam reversus est. Erat autem Venetæ classis imperator Antonius Grimanus, qui propterea, quòd pugnanti Ravestano non succurrerat, & alioquin etiam se gesserat segniter, ferreis in compedibus, Venetias missus fuit. Nihilò tamen minùs idem posteà, Ducis dignitatem obtinuit. Subijcitque Spanduginus, memoriæ proditum est, postridiè quàm capta fuisset Methone, Baiasitem omninò voluisse urbem ingredi, ad agendas Deo gratias in ipso Christianorum templo. Quùmque iam pervenisset in pontem, quo transeundæ urbis erant fossæ, conspicatum fossarum altitudinem, dixisse: Tam munitam civitatem, mihi Tangri Vereris, per virtutem Sinanis bassæ, beglerbegi mei, violentamque Genizarorum meorum expugnationem, concessit. Verbis autem Tangri Vereris, aut Versi potius, Deũ propitium significant Turcæ. *Et hactenus Leu. clavius.* Methonis quoque occupationem, pluribus recenset Ludov. Tubero, *lib. 8. comment.* ubi quoque habet Baiazethis orationem, Deo gratias agentis: & inter alia scribit. Bajazethes ex equo (ut ferunt) desiliit, atque postea

postea quam prostratus humi (eo ritu Turcæ Deum venerantur) terram osculo, magna spectantiũ admiratione, contigit; ita ut erat in genua submissus, oculis in cœlum sublatis, Grates tibi, inquit, summe Deus, ago, quòd me mari quoque, quod quidem vix sperare audebam, hostibus meis prætuleris. Iam enim illis, confessionem concessi maris, quasi victis palàm expressimus, dum nos pugnandi copiam facientes fugiunt; nec pugnæ sese per metum committunt. Porrò cur me tibi minorem non geram? cur ad te omnia non referam: quandoquidem tuo amoto auxilio (quippè per me pulvis sum, & umbra) nihil erat, quod de maris sperarem possessione. Tu enim res hominum administras, & singulos etiam hominum actus animadvertis; neque aliquid est in rebus abs te conditis (omnium enim tu es author) quod ad tuum non agetur præscriptum. Vndè licet tuo iussu, alia extollantur, alia deprimantur; omnia tamen rectè & ordine facis: propterea quòd, quemadmodùm tu summâ ratione mundum construxisti, ita summâ is etiam ratione abs te regatur, necesse est. Quùm igitur tuo solius arbitratu, mortales & voti compotes proculdubiò efficiantur, & in adversa incidant; fac me obsecro, si tua fert voluntas, ita superbissimorum hostium victorem, utpotè qui maris possessionem sibi nefariè vendicant, ut tamen animus meus, nil per insolentiam secundis inflatus rebus, tibi, qui ritu solis obscura illustras, lucidis vero, ac per se fulgentibus splendorem adimis; omnia accepta referat. Idem etiã Tubero, de Coronis deditione agẽs: Baiazethem, Nauplienses

que, teritur tempus. Quo profectò furore, non modò nostræ occasioni desumus; sed etiam suam communibus hostibus oppugnandi nos damus occasionem. *Hactenus Tubero.*

4. Et constat certè, huius quoque Turcici Imperatoris victorias, bella Christianorum civilia promovisse. Quâ de re, ille idem Tubero, *à pr. lib. 7* scribit: Baiazethes sublato (ut suprà dictum est) fratre, atque ob id ipsum, metu domestico liberatus; veluti ex somno experrectus, non iam prædatoriâ manu Christianos vexare: verùm totis imperij viribus, cum his congredi statuit; nullo non Christianorum hoste destinato. Cæterùm, sicuti universos magni facere, ac timere, ita singulos vehementer contemnere. Quùm igitur ægrè ferret, Venetos (cum quibus sanè pacis tempus iam exierat) quasdam urbes maritimas, in Græcia atque Illyrico, possidere ipso mediterraneis regionibus imperitante; omni studio ad eas in potestatem redigendas, incumbit: eoque magis, quòd ad custodiam regni sui pertinere arbitrabatur, maritimam oram suis obtinere præsidiis: nè aliquandò ea loca, ad se oppugnandum, hostibus aditum præberent. Valdè enim eum, propter Italiæ propinquitatem, perterruerat Gallorum in regnum Neapolitanum, duce Carolo VIII. adventus: quùm præsertim eum haud lateret, Christianis, qui in eius ditione essent (est autem horum maxima, per universum regnum multitudo) non animum, sed ducem ad defectionem deesse. Habebant autem in potestate Veneti, præter quædam ignobilia in Illyrico oppida, Naupliam, Methonem, & Coronem in Peloponneso, in Ætolia Naupa-

ctum, Corcyram quoque insulam Epiro adiacentem. Ad hæc accedebat suspicio adversus ipsos Venetos, nuper exorta. Audietar enim Baiazethes, eos cum Gallis pace factâ, novum fœdus percussisse; atque Lodovici Sfortiæ odio, per quem sanè stetit ne Veneti Pisis (ea est Ethruriæ urbs) potirentur, Lodovicum Genebium, seu Aureliensem Francorum regem, in circumpadanam Italiam accire. Etenim Turcæ, quanquàm Venetos contemptui habebant; Gallorum tamen, quos nondum noverant, arma haud parvi facere. Cæterùm, nè dum ipse arma in Venetorum urbes moveret; Hungarus occasionem secutus, eius consilia turbaret, cum Vladislao Hungarorum rege, haud sanè ob segnitiem invito, per biennium renovat fœdus; principib. Hungaris, huic paci, tum propter Turcarum perfidiam adversantibus, tum quia cum Turcis fœdere coire, haud honestũ esse videbatur. Turca igitur pace cũ Hungaro cõpositâ, ad res maritimas animũ adiecit. Cæterùm cũ Venetos longarũ naviũ numero, reiq; nauticæ peritiâ, haud parùm valere, vẽturosq; suis subsidio arbitraretur, atq; ob id ad rem aggrediendam esset cunctantior; hortatu quorundam purpuratorum suorũ, quorum principes erant Alexander Trapezuntius, Achmatesque Cofficius Dalmata, trecentarum navium classem, in Bithynia, & reliqua Propontidis atque Hellesponti ora, ædificari iussit: ut scilicet quod suorũ peritiæ deesset, numero navium dependeretur, porrò Alexander, ut plerique Græci, odio in Latinæ literaturæ gentem insito, in Venetos invehebatur. Sed & quidam Christiani principes (ut fama est) Venetum

netum coquentes bellum, Turcaica arma concitabant. Cuius quidem belli furia, & fax erat Ludovicus Sforcia, Maurus cognomento, Mediolanensium tyrannus: flagitiosus homo, atq; ad perturbandam Italiam natus. Nam societatem, & cum Turca inierat, dum Venetos simul timet, simul eis tãtùm invidet imperium. Igitur, ubi Veneti accepere (qui sanè id temporis maris Adriatici imperium, non minus stultè, quam iniquè: utpotè omnibus gentibus commune, & ob id, non sinè acerbissimo humani generis odio, sibi vendicabant) Turcas tantã classem parare, & ipsi ad rem maritimã, solito maiorẽ curã cõverturunt. Et in primis sub Baiazethe Carolus Octavus Galliæ Rex, arma per Italiam transtulit in regnum Neapolitanum, gestumque bellum maximum est, in Helvetijs à Maximiliano Imperatore. Ludovicus item Vndecimus Ducatum occupavit Mediolanensem. *Dornavius.*

5 Sed magnis etiam cladibus, minime caruit imperium Bajazithis. Etenim A.C. 1490. cœlum Constantinopoli tonuit. Primò manè, ventus exstitit, hinc pluere cepit. Tum verò subitò radijs solaribus abditis, armamentarium fulmine tactum fuit. & pulvis bombardicus, qui quodam in templo collocatus, adservabatur, fulminis impetu fuit accensus. Hinc statim in aëra sublatum hoc templum, rursus in duas tresve plateas, ac vicos decidit, & homines illic omnes saxis obrutos neci dedit. *Leunclav. hist. lib. 16.* sic & A.C. 1509. Post Turcorum preces illas, quæ noctis horâ secundâ concipi solent: horribilis & magnus terræ motus accidit, quo turrium, templis.

plis adiunctorum, fastigia rupta corruerunt, meschitarum cubæ rimas egeruut, pluribus in terram deiectis: ædium infumibula humi prostrata sunt, urbis muri fissi, turres eorum ac pinnæ collapsæ. Plurimiquoque mortales à parietibus & muris corruentibus oppressi perierunt. Quumque nemo non saluti suæ consuleret, domo suâ quilibet egrediebatur, & in aperta sub dio loca, confugiebat. Si quis adiunctam ædibus suis aream, si hortum habebat, in aream, hortumve confugiebat: cui neutrum erat perfugij loco, publicas in plateas se recipiebat. Tantus nocte prima, terræ motus huius erat impetus, ut omnes utriusque sexus homines, somnum oculis eâ totâ non viderent suis; sed formidabili spectaculo exanimati; miserabiliter exclamarent. Nonnulli preces ad coronam (sic Turci vocant, ad imitationem etiam apud Catholicos devotiorum) recitabant; alij legebant orationes quasdam, peccatorum ut indulgentias impetrarent: non deerant denique, qui certis se votis, ad ipsum usque diluculum obstringerent. Duravit indè noctu, & interdiu terræ motus hic, ad dies XL, singulis ut horis, citra intermissionem sentiretur. Leunclav. *hist. Musulm. lib.16 fol.609.* qui de eadem re agens, *fol.656.* addit: historiarum monumeutis est proditum; vitandi periculi causâ, Sultanum Baiasitem id temporis, ex arboribus & tignis longè maximis, ædificium ligneum exstrui curasse: quod deinde securitatis suæ causa conscenderit; quādo trabes, sic inter se iunctæ, non tam facile dissolvebantur, nec more parietum lapideorum rimas agebant, quas eorumdem ruinæ statim comitabantur. In hac ergò lignea domo sessitabat.

bat, nec umquàm ferè telluri se credebat.

6. ANNO item CHRISTI, 1492. accessit ad Baiazethem quidam sceleratus & improbus, ingentis staturæ, cum anulo ad aurem lævam adpenso, cervice crassâ, Dervisij habitu amictus. Hic interficere Padischachum Baiasitem voluit, quum se Mechdim esse profiteretur. De Mechdi vero fabellæ Turcorum referunt, quòd è familia prophetæ Mahametis ortus, inadspectabilis obambulet. Addunt etiam, hunc in hominum lucem aliquandò proditurum, & aliquod ad tempus imperio potiturum. Posteà venturum quemdam alium, cui nomen tribuunt Degnal, & Antichristum fore prædicant. Hic igitur acinacem stringens manu prehendit, & in Baiazitem rectà perrexit. Eius Tzausij, deiectis animis, ut hominis impetum evitarent, aufugerunt. Quapropter hic facinorosus ad Baiasitem absque ullo impedimento, iugulandi eius causâ, contendit. Sed aderat Padischacho Ischender bassa, qui subitò pusdoganum in hunc latronem contorsit; & ictu gravi sic hominem prostravit, ut in caput humi provolveretur. Hinc frustulatim, à Baiasiticis concisus fuit. *Leunclav. lib. 16.* Et idem *in Pandect. c. 170.* ea de re ita scribit: quod hic de periculo Baiasitis, propemodùm à Dervisio quodam, sivè monacho Turcico interfecti, narratur; à Spandugino quoque, memoriæ proditum legitur, quæ interpretari lubet, Torloces, ait, quidam, in Baiasitem irruit, simulans eleemosynam ab eo se petere. Solent autem hanc Dei nomine petentes, Allahitschi dicere. Quũ acinacem strinxisset, quem sub filtro gestabat, exterruit equum, cui Baiasites insidebat. Ideoque cedente retrò Baia-

Baiaſitis equo, nonnihil evitatus fuit ictus hominis: ac nihilo tamen minus, Baiaſites vulnus accepit. Tum verò baſſa quidam, cui nomen erat Schender, maſſam ferream, quam busdoganum vocant, eo cum impetu capiti hominis impegit; ut cranio perfracto, cerebrum emanaret. Indignatus huius facinoris causâ Baiaſites, edicto propoſito, Torlaces univerſos proſcripſit, & extra Conſtantinopolin, & imperij ſui fines eiecit.

7. Sed obiter hîc referre placet, quæ de converſione cuiusdam Thalyſmani, ad fidem Chriſtianam Tubero, lib. 8. habet. Eodem fere tempore, quo Veneti cum Baiazete pacem fecerunt, accidit Conſtantinopoli res mira, & rari exempli, atque ob id literis mandanda: quæque maximè argumento eſſet verum Dei cultum, cœlitùs infundi, purgatamque vitiis mentem illuſtrari, ac in divinitatis cognitionē induci. Turca quidam, ex eo ſacerdotum genere, quos Machometani Talyſmanos vocant; literis Arabicis, quibus omnes Machometani utuntur, ſatis imbutus, quolibet 8. die, quos antiquitas Veneri attribuit, uti Mahometanis mos eſt, templum Sophiæ ſacra facturus, ingrediebatur. Id autem templum, Chriſto, qui Dei ſapientia eſt, à magno Iuſtiniano erectum, Machometes Bazethis pater, captâ Conſtanrinop. Machometanis ſacris dedicaverat: qui cùm eſſet inter ſacerdotes, eruditione ſimul & vitæ integritate inſignis, non modo à plebe, ſed etiam à rege ipſo, dum doceret populum, attentiſſimè, audiebatur; omnesque mirum in modum concionibus ſuis tenebat. Tādem cùm in templum leges Machometanas, de more populo, rege præſente, interpretatur;

precatur; projecto per cōtemptum codice quem Turcæ Alcoranum, id est præceptorum collectionem, vocant: conversusque ad ipsum regem, divinitùs procul dubiò mente monitâ, inquit, miror te Rex, quum sis vir sapiens, nondùm deprehendisse Machomeranæ hæresis vanitatem, ac quendam versuti autoris astum in suâ sectâ constituendâ: utpotè qui nihil in se divini, aut quod ad veram hominum beatitudinem pertinet, habeat. Quippè Machometes, terrena tantum, ac corporea sapiens, nec vivis verum iter ad fœlicitatem ostendit:& vitâ functis, communem cum bestijs beatitudinem pollicetur. Atque quum videret vir callidus, Christi religionem ad animi puritatem, veritatisque contemplationem omni ex parte constitutam esse, tantisque miraculis fulciri: vi & voluptate propositâ, (duobus sanè efficacis. humanis affectibus) sectam suam munire, ac tueri præcepit. Quare scito, solam Christianam religionem veram censendam; & Christum, ut ipse rectè affirmat, viã, veritatem & vitam esse. Quod ubi Thalysmanus dixit, extemplo rex, ut erat patriæ religioni deditus, hominem comprehendi, atque in foribus templi, crudelis. necari jussit: denuntiavitque, rem silentio tegi, gravi pœnâ propositâ, si quis efferret. Verùm id celari Deus haud quaquam permisit. Nam quidam Turca, Illyricæ nationis, ejusdem gentis Christiano homini omnia, ut gesta erant, narravit.

8. Adversâ item fortunâ, cum Aegyptiis Mamaluchis, bellum Baiazetes gessit; quâ de re ita Camerarius *in narrationibus Turcicis fol. 54.* scribit. Decreverat Bassaita, persequi susceptum à patre Maho-

Mahometha adversus Aegyptios bellum; cum illos præsertim fautores habuisset Zyzymus frater suus. Itaque magnum exercitum contraxit, qui in Syriam duceretur. Eâ re cognitâ, Mameluchi suas copias congregarunt ad Antiochiam, vel ad Dolenam & Tarsum: progredientibus autem ambobus exercitibus, consertæ manus, depugnatumque fuit, apud Amanum montem, quem Nigrum modò appellant, ubi Alexander Macedo Darium Persam prælio superavit. Victores in illo conflictu Mameluchi, magno detrimento affecerunt Turcas. Captus fuit Cherseoglys, Baiassatæ gener & ad Soltanem Aegyptum deductus. Nullam ad eum usque diem, majorem cladem, hac Isiâ, seu Passenicâ acceperat res Turcica: nam concisa esse tunc feruntur, ad centum viginti millia Turcarum. Quapropter Bassaita, cernens sibi inceptum non procedere, & esse fortunam adversam; retulit pedem. De Mamelucis autem abundè Iovius *lib. 17. histor.* & alii, scripsere, quæ paucis duntaxat attingamus. Cepere sub Friderico II. Augusto. Duravit eorum societas vel ordo, cum imperio CCC. plùs minùs annis. Nomen ipsum, significat militem, qui stipendia facit. Et militabant Sultano, perpetuisque bellis exercebantur, equestris rei præsertim peritissimi. Moriente Sultano deligebant alium, è corpore sive collegio suo, liberis suffragiis. Plerumque tamen Emirum majorum qui numero quatuor erant, auctoritate dignitateque Sultano proximi, ratio haberi solebat. Electus cuique Mameluco, centum Seraphinos pro felicibus auspiciis imperii, donabat. Omnes necessariò vel Christiani erant, vel ex Chri-

Christianis parentibus nati; nec in ordinem suũ, vel Arabes, vel Saracenos, sive Mauros, vel Hebræos, vel Turcos admittebant. Major eorũ pars, è Circassis constabat; in pueritiâ captis, aut pretio distractis. Eam ob causam Zercas sive Cercas quoque vocantur à Turcis; ob Circassorum inter Mamelucos præcipuum numerum: quæ natio nomen Quinquemontanorum habet; Iberis, sive Georgianis vicina. Leunclav. *in Pandect. cap.207.* Qui idem *cap.160. & seq.* scribit: Hujus belli causæ, referendæ veniunt ad superiorum temporum offensas. Muchemetes enim II. Baiasitis pater, paullò ante mortem, in Asiam transmisisse; bellum ut faceret Alcairensi Sultano, qui hostes ejus juverat, præsertim Caramanum: & alioqui se gerebat erga Turcos insolenter, (Quâ de re, videri potest Leunclavius *ibid.cap.153.*) Prosequitur ergò bellum à patre inchoatum Baiasites, novis insuper iritatus injuriis, quod Zemis partibus, Sultanus Alcairensis favisset. Notandus autem est, plerorumque nostrorum error de prælio, quod unum tradunt inter Sultaninos & Osmanicos longè gravissimum fuisse commissum, tantâ cum Turcorum strage, quantam ab aliâ natione orbis unquam perpessi fuerint. De hisce verò duobus præliis, ita Turcici Annales: Dum Valachico bello detinetur Bajazites, Alcairi Sultanus, & ab unâ parte se commovit cũ suis, quos inter erat Vsunes Vsbegus; & suas, suorumque copias in locis Adanis ac Terso interjectis, collegit: ab altera Sultani Baiasitis parte, Sangiachi Anatoliç, itemque Ferhates begus, Sultani Baiasitis gener, Caramaniç beglerbegus, Cziagosa begus, congregati; junctis exercitibus, contra

cõtra Sultaninos Alcairenses profecti sunt. Vbi ventum ad manus esset, ab utraque parte, sanè quam viriliter dimicarunt. Sultanini denique, Bajasiticos terga dare coegerunt, ipso etiam Bajasitis genero, Ferhate bego, interemto. Et hæc gesta sunt A.C.1486. sed & A. C. 1490. Sultanini expeditione susceptâ, in Turcam profecti sunt. Congressis exercitibus, vehementens commissum fuit prælium. Ac tamersi Sultaninorum acies, tandem solutæ dissiparentur; non tamen passus est Alisbassa militem suum à tergo eos persequi: quòd vereretur, ne belli se converteret alea, simulque putaret, satis se consequutum gloriæ, qui tam feliciter hostiles copias difiecisset: cavendum denique censeret, ne sui nimio labore defatigarentur. Ideoque motis hinc castris, domum militem suum reduxit. Postquam verò Baiasitici discesserãt, Sultanini suis denuò collectis, Adana Tersumque civitates obsidione cinxerunt: quibus cùm potiri non possent, copias indè suas abduxerunt. Verùm non multò pòst, tormetorum & aliarum rerum adparatu instructi, rursùs adorti sunt Adana, & expugnatam urbis arcem diruerunt, atque ita domum sunt reversi.

9. Circa A. C. 1506. admodùm jam consenuerat Sultanus Baiasites, & podagræ morbo, tantoperè excruciabatur; & expeditiones bellicæ, perquam ei graves essent, ac perpetuò Constantinopoli, præ debilitate virium, hærere cogeretur. Intereà verò, dùm ipse in lecto plerumque decumberet, tam vezires & consiliarii Portæ, quàm cæteri proceres & sanzaci, citra metum omnem ac verecundiam, regni fructus ac reditus

ius interceptos absumebant ; & impunè tenuioris fortunæ homines, atrocibus injuriis potentiorum, per summum scelus exagitabantur: nec eorum querelæ, qui per vim opprimebantur, vel ab ipso Baiasite, vel ab aliis, administrationi rerum præfectis, exaudiebantur. Erant cum imperio, potestateque tantùm non absolutâ, Vezires omninò tres; Alisbassa, & Achmetes bassa, quē Hertzea coglium, sive Ducis filium nominabant, & Iachia bassa tertius Hi mentem atque animum, & rationes Baiasitis omnes perspectas habebant; ideoque pro lubitu suo, quidquid eis visum fuisset, agebant. Machmutes Zelebis, Sultani Baiasitis filius, & ipse tyrannidem usurpare ceperat; patrisque mandatis parùm obsequens, insolenter in omnibus se gerebat. Quapropter infestus filio pater, eum tolli de medio præcepit. Dum hic rerum status in Osmaneo, sanè non optimus, esset imperio; majoribus etiam quasi procellis ac tempestatibus, agitatum Azemiorum (Persarum) regnum fluctuabat. Quippè tumultus alii alios semper excipiebant, idque potissimùm ex eâ causâ, quòd è posteris magni regis illius Vsun Chasanis, nulli superstites ampliùs essent, ad quos imperium illud jure pertinere videretur. Hinc intestinæ discessiones, & bella civilia procerum, inter se de dominatu cōtendentium; factionesque diversæ, tam populo Persico, quàm ipsi regno perniciosæ. Tandem in ea regni Provinciâ, quam Gilanem vocant, Ismail quidam exstitit; patre natus insigni & religioso viro, Erdebilensi regulo: qui rationem colendi numinis intimam, & ipse tenebat, & ostentabat aliis : quumque nomen ei proprium esset

esset Chaider, etiam vulgò Scheiches adpellabatur, ab innocentis vitæ purâ sanctimoniâ. Chaider ipse patrem habuerat Tzuneitem, eâdem ex causâ Scheichis nomen promeritum. Tzuneites autem, subditus & cliens, aut vasallus Vsun Chasanis regis erat, tantâ nominis celebritate clarus, ut omnes reguli proceresque Turcorum, religione quâdam tacti, donis eum quibusdam colerent. Inter cetdros, etiam Sultani Osmanidæ, quotannis aliquid ei largiebantur, cum præfatione verborum hujusmodi: Mittit hic, vel ille Sultanus Osmanides, sancto viro, Scheichi Tzuneiti, tzirac axiesi, hoc est aspros, sive pecuniam candelabri. Fertur etiam Temur Chan Tatarus, ipsum visitare coràm voluisse; quo tempore viri sanctitatem, & innocentiam admiratus, triginta millia captivorum ei condonaverit. Quùm vero Sultanus Muhametes secundus, apud Turcos imperio potiretur, visum fuit ei, nullos amplius Scheichi Tzuneiti nummos, pristino suorum more, mittendos. Tzuneites, qui nesciret id secum statuisse Muhametem, quùm solitum præteriisse tempus, quo sibi munus illud ab Osmanidis principibus mitti consueverat, nec tamen adparere summam asperorum, à tot annis receptam, videret: misit è suis, qui Sultano Muhameti diceret; cupere Scheichē Tzuneiten, causam cognoscere, cur aspros mitti solitos, hactenus ei non curasset ad Teken, sive monasterium, xenonemque suum eremiticum tradi. Respondit Muhametes, linguâ sibi vernaculâ. Vallahe Tekesin cozza ulmistur: hoc est, per Deum, vetus ille Tekæ, vel eremitici Xenonis & monasterii præfectus, jam mortuus est.

Quod

Quod si Tzuneites ipse aliquid haberet, quod sibi mittere vellet: id sanè se quàm lubenter accepturum. Hæc Muhametis verba quū Tzuneiti renunciata fuissent, permolestè responsum tulit; quasiq; gravi acceptâ injuriâ, rem omnem querabundus ad Vsun Chasanem detulit, tum regionum Persicarū principem, cujus imperio Tzuneitis etiam ditio continebatur. Rex Vsun Chasan, illatam à Sultano Muhamete, Scheichi Tzuneiti contumeliam, & ipse adeò indignè tulit; ut inter alias causas, quibus impulsus, bellum deinceps adversus Sultanum Muhametem gessit, etiam hâc, ad inferenda Turcis arma, non parùm extimularetur. Quippè cum videret, magnam quotannis pecuniæ summam, magnamque populi multitudinem, Scheichis Tzuneitis causâ, suos intra fines, ex ipsis etiam Osmanidarum provinciis confluere; quæ res ex tanto mortalium concursu, singularem ipsius nomini famam & existimationem pariebat: in posterùm Muhametis contumaci superbiâ, nonnihil de hâc gloriâ suâ decessurum, uti facilè secum existimare poterat, ægerrimè ferebat; adeoque perpulit eum hæc indignatio, tanto celeriùs ut armis adpetendum Muhametem statueret; ipso etiam Tzuneite flammis hisce faces subjiciente: quēadmodū usuvenire solet, ubi homines ambitiosi partam semel auctoritatem ab aliis aut violari, aut imminui cum dedecore suo, animadvertunt. Victus autem eo prælio rex Vsun Chasan, insigni cum infamia fugit. Quumque se constitutum in periculo non exiguo videret, votum animo suo concepit, quo sanctè pollicitus est, daturum se filiam suam Chaideri, Tzuneitis filio, siquidem

dem ex eo discrimine, salvus & incolumis ad suos rediisset; id quod etiam reâpse præstitit. Quippè domum reversus, filiam suam, voti reus, Tzuneitis filio Chaideri dedit uxorem; quo matrimonio factum, ut familiæ duæ regiæ (nimirùm Mauroprovatades, à nigris ita dicti pecudibus, à quibus ortum Chaider ducebat, & Asproprovatades, ab albis adpellati ovibus, ad quos Vsun-Chasan generis originem sui referebat) in unam, hodieque clarissimam gentem Sophinorum, felici vinculo coalescerent. Nec deinceps Vsun-Chasan tractabat arma, sed à bellis gerendis abstinens, curam castrensis administrationis, & rei militaris omnem, genero suo Chaideri, Tzuneitis filio, commendabat. Vndè progressu temporis accidit, ut Chaideris filij posterique, paternâ virtute, meritisque commendati, ad Persici regni clavum pervenirent: fuitque primus ex his, cum potestate regia, Schachus Ismail, Chaideris filius, Scheichis Tzuneitis nepos. Hic Ismail, in superius indicatâ Ghilanensi regione degebat, & adhuc admodum juvenis erat. Quimque supra modum ætatis prudens, Vsun-Chasanis regnum, tot seditionibus ac bellis intestinis adtritum, gubernatore destitui videret, qui res confusas in ordinem redigere, fluctuantes ad tranquillitatem revocare, penè perditas felicitati pristinæ restituere posset: audendum aliquid statuit, quod & cum utilitate reipublicæ, & honore dignitateque suâ coniunctũ esset. Id eò sibi fore procliviùs animadvertebat, quòd universi regionis incolæ, tam in cultu numinis, quam vitæ religiosæ degendæ præceptis, rationes ab ipsius avo, Scheiche Tzuneite patre-

patreque Chaidere præscriptas, sequerentur; illorumque memoriam, velut illustrium eximiâ pietate virorum, singulari cum veneratione colerent. Iidem tantorum virorum nepotem, & filium Ismailem mirificis animorũ studijs complectebantur, & ad quævis ei præstanda obsequia, se paratissimos semper exhibebant. Quippè non ex avita patritaque dumtaxat gloriâ, magnam sibi conciliarat auctoritatem; verumetiam virtute propriâ clarus, avi patrisque vestigiis insistebat, & exemplo sanè laudabili, ceteris, in omni vitæ officio, cum admiratione cunctorum; præibat. Vndè fiebat, ut etiam ipsi, licet annos adolescentiæ necdum egressus esset, honoris & observantiæ causâ Scheichis adpellatio tribueretur; eâ potissimum de causâ, quòd avi & patris imitatione, viam sinceri penitiorisque cultus divini, mortalibus, ipsorum quidem opinione, rectam & expeditam, patefaceret. His ergò tam feliciter hactenùs iactis invadendi regni fundamentis fretus tamdem colligere quasdam copias, & cum eis in apertũ prodere cepit. Quũque palam signa quædam, ac vexilla sustulisset: compellare mortales instituit, & exhortari: suæ militiæ semet addicerent, se præeuntem sequerentur, quicunque consultum summæ reipublicæ cuperent, quicumque sibi benè vellent: sibi denique, suisque consiliis obsequerentur, si tantis è malis tandem aliquando cogitarent emergere. Missis etiam diversas in regni partes, suis hominibus, & hæc, & his consimilia publicari passim iussit. Itaque cunctis ad eum cottidiè magis ac magis confluentibus, intra non magnũ temporis spatium, ad decem hominum ar-

matorum millia coëgit, & cum eis expeditionem suscepit: institutis avi patrisque posthabitis, ac neglectis, qui divinæ legis & religionis observantissimos se declaraverant. Vt tamen interim, & partam semel existimationem tueretur, & suos in officio continere posset; ajunt eũ Turci, novam quandam sectam, formamque religionis excogitâsse, suis accommodatam consiliis, institutis & cupiditatibus. Hinc regium nomen usurpavit, seque Schachum adpellari voluit. Cum exercitu verò, quem collegerat, Vsun-Chassanis regnum ingressus, quoscunq; cum copiis obvios habuit, singulari felicitate cecidit, vicit, profligavit. Nec jam ulli proceres, ampliùs ei poterant obsistere, nec impedire, quò minùs adflāte prosperrimis ceptis fortunæ perpetuò blandientis aurâ, Persarum imperio potiretur. Quippè quum universus regni populus, hos Ismailis successus videret, ac frustrà niti nõnullos è Persarum regulis animadverteret, ut Ismailinæ victoriæ cursum interrumperent; ultrò desertis aliorum partibus, ad Ismailis patrocinium confugit, ejusque se potestati permisit. Vicissim Schachus Ismail omnes, quotquot ipsius imperio se sponte subjiciebant, lubens in clientelam accipebat; suisque locis, fortunis, honoribus restituebat. Profectus indè Tebrisiũ, præcipuam regni sedem, throno regio consedit; nec Vsun Chasanis imperium sibi tantummodò subdidit, & administrare suo cepit arbitrio: verùm etiam illi regno, per se licet amplissimo, nõ paucas finitimarum regionum provincias, sanè nobiles, adiecit. Subditis suis per universum regnum, & iis, quotquot in Comitatu palatioque

regio,

regio, minifteriis vel togatis, vel caftrenfibus addicti, militabant; tam patris & avi fectatoribus in religione, quàm proceribus quibusvis; itemque tam Chriftianis, quam Mufulmanis, edixit; ut omnes tegumenta capitum, rubro tincta colore, geftarent: indeque novum fuis nomen indidit, ut Kiful baffæ, five capita rubra dicerentur; & ab Osmanicis hâc quafi teffarâ difcernerentur. Tantùm verò fui amorem Schachus Ifmail, in animis omnium fuorum excitavit, ut quidquid tandem jurejurando confirmãdum effet; concepto per ipfius Schachi caput juramento, verum adfeverarent. Itidem, fi quid Schachi nomine mandaretur, tam viri, quàm feminæ, tam pueri, quàm fenes obtemperabant; & quidquid imperatum fuiffet, promptiffimis ftudiis exfequebantur. Si quis alicui benè precari vellet, aliis verbis non utebatur, quàm hujusmodi: Schachus defiderium tuum impleat, animique tui voto favens, adnuat. Preces, quæ Namafi folent à Mufulmanis vocari, cottidieque certis horis concipi, novas Schachus Ifmail instituit, & à formulâ prophetæ Muhametis alienas, ac diverfas. Itidem ipfius inftituto, Perfæ tres primarios ejusdem prophetæ Muhametis fectatores, non ampliùs in honore ac veneratione, fed odio habere ceperunt. Nummis, quos vel aureos, vel argenteos fignabat, hæc erant ab uno latere infcripta verba: La illahe illahu, Muhamedum refuil allahe: quorum verborum hic fenfus eft, Non funt Dii, præter unum Deum, & Muhamed Dei nũcius eft. Alterum latus, fequẽtium vocum litteras continebat; Ifmail halife allahe, quarum fenfus: Ifmail Vicarius Dei.

Tunc quidem certè turbarum, etiam in Osmaneo regno, plena erant omnia; quemadmodum in magnis imperiorū mutationibus novarumq; Religionum exortu usuvenire plerumque solet. Posteaquam enim Schachus Ismail, prosperrimo victoriæ cursu, magnas illas Persidis provincias, incredibili celeritate sibi subjecerat; adtonitis ad insuetam felicitatem mortalium, præsertimque vicinorum animis, ex omni passim Anatoliâ, Turci, quos Zurcos, quasi Nomadas, vulgò vocitant, rusticum genus hominum, itidemque complures alii, qui ex rapinis & latrociniis victitabant, turmatim ad eum confluebant. Grata nimirùm eis erat illa religionis nova quasi facies; quam Ismail sanè plausibilem introduxerat; gratior etiam libertas, vel licentia potiùs, quâ præter Musulmanorum morem, jejuniâ superstitiosa, cum precibus cottidianis rejiciebantur. Hac præcipuè de causâ, magnus ex Osmanidarum provinciis hominnm concursus, ad Schachum Ismailem exstitit. Quapropter ut maturè huic obviam malo, Sultanus Baiasites iret; tam ad Sanzacos præsidesque provinciarum Anatoliæ, quàm ad Cadilaros sive judices, mandata misit quibus eis imperabat, ut itinera, passim præsidiis impositis occluderēt, & omnes ad Ismailem confugientes interficerent. Paruêre Baiasitis edicto præsides, ac judices, ad aliquod tempus, nec paucos è fugitivis interceptos occidêre. Sed quùm nullis tamdem suppliciis fugiētium vesania, coerceri posset; Baiasites reperto alio mali remedio, regiones Anatolicas perquiri jussit, & capitis adfici supplicio, quotquot rubris vti pileis deprehensi fuissent. Si qui verò adhuc

hâc ambigere viderentur, nec apertè sectam Sophinam profiteri; cum uxoribus, liberis & familijs suis, in Moream sive Peloponnesum relegarentur; ut illic ad litus maris habitantes, & hostium iniurijs expositi, semper in armis excubare cogerentur. Itàque missi fuerunt in Anatoliam & Europæam Rumiliam veredarii, qui passim tales inquirerent. Ab his complures interfecti, nec pauciores in exsilium acti, pagis integris & villis evacuatis. In eâ verò planicie, quæ Dobritze vocatur, in Bulgaria versus mare nigrum sitâ, cuius metropolis est Varna, magnus gladiorum numerus repertus fuit; quibus homines, excitatâ seditione, subitò possent armari. Mittebantur enim à Kisul bassa, quidam fictiâ specie, quasi si Scheiches essent, hoc est, secretiorum doctrinarum professores ac magistri; qui passim Osmani darum subditos exhortarentur, ut ad primam adventus Schachi Ismailis famam, se paratos ostenderent: quando is brevi, susceptâ insigni expeditione, suo regiones Osmaneas imperio subiecturus esset. Et hi quidem indicatâ via mortalium animos sibi conciliabant, magnamque gladiorum, & quorumvis aliorum armorum copiam, in promptu habebant. Interim regnum Turcicum, in maximis turbis constitutum agitabatur, ac Sultanus Baiasites, podagrâ laborans, quasi truncus quidam lecto decumbebat: nec uti membris, quotquot infra Zonam, in humano sunt corpore, poterat. Vsque adeò vires eius defecerant. Huc etiam accedebat filiorum ipsius immodestia, qui gravi morbo patris, insolentiores facti, posthabitis omnibus pietatis officijs, res novas moliti

Hæc Leunclavius, *hist. Musulm. lib 16.* Videri de eâdem re potest, idem Leunclavius, *P. n. ect. cap. 158.* ubi inter alia scribit: Sophi cognomētum non à Græco Sophos deductum est: quod tamen existimare quosdam video, qui à Persarum Magis & Sophis antiquissimis sumptum nomen usurpâsse Sophinos volunt: Sed à Sophi, Arabicâ voce, quæ lanam significat. Quippè quùm Mahumetani, & præsertim Osmanici, more veteri, tulipanto lineo subtilissimi operis caput involvant: at nova isthæc Sophilariorum religio, præcipit inter alia, ne caput fastu quodam lineis eiusmodi spiris ornetur: sed ut tegumenta capitum, è lana, non magni pretii, conficiantur. Et quia laneum hoc tegumentum capitis, quo præter aliorum Muhametanorum, morem hi nunc utuntur, plicas habet duodecim, & Arabica vox Enasser, duodecim significat: etiā aliud nomen Enasserlariorum cōsequuti sunt: ac si Græco vocabulo dicas Dodecaptychos, aut Latino Duodecimplices. Quùm denique tegmen ejusmodi, rubro duntaxat colore tinctum gestare soleant, Kiselbassilarii quoque dicti sunt; veluti capita rubra. Schachus igitur Ismail, ab æmulis Osmanicis, aliisque Muhametanis, velut horum antesignanus, tam Sophi, quam Kisel-bassa vocatus fuit: ac mansit etiam apud nos, in hodiernum usque diem, nomen hoc posteris ipsius, ut Sophini adpellentur. Ismaelis item originem, & progressus, pluribus describit Petr. Bizarus, *rer. Persicar. lib. 10.* ubi etiam refert quænam ille bella gesserit cum Turcis, vivente Bajazethe II. A. C. 1514. inquiens, Ismael per suos oratores, à Bajazete Carmanorum regiones hæreditarias, sibi reddi

reddi postulavit, suosq; , qui miserâ servitute in Turcicâ ditione tenebantur repetebat: simulque ipsum hortabatur, ut abjectâ veteri religione, suã assumeret, habitumque immutaret. Cæterùm, tantùm abest, ut quicquã horum impetrârit, ut etiam Baiazetes, suo imperio haud parùm metuens, Constantinopoli supra ducentas domos, cum ipsis habitatoribus, qui de Ismaele, ceu prophetâ, benè sentiebant, & loquebantur, igne perimi jusserit: & publico edicto, sub capitis pœnâ vetuerit, ne quis de eo publicè loqueretur aut scriberet. His, atque aliis de causis commotus Persa, bellum adversus Ottomanos minimè ulterius differendum statuit, sed aperto Marte rem gerendam: cujus etiam rei, maximus promotor atque incitator fuit Techelles, (discipulus Harduellis) Hic enim, & sapientiæ opinione & virtutis præstantiâ, plurimorum animos in sui admirationem converterat, & concionando vatidiceque respondendo, pellectis Cappadocibus in sectæ bellique societatem, exercituque Persarum auxiliis firmato, è Tasica urbe, quæ ad Antitauri radices sita est, protinus è finibus Cappadociæ in Lycaonium irruit. Regionem, agri ubertate, hominumque frequentiâ celebrem, populatus cum esset; exercitum Iconio admovit. ...dè eum depulsuri Orchanes, & Mahometes, ...epotes Baiazetis ex Alemsciaco, & Sciaesciaco ...liis, qui illis regionibus imperabant, ab hoste ...si fugatique sunt. Techelles non tentatâ op...ignatione, atque itinere per mediam Asiæ mi...oris latitudinem directo, accessit ad Ancyram, ...am hodiè Angorium vocant, prætervectus ...pidantem metu, ac congressum tergiversan-

te in Corchutum Bajazetis filium. Indè per Galatiam effusus in Bithyniam, non longè à Sangario flumine, obvium habuit Caragium Bassam, Asiatici equitatus Magistrum; quem Bellerbeium nominant: hunc magno prælio superatum, atque in fugam conjectum, festinatoque advolatu obrutum, ac circumsessum, conclusit intra Cutheiam urbem, ad Orminium montem, in veteri Caucorum sede; quæ urbs totius Asiæ minoris umbilicus, ac Magistri equitum Anatoliæ sedes est: ut in Europa, Sophia urbs Misiæ, Magistri equitum Europæorum. Vrbe expugnatâ, prætorioque, scito marmore ac nobili structura insigni, concremato, Caragium cum uxore cepit, atque ad Prusiam Bithyniæ caput, animũ adiecit. Sed ab eo conatu avertit eum Baiazetes, novis copiis abiectis, per Halisbassam natione Macedonem, conditione eunuchum, cui se Techelles, Sangario flumine superato, transversis itineribus rectà inter Cotheiam & Ancyram quintis castris, Galatiæ planitiem emensus, obvium ex insperato tulit, ibique, ut hostes, atroci spectaculo edito, aut demoraretur, aut à persequendo deterreret; Caragium Bellerbeium, quẽ vinctum secum trahebat, media via, sequentibus spectandum, palo infixit. Nec Halibassa, horrendo clarissimi viri obitu permotus, quicquam tamen de celeritate sibi remittendum existimavit; quin potiùs, cum magnis itineribus, antecedentem toto exercitu consequi nõ posset, cum octo millibus equitum, citatissimo cursu assecutus; ad Olygam montem, non procul ab Ancyra, perturbatis primis ordinibus Techellis, prœlii initium fecit; in quo, ipso ad extremum cæso, copiæ

copiæ jam penè victrices, mutatâ fortunâ belli, cum interitu ducis dissipatæ sunt. In locum Halibassæ, summissus Iunusbassa, summæ virtutis Epirota, acceptis ab Achomate Bajazetis filio copiis, cum quadraginta millibus equitum ac peditum, Techellem insequutus est. Is verò tanto apparatu exterritus, præsertim cùm nulla auxilia ab Ismaele, tunc in Scytharum cōfinio bella gerenti, submitterentur; quod nullam tormētorum copiam haberet, & quòd non mediocrem numerum fortissimorum virorum, in tot conflictibus habitis, & præcipuè ad Olygam amisisset, reliquos qui supererant, tantæ multitudini hostium, eorumque recentium, objicere, miserrimum putabat: & proindè montibus ac sylvis se tenere constituit; indéque post aliquot leviora certamina, receptui canens, intempestâ nocte extinctis ignibus, cum maximo silentio saltus excessit, & per adversos montes in Armeniam descendit. Iunus bassa, tam feroci hoste liberatus, per omnes minoris Asiæ urbes, intentissima conquisitione habitâ, quos Persicæ Religionis cultores invenit, omnibus tormentis excruciatos interfecit: his verò, qui bello minimè interfuissent, neque arma tractassent, inussit frontem; ut stigmate, defectionis titulum præferrēt, quos protinus cum affinibus, atque propinquis eorum, qui Techellem secuti fuerant, in Europam traduxit, sparsitque per Macedoniam, Epirum, & Peloponnesi oram, ne, si Techelles, novis copiis comparatis, bellum renovaret, coirent rursùs, & novas res, novâ defectione molirentur. Sed omnium copiosissimè, eadem hæc retulit Iovius, *histor. lib. 10.* Qui ita scribit. Post bel-

lum Peloponnesiacum, quo (ut suprà memoravimus) Naupactus, Coron, Pylus, Cryssceum, Methoneque, Turcarum armis cesserunt; quùm Veneti redditâ Neritho, quam ad Leucadem vi ceperant, authore Andrea Gritto, cum hoste pacem pepigissent, Baiazetes in posterum Europâ abstinuit, toto animo in Asiam versus: ut illinc novis bellorum motibus occurreret, quibus sub adventum Techellis novi prophetæ, viri apud eas gentes admirabilis, jam tum Lycaoniæ & Cappadociæ urbes agitabantur; magno quidem commodo Venetorum & Hungarorum, quibus Baiazetes, nisi Asiatico tumultu revocatus, pacem nequaquam daturus esse credebatur. Erat autem Techellis, origine Persa, regiæ gentis cognatione anteà clarus; sed longè illi majorem famam, & claritudinem addiderant studia literarum, vitæ integritas, & summa religio; ob quæ posteà divini vatis nomen, promeruit. Fuerat Aidaris, cognomento Harduellis discipulus, viri doctrinâ & probitate insignis, quem Iacuppus Chiorzeynal. (id est, Persicâ linguâ, strabo) magni VsunChassanis filius, crudeliter interfecit. Fuit Harduelles inter Persas regulus haud ignobilis, cæterùm ingenio ac moribus propè divinus. Qui cùm honores, divitias, voluptates, & cultioris vitæ commoda (quę vulgo munera humanæ felicitatis appellantur) veras ærumnas, fortunæque ludibria existimaret eaque palàm ageret mirâ animi fortitudine, quæ populus cōtinentiæ & doloris impatiens miraretur, magis quam imitari posse confideret: tantam excellentis virtutis opinionem adeptus est, ut eum, quāquam imparem, regiæ stirpi, Assimbeius Vsum-

cassā-

caſſanes, in generum ſibi aſciverit; traditâ ei Marthâ, quam ex Deſpina Caloioannis Trapezontiorum & Ponti regis filiâ, ſuſceperat. Ejus autem connubii lex fuit, ut Vſumcaſſanes Deſpinam paterno more, Chriſtum Deum colere pateretur, atque ita facilè evenit, ut Martha Deſpinæ matris authoritatem ſecuta, legis noſtræ ritus perdiſceret; undè poſteà obortam in Europâ opinionem videmus, Hyſmaelem Sophum, tanquam aviæ matriſque diſciplinæ imbutum, Chriſtianos homines, nusquam improbatis eorum ſacris, in honore ſemper habuiſſe. Cur autem Caloiannes Rex Chriſtianus, Vſum-Caſſani, viro Mahometano filiam nuptui dederit, & ille conditionem acceperit: præclarè intelligi poteſt, utrumq; rebus ſuis timentem, ex eâ cognatione, mutua præſidia comparare voluiſſe adverſus impotentem vim Othomanni Mahometis, qui deleto Græcorum Imperio in orientem vires extenderat. Exiſtimavêre plerique, regem metu potiùs rerum novarum, quàm optimi ejus viri obſervantiâ, eas filiæ nuptias quæſiviſſe: quoniam Harduelles vulgatâ novâ religione, immutatisque priſcæ legis myſteriis, apud Tauriſium, quum è tota Perſide, Armeniaque, viſendi hominis ſtudio, innumeri mortales confluerent, tantùm ſibi nominis ac virium comparaverat, ut ſi ſectatores ſuos cogere atque armare vellet, magnas eum copias, brevi collecturum appareret. Illud inprimis veluti divino ſpiritu afflatus, perſuaſerat. Neminem ex his poſt mortem cœleſtia regna petiturum, qui Mahometem colerent, niſi eos legis ritus ſequerentur, quos Haly Mahometis interpres & ſocius, ſcribendo

ac docendo posteris tradidisset. Ea erant magnâ ex parte diversa, atque aliena penitus ab persuasionibus atque mysteriis, quibus Asia omnis & Africa, eâ tempestate tenebantur. Nam Homarem, alterum ex Mahometis discipulis, tanquam graviùs & certiùs leges interpretantem, Halys doctrinæ præferebant. Nec multùm posteà temporis intercessit, quùm Iacuppus, Vsumcassane vitâ functo, in paternum regnum assumptus, Harduellis potentiam atque ejus religionis cœtus hominum, suspectos habere, ac vereri cœpit, ne Persæ, qui antiquorum regum stirpi occultè favebant, sub specie religionis, atque sacrorum coirent, & excitatis factionibus, novas res, nondùm firmato imperio molirentur. Quibus de caussis Iacuppus, ut erat suspicaci turbidoque ingenio, quùm regnandi causâ neque necessitudine, neque optimi viri innocentiâ permoveretur, Harduellem nihil tale timentem, submissis percussoribus interfecit, sectatoribusque ejus, aut cæsis aut pulsis, in posterum vano metu, atque inani sollicitudine, crudelem animum liberavit. Hysmael verò Harduellis filius, eo tempore puer adhuc, per tumultum fato quodam servatus, avunculi sævitiam vitavit: confugitque in Hyrcaniam, ad Pyrchalim amicum paternum, qui supra Caspium mare, paucis oppidis imperitabat. Ex Harduellis autem discipulis, unus ante alios Techellis, qui posteà Cuselbas, hoc est, Rubrum caput cognominatus est: virtute doctrinæque notitiâ magistro comparandus, eam quoque tempestatem aufugiens, superato Euphrate in minorem Armeniam pervenit: posuitque sedem in Antitauro monte; ubi ad radices

per-

perfossæ rupes, naturâ atque arte hominum, opacos specus habent, qui Rubra saxa ab incolis nuncupantur. Ea est salubris & peramœna loci facies, propter frequentiam varietatemque pomiferarum arborum, ac perennes aquarum fontes: quibus & plana rigantur, & colles toto anni tempore vestiuntur. Ibi Techellis, procul à cõmercio hominum, in altitudinem contemplationis conditus, dum divina cœlestiaque rimatur, per aliquot annos durissimam vitam egit: contentus his quæ spontè terræ atque ipsius naturæ benignitate nascebantur. Is primò à pastoribus visus, & agnitus, deindè ab agricolis qui victus duritiem, pietatemque hominis admirabantur, necessariis ad vitam rebus donatus est: ac demùm quùm responsa daret, & jam major homine videretur, gliscente in immensum divinitatis opinione, à curiosis in pagos tractus, ac mox invito similis, in proximas deductus urbes, omnem provinciam sui famâ, admiratioñeque complevit. Nec publicatis semel novæ legis interpretationibus, mortales defuerunt, qui (uti apud Persas Harduelli acciderat) hominem adorarent: arbitrarenturque, nisi ea jussa, præceptaque capesserent, animas post interitum corporis æternos ignis cruciatus subituras. Talia frequẽtissimis concionibus, atque responsis, quùm omnibus facilè persuasisset, mobilem gentem ac superstitionibus deditam, brevi ad sui studium pertraxit, jussitque ut sectatores turbinatum capitis regumentum, linteâ in spiras circundante fasciâ, pro insigni novæ religionis, rubro colore distinguerent: ita ut novæ hujus hæreseos studiosi, à rubro colore pileorum, Cuselbassæ, toto oriente

oriente vocitentur. Simili quoque, ſed meliore fortunâ, Hyſmael eosdē ritus, quos pater in Perſide tradidiſſet, ingenuo animo complexus eſt: namq; ipſe poſcentibus fatis, ut primū adolevit admirabili virtutis indole, patris veſtigia ſecutus; quū eloquio, decore vultus, ſapientiâ, atq; animi magnitudine divis ipſis, quàm mortalibus propior haberetur, & maximū nomen, & ingentes vires, apud eas gentes cōparârat. Nec, ignobile tantùm vulgus, ſed pleriq; natalibus ac divitate religionis, ut præclarius eorum ſtudium videretur; poſtquàm ab vetere diſciplinâ diſceſſiſſent, eum in ſummam virtutis & dignitatis exiſtimationem evexerant. Ipſe quoque, nondùm pubeſcens ſupra veras virtutes, inani etiam morum ſpecie, in ſui admirationem compoſitus; opes, gloriam, imperium, quæ cupere videri nollet, ut ſimulator egregius, abnuenti perſimilis, adſequebatur. Non defuerē etiam, qui iurarent, Harduellem, patrem (ut erat ſyderalis ſcientiæ peritiſſimus) inſpectâ filij geniturâ Hyſmaelem, & prophetam ſummum, & veræ legis conditorem futurum; ſubactaque maximâ parte Orientis, Mahometis gloriam, pietate & rebus bellicis æquaturum: quæ haud temerè iactata in vulgus, altiorem materiam ſermonibus præbuerunt. His auſpicijs haud dubiè in magnam ſpem gerendarum rerum erectus, avunculo Iacuppo, veneficæ uxoris fraude ſublato; paternos agros, & modicum illud imperium, quod dotale matris fuerat, repetere cogitavit: armatiſque ſuæ ſectæ promptioribus, & à Pyrchale regulo ſumptis auxilijs, ingreſſus Armeniam, famâ magis atque hominum benevolentiâ, quàm viribus,

brevi

brevi paternam ditionem vendicavit. Mox eo successu firmior factus, quùm multi qui Hardu-ellis dogmata, alieno periculosoque tempore, metu mortis deseruerant; tunc oblato duce, fiducia pleni, eandem hæresim sequerentur, adauctis copijs, ad urbem Sumachiam, quæ est in finibus Mediæ, duxit: atque eam vi captam, hostiliter diripuit. Captâ Sumachiâ, maximam consecutus est nominis existimationem, quæ fortia & præalta facinora naviter audentes, ex primis rerum motibus, ad summam victoriæ sæpènumero perducere cõsuevit: & quod posteà plurimùm contulisse iudicatum est, inermem magna ex parte exercitum, ditatuam prædâ, militariter instruxit. Inde non iam urbes, sed Persarum imperium animo volvens; quùm Fortuna, quæ cuncta detulerat, viam quoque melioribus fatis aperiret, ad Taurisium nobilissimam maioris Armeniç urbem, contendit. Ea urbs Persarum regia est, numero hominum atque opibus totius Orientis celeberrima; quæ antiquitùs Terva vocabatur, distans à proximo littore Caspij maris, itinere expediti equitis quatuor dierum, non longè ab emporio Derbento: ubi portæ ferreæ inter montes & mare, angustias arcendis eo aditu Scythis, præcludunt. Invasit autem Sophus Hysmael Persarum imperium, novaque Mahometanæ superstitionis opinio, quam à Patre cœptam, aliquandiu supplicij metus oppresserat, promulgata, & latè disseminata est: Anno Christianæ salutis, supra millesimum & quadringentesimum nonagesimo nono; quo Italia Gallorum adventu maximas adijt clades, & Veneti cum Turcarum classe, ad Protum insulam congressi.

greſſi, fœdiſſimè rem geſſerunt. Nec multò pòſt, exarſit in Germania authore Luthero innovatio Religionis, quæ populis, ut in Perſide acciderat, commotis variè antiqua placita, & veteres ſacrorum ritus vehementiſſimè conturbavit. Ita, ut Iovius crediderit, ab occultâ cœli poteſtate, certoque ſyderum concurſu proveniſſe: ut religiones toto terrarum orbe, enatis factionibus uno tempore ſcinderentur: quandò, non Mahometani modò, Chriſtianique, ſed et remotiſſimæ gentes, idololatræ aut ſydera aut portenta pro dijs venerantes: cum in India quæ ad Orientem vergit; tum in novo orbe ad Occiduam plagam reperto, novas ſacrorum opiniones induerint.

10. Occaſionem autem, qua mediante Selimus patri ſucceſſit: reliquis fratribus remotis, recēſent Turcici Annales: qui ita loquūtur. Dum in Aſia, Turcæ cum Iſmaile Scachi, bella gerunt: Sultanus Selimes, Taraboſane profectus, navigio Cofen adpulit: illinc in Romaniam abiturus. Itaque Cofe diſcedens, Chilim navigavit: Chili Belīgradum venit. Eius rei famâ Conſtantinopolim, ad Sultanum Baiaſitem perlatâ; Cadium urbis Sarīgrēſem, & Seguanem baſſam, legatos ad filium miſit: quorum & conſilijs uteretur Selimes, & monitis inſtrueretur. Hi quùm ad Selimem perveniſſent, ductores ei fuerunt, uti ſuam in ditionem rediret: nè forte fratribus etiam ſuis, occaſionem præberet, conſimilia quædam tentandi. Ad ea reſpondens Selimes: Annon mandatum divinitus eſt, inquit, uti ſuos quiſque parentes, tertio vel quarto quoque anno, inviſat? Hâc equidem causâ motus, iter hoc perficiam; & patre viſitato, meam in ditionem

tionem revertar. Ad summam, ab hoc instituto legati Selimem nullo dimovere modo potuerunt. Ideòque redeuntes ad Baiasitem, filij mentem ac sententiam patri renuntiarunt. Is denuò legatos alios ad Selimem misit, ac dici filio iussit, uti Semendriam se reciperet: quem ipse sangiacatum illi adtribuisset. Negavit id se facturum filius, omninòque se partem priùs aditurum respondit, eiusque manus osculaturum; atque ita deindè discessurum. Evenerunt hæc anno M D XI. Secundum illa, perrexit in itinere suo, Sultanus Selimes, & Hadrianopolim petijt. Indè quùm non procul abesset, relictâ Baiasites Hadrianopoli, versus Constantinopolim abijt. Habebat autem secum omnes vezires suos, & begos, sangiacos, & milites. Quippè mandatis publicatis edixerat, uti secum eò proficiscerentur. Quâ de causâ commotus Selimes, & consiliarios suos adpellans: Nullum, inquit, hostem habemus inter Hadrianopolim, & Constantinopolim. Cur ergò tot proceres, & talem ac tantum exercitum, pater secum duxit? Haud dubiè nihil aliud hæc portendunt, quàm quod fratrem meum, Sultanum Achmetem, rerum administrationi præficere cogitat. Ideòque summâ usus celeritate, non procul à Zorlo, patrem adsequutus est. Ibi tum copijs utrimque concurrentibus, ad dimicationem ventum fuit. Erat id temporis, imbecillâ Baiasites valetudine, quùm nec pedib. uti, nec equitare posset: eaque de causâ, curru vehebatur, cui velum obduxerat; numinis interim, Mahumetisque sui auxilium implorans. Quùm perexiguo temporis intervallo pugnatum esset, victus Selimes, omni thesauro suo relicto,

licto, fugæ se dedit: ac tamdem pervenit in vicum quemdam, situm ad mare, quod Nigrum vocant. Heic navem ingressus, transmisso mari, Cofen se contulit. Sed eâdem hieme, rursùs in Romaniam navigavit. Quidam enim proceres aulici, partes Sultani Achmetis fovebant; nimirùm ipse Cadilescherus, & Nischanzis bassa, & Ionures bassa: qui muneribus etiam, in hunc finem paratis, populo persuaserant; Sultanum Achmetem brevi adfuturum, & loco patris imperaturum. Hic autem conatus eorum, quum Genizaris innotuisset, nocte quâdam, in ædes ipsorum irruentes, quidquid in eis repertum esset, diripuerunt. Itidem noctu Chasanis bassæ domum adgressi, fœdè spoliarunt: adeoque seditionem excitavere maximam. Erant id temporis ad urbem Sultani Achmetis legati qui furtim se subducere, saluti que suæ, fugâ consulere coacti fuerunt. Secundum hæc, legatos ad Sultanum Selimem misere Genizari, qui nuntiarent, ad urbem modò veniret: se nimirùm & salutaturos ipsum Imperatorem, & adgnituros pro domino. Achmetes etiam, eodem tempore propiùs adurbem se contulit, suis cum copiis ad Isodaram, è regione Constantinopolis, castrametatus: missisque patri multis aureorum nummûm millibus, quo venerat itinere, discessit. Quumque vectigalia, tributa, ceterosque fructus ac proventus imperii, per Anatoliam sibi vindicasset; violenter illas provincias administrare cepit. Ac licet Sultanus etiam Corcutes, opida quædam Anatoliæ sibi subjecisset; retinere tamen ea non potuit, quùm præfectorum Sultani Achmetis majores essent vires. Itaque discedens ex iis lo-
cis

rit Corcutes, trans mare Gallipolim abiit: ac duobus duntaxat secum sumptis, Constantinopolim navigavit. Eo quùm pervenisset, exiguũ quoddam templum ingressus est, haud procul à domicilio Genizarorum. Hoc ubi nũntiatum Sultano Baiasiti fuisset, aliam ei domum in urbe jussit adsignari; quam, remotus à Genizaris, inhabitaret. In hanc igitur ubi commigrasset, bonâ cum veniâ, patrem adiit: ejusque manum exosculatus, in hospitium suum reductus fuit. Zecirien id temporis, quam minorem vocant, Sultanus Selimes advenerat. Quumque propiùs Constantinopolim accederet, atque obviam ei prodiret Sultanus Corcutes, frater; equis insidentes, manus sibi mutuò porrexerunt, ac peramanter inter se colloquuti sunt. Hinc urbem ingressus Selimes, in prato Genibaxeo tentoria fixit: Corcute suum in hospitium redeunte. Tum verò congregati Genizari, decem ex omni suorum numero delegere; quos ad bassas ablegatos, dicere jusserunt: Adgnoscere se pro domino suo Sultanum Selimem, Baiasitis Imperatoris filiũ. Bajasitem, propter adversam valetudinem, & imbecillitatem virium, nõ jam ampliùs ad bella gerenda prodire posse. Quamobrem significarent Sultano Bajasiti, bassæ, ut spontè suam rerum administrationem, Selimi filio traderet. Id nisi fieret, in ipsos se bassas animadversuros: & prætereà per vim collocaturos Selimem in thronum regium, ac Dominum & Imperatorem suum declaraturos. Hæc quùm decem illi Genizarorum legati, bassis exposuissent, bassæ cum his ipsis decem viris, Sultanum Bajasitem adierunt. Is intellectis eorum postulatis, quàm qui-

dem

dem diù superstes ipse foret, imperium se nemini traditurum respondit. Ad ea supremus vezir, Mustaphas bassa: Vale igitur, inquit, Imperator maxime. Nam mox, ubi abs te digressi fuerimus, vitam hi nobis adiment. Tum Sultanus: siquidem jam nos imperio non abdicaverimus, ait, an futurum putatis, uti nos è medio tollant? Minimè verò, subjiciunt illi, vitam eripient tibi: sed injectis uncis spiculorum suorum, vesti tuæ, de throno Imperatorio, te detrahent. Quæ quùm ab eis dicta fuissent, exiguo temporis spatio Sultanus Bajasites, re cum animo suo deliberatâ, caput erigit, & : Rerum equidem, inquit, summam filio meo, Sultano Selimi, traditam committo. Quâ Baiasitis oratione Genizaris renuntiatâ, mox unanimes, ad Sultanum Selimē se contulerunt. Hæc autem gesta fuerunt An. C. 1512. Postridiè Sultanus Bajasites, ciftas; quibus imperatorii thesauri continebantur. Sultano Selimi filio misit: ac vezires, ceterosque bassas, dominum suum, Sultanum Selimem adire iussit, eique significare: tantummodò sibi, patri suo, dilationem dierum XX. concederet: quibus exactis, Dimotucum abiturus, & reliquum ibidem vitæ spatium, transiturus esset. Interim Selimes, in hospitio Genibaxeo commoraretur. Hęc quū illi Sultano Selimi exposuissent: Quidquid, ait, patri & bassis visum fuerit imperare, ratum esto. Res enim adhûc in ipsorum potestate sunt, & arbitrio. Postridiè illius diei, patrem Selimes adiit, eique manum osculatus est. Tum vero surgens pater, Accede fili, ait, atque hoc loco sede: quùm rerum dominus, me quidem abdicato, & imperator factus sis. Ad ea Selimes:

limes: minimè verò, mi pater, inquit. Nam equidem domini, patrisque mei, famulus sum: nec amplius quidquam petij, quàm ut mihi faciem tuam intueri, ac manum deosculari liceret. Id quùm impetraverim, bonâ cum pace tuâ, mihi, famulo tuo, nunc abire fas esto: salvâ tibi rerum administratione prosperrimâ. Sultanus autem Baiasites: Fili, ait, toto pectore atque animo imperium tibi resignavi. Sed unum hoc consulo, ne sanguinem innoxium fundas, nec immeritò quemquam occidas. Cui patris consilio, quùm Selimes se pariturum promisisset; in hortum novum sive Genibaxen, ad tentoria sua se recepit. Postridiè, summo diluculo, pro tribunali sedit, & advocari Henizarorum Agam iussit: qui mox universis cum Genizarorum copijs, coram eo se stitit. Ibi tum compellatis ipsis, Selimes interrogare: num se vellent dominum & imperatorem adgnoscere? Cunctis unanimiter adclamātibus, id omninò se velle facere; mox iterum Selimes eos adpellans: Si quis, ait, inter vos aliquid culpæ commiserit, an per vos mihi licebit, ut illum puniam? Licebit verò, succlamant omnes. Ergo deinceps, subiecit Selimes, imperium meum auspicabor. Postridiè quum illuxisset, eodem in loco, pro tribunali consedit: veziribus, & baßis omnibus, húc ad ipsum convenientibus. Illo die quemdam Genisarum, qui auream in capite gestabat uscufiam, sive pileum, comprehendi iussit, & ad arborem suspendi: quodam etiam de Vlofeziorum numero, capite truncato. Genizarus ille, propterea suspendio sublatus è medio fuit, quod Sultani Achmetis socer esset. Hoc modo quùm sibi Sultanus Selimes, impe-

rium

rium conſtituiſſet; Corcures conſcenſâ trireme, Maniſſam, ditionem ſuam, repetijt. Non multis diebus interiectis, Conſtantinopoli diſcedens Baiaſites, Dimotucum abire cogitabat. Eum Sultanus Selimes, extra portam Hadrianopolitanam, officii causâ, quùm deduceret: Baiaſites è curru cum filio colloquens, de multis eum rebus admonuit. Indè mutuo ſibi pater atque filius valedixère. Sed Baiaſites, hoc itinere delatus in vicum quemdam, cui nomen Chapſe, vitam cum morte commutavit. Revectus autem à ſuis Conſtantinopolim, in templo, quod ipſe conſtruxerat, conditus fuit. Hiſtoriam eandem, latiùs repetiit Leunclavius, *hiſtor. Muſu'm. lib. 16.* ubi etiam *fol. 673 &c.* ſequentia habet: Totam hiemem, quæ prælium Bajazetis, cum filio Selime commiſſum, ſubſequuta eſt, proceres Europææ Rumiliæ, præſides omnes, aliique in dignitate conſtituti quâlibet, ad Portam Conſtantinopoli manentes, exegerunt. Quippè detinebat eos ſecum Baiaſites, nec ad ſua revertendi poteſtatem faciebat; quòd totus in hoc eſſet, ut perducto Conſtantinopolim, Sultano Achmeti filio natu maximo, quem inprimis diligebat; contumaciâ nuperâ Selimis offenſus, imperij ius omne, ſe vivo traderet. Obſecuti ſunt in hac re voluntati Baiaſitis, omnes Vezires ſive conſiliarij, Baſſæ, Begi, Subaſſæ, proceres: quibus ille viciſſim, gratam ut hanc eorum ſibi teſtaretur obedientiam, & veſtes honorarias, alia munera donavit. Simul conceptâ iurisiurandi formulâ, ſingulos & omnes ad præſtationem eius adegit: uti ſanctè nimirùm promitterent, ſe fidelem Sultano Baiaſiti, quùm alijs in rebus, tum præſertim in Ach-

mete

mete filio successore regni designando, pro viribus operam navaturos. Dedere fidem Sultano, sub religione dicti sacramenti omnes, pro eo se vitam profusuros, & capita quibusvis periculis objecturos: nec unquam ipsum, quam quidem diu superstes in terris futurus esset, ullo modo deserturos. Nanctus igitur horum suffragia, pro Achmete filio, Sultanus Bajasites, ægerrimo ferebat animo, suis adversari votis, palatinam militiam; qui Sultanum Achmetem, regiâ dignitate potiri, nullo modo sinerent; nec ullis adduci præmiis, donativis, precibus possent, ut ei se, tanquam legitimo patris successori, parituros polliceri vellent. Vt igitur hoc unicum removeret impedimentum, quod animi sui desiderio, repaguli cujusdam instar, obiici videbat, quò minus ad metam posset optatissimam pervenire; denuò veziribus & consiliariis suis, cæterisque proceribus, ad concilium vocatis: Inveniendum vobis, inquit, aliquod vel consilium, vel remedium, mitigandi duros illos palatinorum militum meorum animos, qui mihi tam pertinaciter adversantur; aut alia quædam excogitanda ratio, quâ vel invitis ipsis, filius meus Achmetes, huc adducatur, & summæ rerum præficiatur. Ad ea Bassæ vezires, præ animorum anxietate ac mœrore, nihil omninò respondere potuerunt. Solus Chasan bassa, qui Europææ Rumiliæ beglerbegus erat, ceteris animosior. Equidem miror, inquit, hanc trepidationem ac formidinem vestram, abjectique vilitatem animi. Quid istos quæso, nos curamus Genitzaros? Omnis penes nos imperandi jus est, omnis auctoritas. Cur de Republicâ Genitzaros in consilium

adhibere velimus? Quibus auditis, etiam is, qui munere Casiascheris, sive maximi castrensisque iudicis, id temporis fungebatur: Rectè locutus est, ait, Chasan bassa, in cuius sententiam pedibus equidem eo. Tum verò confirmatis aliorum quoque procerum animis, rectum hoc omnibus visum consilium; quod quidem ut exsequerentur, datum viris fortibus ac strenuis negotium, per vim adducendi Constantinopolim Achmetis, ut invitis etiam Genitzaris, ad dignitatem Sultaneam eveheretur. Hæc licet in consilio secretiori acta fuissent, ac decreta: tamen, incertum cuius proditione, in vulgus emanarunt; significatumque Genitzaris fuit, eo res esse loco, vel nolentibus ut ipsis, Achmetes in imperio patri successurus sit. Quippè Chasanem bassam, & Casiascherem, & omnes vezires ac proceres, unanimi consensu statuisse, quosdam ad Sultanum Achmetem mittere, qui eum Constantinopolim deducant; ut in Tachto, sive throno regio collocatus, administrationem rerum liberam & absolutam, loco patris accipiat. Genitzari verò, procerum hoc consilio cognito, mox eâdem nocte concurrerunt armati, maximumque tumultum excitarunt. Audisses vocem Bre beri, perpetuis clamoribus ingeminantes; quâ cohortari & incitare se mutuò barbari consueverunt. Simul impetu maximo, Chasanis domum adgressi, per vim expugnarunt. Chasan ipse bassa, fugæ beneficio manus eorum evasit, quidquid autem erat in domo, vel auri, vel argenti, vel gemmarum, vel lautioris & pretiosæ supellectilis, prædę cujusvis expositum, penitusque direptum à Genitzaris fuit. Hinc ad Casi-

asche-

Ascheris domum, eodem furore duce, delati; vim parem admoverunt, & foribus perfractis, quidquid usquam invenirent, abstulerunt. Nec, ad summam, ab ædibus aliorum quoque bassarum & procerum, abstinuere; solo Achmete bassa Hertzecoglio, sive Ducis filio, excepto; cujus domo pariter, & rebus, ita pepercerunt, nullum prorsùs ut detrimentū acciperet. Postridie summo mane, quum primum illuxisset, consociatæ Genitzarorum omnium copiæ, de cōmuni consensu, ad Sultanei seraij, sive palatii fores cursitarunt; ut Sultanum Bajasitem adirent, vel in eū per summam insolentiam potiùs irruerent. Simul inconditis vociferationibus, minis etiam interjectis, aperiri sibi fores, absque morâ jusserunt. Ni facerent, non vi duntaxat eas apertum iri, verum etiam alia secutura, cū eorum, quotquot intus essent, periculo conjuncta. Nimirùm omnia pro imperio gerebant, efferatis animis; quos nullus neque pudor, neque metus, neque Sultani sui respectus, in officio continebat amplius: quemadmodum in seditionibus ac turbis hujusmodi militaribus, usuvenire plerumque solet. Territi minis ac tumultibus his omnes, qui cum Bajasite intra seraium degebant; non exiguo in metu versabantur, & in aperiendis foribus tardiores erant. Genitzarorum verò cohortes, ne latum quidem unguem indè discedebant, sed continuò pulsabant fores; utque tandem aperirentur, urgebant. Itaque quum videret Sultanus Bajasites, extremam Genitzarorum vesaniam, nullo corrigi remedio posse, nec iras mitigari priusquam furoris illius impulsu, fœdum aliquid perpetrarent, aperiri portas jussit;

quibus reseratis, in seraium mox infusi nullo ordine Genitzari, rectà Sultani Baiasitis conclave petierunt. Quumque non minori cum ferocia, suum ad principem ingressi fuissent, intuitus eos Sultanus Baiasites: Quid hoc esse rei dicam, ô commilitones? ait. Quis hic concursus vester? Cur in hunc modum irruitis? Quid à me fieri vultis? Quod petitis, dabitur; quod requiritis, concedetur. Animorum saltim vestrorum sensum ac desiderium, exponite. Tum illi: Domino nobis opus est, inquiunt, ad imperii clavum qui sedeat, remque publicam, non tantùm ex æquo & bono administret, sed armis etiam defendat. Miserrima regni facies est, subditorum oppressiones finem nullum habent, omnia sursum deorsum volvuntur, canonicæ leges proteruntur pedibus; nec minùs ipsi per summam injuriam proculcamur. Violentiæ nullus est modus, quâ provinciales sic ubique vexantur, ut ab interitu parùm absint: ipsæ regiones ac provinciæ, moderatoribus æquis & reipublicæ studiosis, destituuntur. Regnum universum, à bassis & sanzacis luxu perditis, absumitur. Libidini procerum exposita sunt omnia. Nec quisquam est, qui modum malis hisce statuat, qui remedia tantis reipublicæ vulneribus adhibeat, qui subditis oppressis manum porrigat, & opem ferat: qui hoc ipsum denique regnum, ab interitus præsentissimo discrimine vindicet. Nam te quidē quod attinet, frustrà tantis malis abs te remedium exspectamus. Tertius hic, aut qu[illegible]s annus est, ex quo te graviter è podagrâ decumbentem, cubiculi tui parietes inclusum tenent. Aditus ad te nemini patet. Querellas nec publicas, nec privatas

vitiis auditis. Quonam modo res administrentur, scire nequis. Iamdudum nec provinciarum Anatoliæ proventus, nec regionum Europææ Rumeliæ reditus, thesauris publicis inferũtur. Hinc regni friget ærarium, hinc egestatem publicam oriri videmus. Maturo nobis consilio, focus hic resuscitandus est, si salvum hoc imperium volumus. Ad ea Baiasites. Quid igitur; ait, faciundũ vobis videtur? Tum illi, non sine vociferatione: Duce nobis, inquiunt, opus est, quem gerendis necessario bellis sequamur, cui vires corporis integræ sint, qui militiæ labores obire possit. Quo usque tandem sic jacebimus? quousq; tam ignavo torpebimus otio? Lubens equidem, respondit Baiasites, ducem vobis dabo, qui etiam hoc ipsum imperium administret. Sententiam mihi tantummodò vestram exponite, quo scire possim, quemnam vobis præfici cum imperio velitis. Vicissim Genitzari: Nos alium, inquiũt, præter te, regem nullum desideramus. Salvus tibi thronus, tibi salvum imperium esto, quàm quidem diù superstes eris, & anima tua domicilium hoc tui corporis incolet. Non est, quòd nos te solio tuo deturbare velle cogites. Quippè etiam minimè nos tædet imperii tui, duntaxat unum hoc requirimus, ut quandò tu præ languore virium, nullis ampliùs nec præesse, nec interesse potes expeditionibus, belli ducem nobis præficias, qui rem militarem administret; ex umbra nos in solem ac pulverem, & ipsos in hostes publicos ducat: tandem ut eorum insolentiam, diuturnâ segnitie nostrâ nimiùm quantùm auctam, reprimamus. En vobis, ait Baiasites, è numero vezirum bassarum meorum, ali-

quem dabo, quemcunque volueritis. Respondêre Genitzari, nequaquam se deinceps ad bella, Bassarum ductu gerenda, prodituros. Ergò subjecit Baiazetes, non auspiciis modò, sed ductu etiam meo bella geramus: atque adeò, siquidem vobis ita videbitur, expeditionem aliquã instituamus. Excepêre Genitzari, nullo id fieri modò posse, quando labores itinerum ferre Baiasites ampliùs nequiret, & pluribus annis à bellicis expeditionibus abstinuisset. Ego verò pedibus æger, inquit, Baiasites, curru tamen uti possum. Replicarunt Genitzari, vel regem, vel exercitus ducem, qui belli tempore curru vehatur, non posse muneri suo plenè satisfacere, tametsi maxime velit. Adeoque Baiasitem urgebant, ut exhaustis ipse viribus senex, caput aliud vegetũ sibi præficeret; qui rebus ita flagitantibus, exercitui præire, laboresque militiæ tolerare posset. Ad ea respondit Baiasites, non corporis duntaxat viribus bella geri; sed multò magis animi vigorem requiri. Exemplum sibi sumerent à Palatino Valachiæ, Bassara Vaivoda; qui, licet alienus à religione Musulmanorum, tamen in debilitate virium maximâ, se quàm prudenter gesserit: ac tametsi totis septem annis, instar trunci, quadrigæ impositus hinc indè veheretur; tamen insigni cum satisfactione subditorum, rempublicam Valachorum suorum, administraverit. Volubiles, & inconstantes, rerumque novarum perpetuò cupidos esse regionis illius populorum animos: sed nihilo propterea magis ob infirmitatem & ægritudinem pedum, à principe suo, ceteroqui bono, justo, sapienti, rebusq; gubernandis ingenii præstantiâ satis idoneo,
alie-

alienatos fuisse. Maximoperè se mirari, quid viris alioqui gravibus, & in omni erga principes suos obsequio, tot à sæculis, supra mortales ceteros constantibus, in mentem venisset; quidve tam fortes animos impulisset, ut præter morem majorum, Sultanum suum desererent; fluxæque fidei fœdissimam notam, perpetuâ cum infamiâ subire non reformidarent. Non leviter hæc Baiasitis verba, Genitzarorum animos pupugerũt. Ideoque culpam ut hanc instabilitatis, ac perfidiæ scelerata, removerent. Nos te, principem nostrum legitimum, aiebant, nequaquam deseruimus; nec abs te faciem nostram, nec animos, studio rerum novarum, avertimus. Te solio sedere regio, te cum imperio manere, cupimus. Auctoritatem tuam, majestatemque, nullo plane modo volumus imminutam. Quicumque tibi non obædierit, à nobis severè, pro merito suo, punietur. Penes te solum esto jus omne regni, imperandi potestatem habeto. Duntaxat auctoritate tuâ, nobis quidam præficitor, qui nos in officio contineat, qui Osmaneæ gentis exercituum ductor sit, quem præter ingenii vim, nec corporis robur destituat; ut tam pace, quàm bello, quocumque tempore sic usus exegerit, optatam & salutarem Musulmanæ reipublicæ operã, navare possit. Quùm instare Genitzaros tantâ contentione videret Sultanus Baiasites, ut aliquem vivus, suo loco substitueret, è filiorum numero, velut heredum imperii legitimorum; tandem, quod fieri jamdudum optabat, iterùm tentare volens, an fortè mitioribus nunc animis impetrare posset: Equidem melius, ait, nec reipublicæ, nec vobis consultum putabo: quàm si

filium meum, Sultanum Achmetem, lubentibus animis exercituum imperatore acceperitis. Negârunt, hoc illi se facturos, nec ullo modo Achmetem pro domino, nec militiæ præfecto, adgnituros. Quippè filius tuus, aiebant, Achmetes, planè tibi similis, non nisi truncus quidam est, ac terræ pondus inutile: nullius alacritatis, imbellis, obesus, totus præ corporis crassicie rotundus. Nos & acrem, & agilem, & sanguinarium requirimus, qui severitate suâ, provincias ipsas, & populos & populorum præsides domare possit, & in ordinem redigere; qui virili præditus animo, res magnas & memorabiles suscipiat. Sultanus Baiasites, spe suâ frustratum se videns: Quem igitur optatis? ait. Respondere Genitzari, velle se filium ipsius alterum, Sultanum Selimem, dignum imperio, dignum auctoritate castrensi maximâ, quâ copiis Osmaneis universis præesset. Pertinax in opinione, sententiaque suâ Sultanus Baiasites, huic postulato Genitzarorum, diù noluit adsentiri: quod quùm vezires, ceterique proceres, qui præ formidine Genitzarorum, vix animi compotes erant, deque vitâ propè desperabant, animadverterent; tandē ipsâ necessitate voces eis paullo liberiores exprimente, Baiasitem obtestari ceperunt: Da quæso, Sultane noster, petentibus hoc Genitzaris; majus ut malum vitare possimus. E contrariò Baiasites: Equidem, ait, amici mei, nequaquam alteri sponte meâ regno cessurus sum. Occlamarunt illi vicissim, non esse, cur hoc cogitet. Mansurum ipsum in solo regio, nec dignitatis ullam deminutionem passurum, sed administrationis jure pristino potiturum. Ad extremum, videns Sulta-

Sultanus Baiasites, nihil sibi reliquum ampliùs esse remedii, quo malis imminentibus occurreret, ac Genitzarorum postulata, sine periculo rejiceret. Quandò, subjecit, aliter omninò fieri nequit, concessum vobis esto, quod petitis. Filius meus Selimes, ducis exercituum munere fungitor. Tum vero Genitzari pergentes ulterius, etiam baratum, sive mandatum, hoc nomine scriptum, dari sibi postulârunt; quo Sultani Baiasitis decretum, de concesso Selimi filio magistratu, contineretur. At Bajasites futurum respondit, ut confecto barato, ereptum sibi regnũ Selimi traderetur. Illi verò vicissim oppofuère, ni baratum Selimes haberet in manu suâ; nullã suas apud exercitum futuram auctoritatem, nullum nec imperium, nec obædientiam. Quapropter haud dubiè requiri, baratum ut ei tradatur. Et hac quidem illi, constanter in sententiâ perstiterunt. Ex alterâ parte, non minor in negando Sultani Baiasitis erat pertinacia. Genitzaris autem denuò rem urgentibus, quod aliter valere, quod actum esset, infitiarentur; omninoque baratum habere se velle, majoris fidei causâ, dicerent: adsensus eis tamdem Baiasites, baratum rei gestæ testandæ causâ, fieri permisit. Tum verò, nec concesso Genitzari barato contenti, rursus occlamarunt; etiam necessario thesauros à patre Selimi filio tradendos esse, quibus uteretur arbitratu suo, solvendis militum stipendiis, & alias ad necessitates publicas. Hèic conscriptũ se pænè videns Sultanus Baiasites, indignabundus exclamat, si quidem ita se res habeat, ipsum etiam regnum ab eis Selimi datum; nec videre quomodo pater, ademtis thesauris, regnam

potestatem sit retenturus. Hâc de causâ planè secum constituisse, thesauros non filio tradere, sed sibi servare. Tum verò ferociori vultu, & oratione, Genitzari: Ne nescias, inquiunt, ô Sultane, nostri sunt illi thesauri, de quibus rixamur. Nam ubicumque locorum exercitus ipsi degut, illic & thesauros servari necesse est; ex quibus eis annonæ solvantur. Quapropter adversari nobis desine, quodque jam antè nostrum est, nobis sponte tuâ restitue. Simul ab hoc postulato suo, minimè se discessuros ostendunt. Ex adverso Baiasites, obstinato prorsus animo, thesauros se dimissurum abnuit. Rursus ergò vociferari, cum tumultu cepere Genitzari, thesauros daret. Id si recusaret facere, præbiturum occasionem, unâ re, tribus sibimet ipsi malis; uti nimirùm & regnum amitteret, nec thesauros retineret, ac vitam denique suam præsens in discrimen adduceret. Quapropter è furore Genitzarorum animadvertens Baiasites, nullam super esse viam, quâ dimoveri à proposito suo possent, quandoquidem ad graviores etiam minas progredi non vererentur: ipsorum denique cedendum violentiæ ratus, volens nolenti (quod dicitur) animo, thesauris cessit, eosque se filio Selimi, designato exercituum imperatori, traditurum promisit. Itaque Genitzari, qui jam pro Sultano Selime, baratum à patre Baiasite cum thesauris extorsissent, quod indè concepissent animis suis gaudium, dissimulare diutiùs non potuêre; sed auspicatis vocibus, ei faustissima quæque precantes, SVLTANO SELIMI, multos annos exclamarunt, eumque variis ornavêre laudibus. Simul ad ipsum veredarios complures, aliis alios con-

tiano sequentibus, ablegârunt; qui peroptatum ei nuntium ferrent, ac vocibus adsiduis urgere non desinerent, quamprimùm ut Constantinopolim veniret. Quippè non regnum ei modò Genitzaros, à patre, magnis & acerbis contentionibus impetrâsse; verumetiam scriptum eo nomine baratum, cum ipsis thesauris accepisse. Nihil restare nunc ampliùs, quàm ut hoc Genitzarorum, nomini suo devotissimorum, insigni beneficio; quamprimùm frueretur: ideoque daret operam, ut absque ullâ, vel minimâ dilatione, mox itineri se committeret, & Constantinopolim properaret. Posteaquam hi veredarii, læti cum nuntiis, ad Sultanum Selimem venissent, longè aliter, atque ipsi futurum existimâ-rant, adfectum reperêre. Non enim inconsideratè nuntiis hisce fidem adhibere voluit, sed in dubium revocans omnia, cunctabundus hæsitare cepit: nec itineri se, quod petebatur, cōfestim dedit; uti qui priùs etiam à Genitzaris se deceptum, speque suâ præter opinionem dejectum, meminisset. Haud facilè mihi quisquā, ait, hoc regnum eripiet. Certas equidem occasiones ejus capiscendi, quietus exspectabo, quæ ultrò, suo tempore, se mihi offerent. Inter ea vestris me seditionibus non immiscebo, nec ad turbas ac tumultus vestros, accedam. Illi vero vicissim: Quid ais, o Sultane noster? inquiunt. Itáne regnum à nobis oblatum respuis? Ita Genitzarorum tuorum fidē suspectam habes? Atqui nos de dignitate, felicitateque tuâ, maximè solliciti sumus. Pater tuus, præ senectute sic languet, sic annis, iter, & morbis exhaustus est, ut à morte quā-proximè absit, ut vel hodiè, vel cras rebus hu-

man[illegible] futurus videatur. Quò magis maturā-d[illegible], prius ut Constantinopolim adeas, & [illegible] vore palatinorum militum, pedem in imperio f[illegible], quàm animam ille reddat. His rationibus & argumentis, sibi tamdem persuaderi passus est Sultanus Selimes; seriò rem à Genitzaris agi: nec temerè tam commodam occasionem, aut respuendam, aut negligendam, sed utraq; manu prensandam. Quapropter ut itineri se quamprimùm accingeret, nec à justis copiis destitutus iret: tria Tatarorum millia, stipendiis suis conduxit, hisque palatinam militiam suam adjunxit, atque ita profectioni principium dedit. Ei Genitzarorum cohortes aliquot obviam profectæ fuerunt. Interim autem, dum in itinere, tam Selimes esset, quàm occurrentes ei, ceù dictum, Genitzari: Sultanus etiam Corcutes, navigio Constantinopolim adpulit, ac propter Zavias, sive domunculas Seraii Genitzarorum, templum quoddam ingressus, ibidem mansit. Neque verò magnum ille comitatum secum adduxerat, sed adulescentem inprimis sibi familiarem dumtaxat unum, secum habebat. Statim atque Genitzari, de Sultani Corcutis adventu, qui non procul ab ipsorum seraio, quodam in templo se cōtineret, certiores facti fuissent: confluxerunt ad ipsum, & manum ei sunt osculati. Sultanus autem Baiasites, quùm advenisse Corcutem intellexisset; quâ adventus ille sui causam haberet, interrogavit. Simul ei dici jussit, ut urbe Constantinopoli, sine morâ rursus excederet, ac domum, suam in provinc[illegible], rediret. Hæc quum Baiasitis ianitores, vel [illegible] (capuzilaros dicere linguâ suâ consuevere barbari) præsentibus Genitzaris, nō-

sine

[illegible]minacibus verbis, Corcuti nuntiarent: com[illegible] fuere Genitzarorum animi, quasique cum Capitzilaris expostulantes: Regulus, aiebant, avicula sane parva, sub rubo se quodam abscondit. Quid hoc vobis molestiæ creat? cur eum expellitis? adeoque pati nullo modo voluerunt, ut a Capitzilaris urbe Corcutes abigeretur. Postridie mittit Sultanus Baiasites filio suo, Sultano Corcuti, triginta saccos asprorum; suisque præterea mandavit, ut hospitium aliquod ei curarent, in quod diverteret. Itaque metatores ei Casi-ascheris, sive judicis castrensis domum adsignarunt; in quam se conferret, & qua pro diversorio, dum Constantinopoli mansurus esset, uteretur. Futurum verò sperabat Sultanus Corcutes, (qui olim avo Muhamete secundo moriente, per absentiam patris, in tachto sive solio regio collocatus à Genitzaris fuerat, quo patri Baiasiti regnum integrum, excluso Zeme Sultano, per hunc filium Corcutem conservaretur) ut imperium, patri ademptum, ex illo pristino iure, patrisque promisso, sibi nunc à Genitzaris restitueretur. Sed quia statim Genitzari, post sedatos tumultus, ad Sultanum Selimem veredarios miserant, qui suo nomine, certas ei conditiones offerrent, quibus admissis, spontè suâ Selimi sacramentum præstituri essent: nihil ab eis obtineri potuit, quod acta cum Selime rescindi posse negarent. Ideoque Corcuti respondentes: O Sultane noster, aiebant, ante novem decemve dies huc ventum oportuit, & priùs adeò, quàm nostros ad fratrem tuum veredarios, mitteremus. Nunc semel acta transacta, falsorum pudore nostro, quàm existimatione, re-

 tractari

tractari nequeunt; nec inveniri remedium, quo tibi consulamus. Itaq videns Sultanus Corcutes, quo loco res essent: Quandoquidem, ait, ad fratrem meum Selimem misistis, ô Genitzari, de ijs cum eo tractaturos, quæ dicitis; equidem regnum nec adfecto, nec desidero, sed ipsum Selimem ei præficiendum judico. Prætereà verum ut fatear, potissimùm hûc, eâ de causâ veni, quò fratris alterius, Sultani Achmetis successionem in regno paterno, pro viribus impedirem, cui parens noster adprimè favet, & quem missâ pecunia non exiguâ summâ iuvare voluit, uti vel largitionibus, vel copijs etiam collectis, per vim nobis alijs omnibus, imperium præriperet. Hos in itinere thesauros, equidem intercepi, & huc mecum adtuli; quò nimirum eâdem operâ patris simul, & fratris conatus irritos redderem. Nec fingebantur hæc à Sultano Corcute, sed reverâ Sultanus Baiasites pater, Achmeti filio, suis è thesauris ingentes saccos, nummis refertos, miserat: quos in itinere Corcutes ad illum perferri quùm comperisset, obviam paternis ad Achmetem nuntijs profectus, interceperat; & Constantinopolim secum advexerat. Dedit etiam Corcutes, ex interceptis hisce nummis, donativum Genitzaris, nimirùm Ceaspros, in singula capita. Ceterùm hoc statu rerum, tamdem Sultanus Selimes propius ad urbem Constantinopolim accessit. Ei Corcutes obviam progressus, ad Zecmegen, sive Pontem minorem occurrit, ut fratrem exciperet. Id autem utrimque factum in equis. Nam ijs insidentes, & salutavêre se mutuò, & dextras iunxerunt. Hinc versus urbem, inter colloquia mutua profecti, postea-

quam

quàm hanc intrassent, & iam Selimis ab hospitio non procul abessent; alter alteri rursum salvere, valeque dixit, ac deindè Sultanus Corcutes ad diversorium suum deflexit. Cohors verò quædam Genitzarorum, ante Sultanum Selimem incedens, eum cum suis ad locum deduxit, cui nomen est Genibacza, quo novus hortus significatur. Hùc Selimes divertens, sub tentoria, novis illis in hortis fixa, se recepit. Postridiè Sultanus idem Selimes, ad patrem Baiasitem se contulit, eique manum est osculatus. Compellans autem filium, pater: Equidem, ait, tibi de regno, mi fili, etiam atque etiam gratulor; idque feliciter, & auspicatò ut ineas, opto. Sanè non levibus ex indicijs animadvertimus, hanc felicitatem tibi, præ cæteris filijs meis, fuisse destinatam, ac debitam. Dumtaxat hoc unicum abs te peto, temporis ut aliquod mihi spatium concedas, heic commorandi; donec opidum Dimetoca, terræ motu nupero gravissimè succussum, dirutum, & humi prostratum, nonnihil instauretur; & heic ad iter me comparem, ut tibi cedens, illûc proficisci, quòdque mihi vitæ reliquum est, ibidem exigére possim. Ad ea Sultanus Selimes: Fiant, inquit, mi pater, omnia duntaxat arbitratu tuo. Quamobrem parari Sultanus Baiasites omnia suam ad profectionem necessaria, quodque diximus opidum Dimetocam instaurari, ac refici absque mora, maximo illuc operarum misso numero, curavit. Interim mansit suo loco Selimes; & Corcutes ad Sanzacatum, provinciámve suã rediit; auctus etiam sanzacatu Mitilines, quæ Lesbus est insula; quam priori Sanzacatui suo Aidinensi, beneficio fra-

tris.

tris adiectam; Constantinopoli relicta, marique trāsmisso, mox adijt. Deindè paratus ad iter Sultanus Baiasites, sumtis secum necessarijs, currum ascendit, ac Dimetocam abijt. Eum comitabatur Ionuses bassa, sic ipso volente Baiasite, qui hunc præcipuè diligebat, & ad mortem usque suam, secum manere cupiebat. Antequam Sultanus Baiasites Constantinopoli discederet, valedixit filio suo, Sultano Selimi; & omnes bassæ Vezires, cum Genitzaris, extra urbem cum ipso prodierunt, eumque nonnihil deduxerunt. Prius verò, quàm urbe, curru vectus, exiret; etiam Sultanus Selimes, ne discedenti patri, quâ is per urbem iturus esset, occurreret; ex hortis Genibaczeis, ad Ac-serai bazarum, hoc est, ad albi palatij forum, se contulit; ac deindè per plateam quæ longa dicitur, descendit. Interim digressus Constantinopoli Sultanus Baiasites, in itinere, quo Ionuse bassa comite, Dimetocam pergebat, graviter ægrotare, deficiētibus eum corporis viribus, cepit: quùmque iam ità progressus esset, ut inter Chapsen, quod opiduli nomen est, & Hadrianopolim veheretur: ibidem in viâ publicâ, res humanas relinqnens, animam exhalavit. Non meminêre Türcici Annales, dati à filio Selime, Baiasiti per alios veneni, quod à nostris constanter adfirmatur: ipsis tamen expositionibus horum, inter se non parùm diffidentibus. Nos plerorumque narrationes sic recitabimus, ut integrum tamen lectori judicium relinquamus. Spanduginus ait, Selimem patri adjunxisse Ionuzem bassam, qui curā ejus gereret, omnesque res patris administraret. Interim tamen secretò cum Ionuze transegisse, venenum ut patri

propi-

propinaretur. Itaque Baiasitem priùs, quàm Didimoticum pervenisset, vi veneni dati extinctum fuisse. Iovius addit, venenum ei præbitum, ab Hamone Iudæo medico. Alii memorant, Selimē metuentem, ne se bello in Anatolia, contra fratres Achmetem & Corcutem, occupato, rursùs imperium sibi vindicaret pater; corrupisse medicum patris Vstarabim, promissis ei singulos in dies annonis asprorum mille, qui reditus esset annuus 9000. talerorum, aspris 40. pro uno talero computatis. Itaque recepisse medicum, se Baiasiti venenum pharmaco mistum, ptopinaturum. Ac tradidêre quidam, venenum hoc fuisse comminutum pulveris instar, adamantem. Vstarabim in opido Tzurulo Baiasiti autorem fuisse, sumendi pharmaci, quo mirificus seni ... totius corporis & animi rediturus esset. Admonente Baiasite, medicum altero mane Sultanicum ad cubiculum venisse: quumque dormientem adhuc reperisset, exspectabundum ibidem hæsisse, donec evigilaret. Elapso temporis aliquo spatio, quùm non expergisceretur: excitare jussisse, iamque experrectum interrogâsse, pharmacone uti vellet? Illo adsentiente, Vstarabim antè pharmacis multò antè munitum, pregustatam esse medicinam, Baiasiti præbuisse hauriendā: simul cubiculariis mandâsse; ne quid ei potus subministrarent priùs, quàm benè cooperto corpore sudâsset. Indè medicum se Constantinopolim ad Selimem contulisse, qui promissi præmii loco jusserit ei caput amputari: quod diceret, hominem sceleratum, ac infidum Sultano patri, eadem usurum erga se quoque perfidiâ, siquidē locuti faceret, ab alio quopiam compellatus esset.

esset. Iovius quoque *in vitis Impp Turcic. ac in pr. rin lib. 13. histor & seq.* ut & Ludov. Tubero, *lib. 4.* bella hæc parricidalia describit: ex quo posteriora pauca hæc, transcribere lubet. Bazethes Othomanus, Turcarum rex, senio, simul & ægritudine propè confectus, intelligens se neque regendo imperio jam parem esse, neque à fine vitæ nimiùm abesse, constituit deposito imperio, unum ex liberis in locum suum regem subrogare: quo & populares imperatore regiæ stirpis non indigerent, si quis hostium, pacem eorum lacesseret. & ne, ubi ipse excessisset, regnum Turcaicum, fratrum dissidio & mutuo conflictu (sunt enim apud Turcas usitata fratrum de regno certamina) primū in multos principatus divideretur: meo divisum, & ob id debile effectum, aut hostili injuriæ expositum esset, aut per se, domesticis penis attritum everteretur. Porrò erant Bazethi multi utriusque sexus liberi, ex variis captivis mulieribus, ritu Turcaico suscepti: apud quos sanè mos est, eodem cultu habere ex ancillis natos, quo & justo matrimonio susceptos: ex quibus præter fœminas, quatuor duntaxat mares tunc supererant, cæteris (ut fama est) partim veneno, patris operâ, ob defectionis suspicionem necatis, partim morbo absumptis. Horum maximus natu, Cichanes appellatus est; post hunc Achimates fuit, deindè Corguthes, ultimum Zelynem vocârunt. Convocat igitur Bazethes seorsum singulos eorum, quibuscum de magnis rebus consultare consueverat; quò quisq; amotis arbitris, suam liberiùs promeret sententiam. Sciscitatur quémnam ex liberis suis, potiorem regno administrando censerent? Purpuratorum

op-

...ulentiores, quique ocio & quieti dediti erant, ...matem maximè probabant; utpotè mitis ...minem ingenii, nec ullâ notum in suos aspe... ...ate. Armorum verò ac belli cupidiores, Selymum, imperio magis idoneum putabant. Etenim vir ardentis animi, & bellis gerendis natus esse videbatur. Maximum natu regulorum, regno indignum omninò censebant, eò quod cervicosior esset, nec suorum consiliis obtemperans, paternæ etiam admonitionis impatiens: licet & amplissimam Satrapeam in Asia obtineret, & filium ...æ indolis haberet: cui tamen neque ordo paternæ ætatis, neque jus gentium, neque animi ...ores, regnum conciliare potuêrunt, voluntate ... obsistente. Quâ sanè insigni injuriâ, adolescens agitatus, non solùm in Achimatem regem designatum, sed etiam in ipsum avum, ingens concepit odium, quod statim detexit, quùm primùm explicandæ iræ, nactus est opportunitatē. Corguthes verò ne in consultationem quidem, utpotè virili stirpe orbus, veniebat: propterea quòd Turcæ eū regnare haud facilè permittunt, cui spes sobolis adempta est: quod quidem eo consilio faciunt, ne rege sine liberis defuncto, regnum aut omninò interiret, aut ad quempiā servorum, sobole regiâ extinctâ, delaberetur: quum omnes ferè, qui apud Turcas in summo magistratu sunt, undè gradus ad imperium facilis, aut servi sint, aut libertinæ conditionis.

11. Mores quod attinet, habitumque corporis, Baiazethem qui Othomanorum principum octavus fuit, Græcorum senum potiùs, quàm Turcarum more, prolixâ barbâ usum fuisse constat: idq; ex gravis, nec infaceti scommatis Selymi filii

mi filii dicto. Hic enim, quùm fortè Hismaeli Persarum regis legato, familiariter causam quærenti, cur subtonsâ ad mentum barba uteretur, quandò promissa potius magnos reges deceret, sicuti Vsumcassanes, & Sulthanus Campson, paterque ipsius Baiazethes, nutrire consuevissent? illicò respondit, se nolle ab ea inutili atque importunâ densæ barbæ ansâ expositum videri, ut corripi & circumduci posset à purpuratis suis, quorum improbam vim, pater indè correptus & pertractus unquam effugere nequivisset. Erat enim Baiazethes, non pertinacis interdùm, sed valde obsequentis ingenii; sic ut è media purpuratorum consultatione, nonnunquam invitus ad ea quæ nollet actionum consilia, sæpissimè raperetur; quanquam in eo non deesset bellicus vigor, constantiæ laudem affectans, & judicium in expendendis rebus, æquo & temperato principe dignum: utpotè qui Scythicæ stirpis insolentiam atque duritiem, & naturâ insitam genti violentiam, multâ præcellentium studiorum gravitate, & ex historiis sacris aptissimâ exemplorum ubertate temperaret. Naturâ siquidem, tranquillitati & sapientiæ deditus, Peripatetica Averrois opinionibus oblectabatur, placitaque Mahometanæ legis, diligentiùs quam regē bellicæ gloriæ avidum deceret, rimari credebatur. Hæc Iovius, *in Elogiis*. Tubero, *lib. 9.* De eodem Bajazete, ita scribit: Hunc finem habuit Bazethes, regum ætate suâ justissimus; & si virtus & religio extra Christianam Ecclesiam inveniri posset, cultu erga DEVM (quem tametsi trinum Turcæ nondum cœlitùs illuminati, haud existimāt; authorem tamen rerum fatentur) innocentia, huma-

...ritate, promissi fide, ac constantiâ alienæ ...continentiâ, admirandus. In hâc tamen ferè ...te, valde nec immeritò culpatur, quia cùm ...ret judices, ac præfectos suos, quã optimos ... crebrò enim eos justitiæ admonebat, gra-...batur tamen in eorum vitam, ac mores inqui-... Vndè quùm esset naturâ humanissimus, ...ituque præter illius gentis superbiam facili-... ,fraude nihilominùs aulicorum, deficienti-... querelas, nullus ferè aditus patebat. Quo fa-... sicut ipse per se nihil peccabat, ita ad vindi-... suorum peccata haud satis animi habebat. ...licet omnes ante se Othomannos reges, civi-... & pacis artibus facilè superârit, eorum ta-... bellandi studium, haud magnoperè imita-...t. Nam contentus gloriæ ac opibus à ma-... suis partis, magis tutandis, quam profe-... regni finibus incubuit. Regnavit tres & ... annos, vixit duos & septuaginta. De eo-... Camerarius in narrat. Turcicis: Fuisse Ba-...a hic fraudulenter callidus traditur, & ab ...nomen Christianum & Venetam civitatem ...mis, majoribus detrimentis affectam esse ...pore pacis, quam belli. Vtebatur autem ar-... nequaquam Imperatoriis. Vnâ ut pace, aut ...ciis factis, emitteret terrâ mariq; latronum ...tarum manus; à quibus prædæ passim a-...ntur & vastarentur loca, cùm alia, tum Dal-...tiæ, quæ tunc à Venetis tenebatur: cùm securi ...nes essent periculi, in opinione factæ pacis. ...od si mitterentur ad expostulandum, & con-...rendum de injuriis aliqui, responsum daba-... fieri illa omnia, neque volente, neque scien-... Turca. Eâ licere, bonâ ipsius gratiâ, ut compre-hen-

prehensos in facinore, laqueis suspendant. Altera fuit ars Baiazetæ, vel potiùs manifesta vis perfidiæ. Quoties enim pacem, induciasve cum Venetis factas frangere decreverat; omnes mercatores civitatis illius, in toto regno suo, iubebat in custodiam dari; bonis ipsorum confiscatis universis. Qui insuper grandis pecuniæ, & superante facultates suas summâ, redimere sese cogebantur. Vt ita in bellum sumptus, ab ipsis hostibus futuris impenderetur. Addere lubet quoque sequentia, ex Bizaro, *l. rebus Persicis, lib. 10.* Fuit Baiazetes & corpore & animo languidior, neutiquam par majoribus, aut fortunatæ audaciæ successibus, aut laborum bellicorum tolerātia: sive à natura id haberet, sive à studiis philosophiæ. Nam Sophisticis Averrois in philosophia argutiis, admodùm deditum fuisse perhibent. Nec vicit toties sua aliqua peculiari felicitate: sed ut in omni magno imperio, mole potentiæ, obvia adversaque omnia proterentis, profligantis, atque obruentis: roboreque, numero, vigore & impetu militis exercitati, nec unquam quiescentis, ut otiari & quiescere tanti exercitus non possunt.

Summarium, rerum à Baiazethe II. gestarum. 1.
De Geme, sive Zyzimo, Baiazetis fratre. 2.
Is Rhodum fugit; ac indè ad Pontificem Rom. pervenit, & veneno necatur. 2.
Pontifex Alexander, Turcos admonet, de bello à Gallis Græciæ inferendo: adeoq; etiam Status rationem, communi saluti præfert. 2.
Venetis, in Peloponneso, aliquot oppida adimit Baiazethes. 3.
Mahometanis ex lege suâ, Christianis frangere fidem licet. 3.
Mediolanensis Dux, Turcam, ad bellum Venetis inferendum hortatur. 3.

Selt-

XII *Selimus.*

A. C. 1514.

SElimus Baiazetis filius, ad Imperium pervenit. Hic fratricida immanissimus fuit: & cruentis præliis, cum Ismaele Sopho, Persarum Rege conflixit; Cappadociæ Regem victum capite mulctavit, Mamaluccos vicit, & totam Ægyptum subegit: Alcairo captâ, & Tomumbeio Mamaluccorum Sultano, ante Regiam suspenso.

2. De fratricidiis autem Selimi, Annales Turcici, ita scribunt. Mortuo patre, profectus est Sultanus Selimes, universis cum copiis in Anatoliam: quùmque jam pervenisset Engurim; frater ejus Sultanus Achmetes, ad fines Arabicos profugit. Quod ubi Selimes accepisset, itinere mutato, Prusam rediit: ibique Mustapham bassam, cum aliquot fratrum suorum filiis, strangulari curavit. Indè Manissam, contra fratrem, Sultanum Corcutem, movit. Sed is TeRiensem in provinciam abiit; quo cognito, primùm è janitoribus suis, quem AzemimCasanem Agam vocabant, fratrem à tergo persequi jussit. Is adhibitâ diligentiâ maximâ, tamdem illum in specu quodam deprehendit, & cepit: jamq; captum, ad herum suum Selimem adducens, obvios habuit nuntios, apud opidum Egrigos: ubi mox de mandato Selimis, Corcutes strangulatus, & cadaver ejus Prusam vectum, ibidem monumento fuit illatum. Quùm autem Sultanus Selimes, etiam

m alterum fratrem suum, Sultanum Achme-
em, magnoperè cuperet in potestatē redactum;
stu excogitato, Bassarum & Genitzarorum no-
ine, litteras ad eum perscribi jussit, quarum
tterarum hęc erat summa: Sultanum Selimem,
udeliter in omnium sævire vitam. Eâ de causâ,
jam pertæsos esse pumilionis istius. Prodiret
odò Achmetes, ac se conspiciendum præberet:
ox ei se captum Selimem tradituros. Data ve-
fuit opera, ut ejusmodi litterarum exempla
vel LX. Sultano Achmeti redderentur. Itaque
umero litterarum deceptus, fidem eis habuit;
cum milite Caramano suis è latebris in aper-
m prodiit. Quotquot erant cum eo proceres,
nc profectionem dissuadebant; & futurum a-
bant, ut circumveniretur. Sed ipse litteris illis
hibitis, ac perlectis: Demus, ait, exempla vi-
nti harum litterarum, esse falsa & commenti-
a; num idem de ceteris quoque pronuntiari
portet? Itaque suam sequutus opinionem, co-
as in fratrem duxit. Quùm in planiciem per-
nisset ad Neapolim Caramaniæ, ab exercitu
ltani Selimis obrutus, parùm cum suis stre-
iè rem gessit; ac victus, fugæ se dedit: in quâ fu-
captus Achmetes, & strangulatus fuit. Extin-
i cadaver Prusam deportatū, & ibidem in mo-
imento fuit conditum. Hæc autem acciderunt
nno C.1513. Meritò ergò Leunclavius, Pand. c.
2. & 206. de Selime ita scribit: Sublato de me-
o patre, progressus est Selimes ad immanem
viciam, fædaque parricidia, solus ut rerum
tiri posset. Colligamus immanis jam belluæ,
ritatis inauditæ facinora. Primùm octo parri-
dia, prorsùs enormia; quibus patrem veneno

peremit, Achmeti Corcutique fratribus duobus, & quinque fratrum filiis, laqueo fauces elisit: procerum deindè maximorum cædes totidem. Mustaphæ bassæ Vezirazemis, Cheudeni bassæ, Ducaginoglis Vezirazemis bassæ, generi sui, Ischenderis itidem bassæ generi, Tazitadis Cadilescheri, Balis Gemis Seguanis bassæ, Chuseinis bassæ Veziris, & Ionucis bassæ: quæ sanè omnia quonam modo legatus Venetus, Aloysius Mocenicus, usque adeo elevare potuerit, ut nihil fuisse barbarum in hoc tyranno dicere sit ausus, mihi quidem mirari subit. Repetit eandem historiam idem Leunclavius lib. 17. hist. Musulm. & inter alia, ita scribit: His rebus gestis, licet æmulum regni præcipuum Achmetem, Selimes è medio sustulisset; è vulgi tamen sermonibus animadvertebat, necdum ita sibi stabilitatum imperium, ut de eo sine controversia deinceps retinendo, securus esse posset. Quippè fratrem alium adhuc superstitem habebat, Sultanũ Corcutem; & fratrum præterea filii non pauci superabant. Sultanus Corcutes ad Manissam, priscis Magnesiam dictam, degere solebat. Alemis autem Schachi, Tzihanisq; Schachi, fratrum iampridem extinctorum filii, prorsùs à Selime sibi non metuentes, sed ipsius bonitate potius & clementia freti, de ineunda fugâ, ne quidem hactenùs cogitaverant. Igitur ut incolumitati principatus sui, maturè Sultanus Selimes consuleret, Frakiches & Meulanas suos (hi barbaris Doctores sunt, & legis periti) convenire jussit, & omnibus ad concilium arcessitis: Quid vobis, ait, definiendum, in hujusmodi quæstione videtur? præstátne tolli de medio quinque, vel octo, vel

etiam

etiam decem potius, quàm ut populis regni totius inter se divisis & adflictis, ipsa respublica detrimentum, non sine vastitatis extremæ periculo, capiat? Responderunt illi, juris & legum Muhameticarum periti, sine dubio fore melius, ut homines octo vel decem desiderentur; quàm uti tot regiones, gravibus turbis ac tumultibus involvantur: quorum finis alius esse non possit, quàm ut tamdem ad deplorandam vastitatem, & exitium extremum redigantur. Hâc eorum intellectâ sentētiâ, statim Sultanus Selimes coire palatinos ministros, & milites suos jussit omnes, velut ad conventum & comitia, (Divanū Turci nominant) in quibus de summâ republica, communibus omnium sententiis & suffragiis decerneretur. Posteaquam convenissent, ex ipso prodiens ad eos conclavi suo Selimes universos interrogavit; an suis parere vellent imperiis, an dicto audientes esse? Ad ea respondentes, unâ voce palatini omnes: O Sultane noster, aiebant, non est quod de fide nostrâ, deque nostris obsequiis & obedientiâ dubites. Nullis heic opus verbis. Ipsâ re periculum facito. Tum vicissim Selimes: Facturine igitur estis, quod mandaturus sum? Impera duntaxat, inquiunt, effectum dabitur. Ergò, subjecit Selimes, hâc horâ vos initium facere volo perquirendi fratris mei Corcutis, & omnium quos fratres mei post se reliquêre filios, ut inventi captique, statim ad me perducantur. Pessimè profecto vobiscum agetur, si culpâ negligentiaque vestrâ, vel unum solùm evadere fugâ permiseritis. His auditis; mox in cohortes & manipulos divisi Genitzari, ad ea loca se cursitabundi contulerunt, quasiq;

avolarunt; quibus in locis & Corcutes, Sultani Selimis frater, & ejusdem Selimis fratrum filii degebant. Quùmque maius à fratre Selimes, quàm à fratrum filiis, tam sibimet ipsi, quàm regno periculum imminere judicaret: capiendi Corcutis negotium ipse sibi sumsit, eoque nomine cum parte copiarum exiit. Hoc modo dispersis undique non paucis, & subitâ quidem profectione, quæ nemini quærendorum in mentem venire potuisset: inventi fuerunt omnes, & in potestatem à Selimiis redacti; qui sine mora captos abduxêre secum, & Sultano suo stiterunt, uti facere jussi fuerant. Is vero fauces eis obstrui, & guttur elidi præcepit. Proditum historiæ monumentis est, uno & eodem tempore septem numerata fuisse funera necatorum; & in his unũ fuisse Sultani Baiasitis filium Corcutem, ceteros sex eiusdem è filiis natos nepotes. Hinc Burusam deportati fuerunt omnes, & illic, pro more prisco, majorum suorum Osmanidarum monumentis adgregati. Turcorum quidem vulgus universum, ob mortem Sultani Corcutis, & Muhametis Zelebis, Tzihanis Schachi filii, graviter indoluit, & hos duos inprimis deploravit; quùm liberè dicerent, eos ingenti cum reipublicæ damno, nec sine scelere cæsos. Ne quidem ipse Sultanus Selimes à lacrumis abstinere potuit, quibus largiter & amarè profusis; ad aliquod tempus eis parentare non desiit. Acciderunt autem hæc Anno Christi 1512. Videri etiam hisce de rebus potest, Ludovicus Tubero, *lib 9.*

3. Et adhûc quoque ex Iovio, *de Gestis Impp. Turcics, in Vita Selimis a pr.* referre lubet quâ occasione Mustapha Bassa fuerit interfectus. Quùm

Quùm Aladinum & Amurathem, Acomathis filios, post paternam fugam, cum exercitu, recuperandæ regionis causâ, venisse Amasiam versus audisset, equitatum in eos, qui comprehensos interficeret, immittere Selimes decrevit. Id consilii Mustapham Bassam ad pietatem inflexit: jam enim eum pœnitere inceperat, occasionem præbuisse, ut & Baiazethes, & tot juvenes infantulique sanguinis Ottomannii, fuissent interfecti. Quamobrem Acomathis filios adeò & secretè & celeriter admonuit, ut ante Imperatorii equitatus advẽtum, ad montes aufugerint. Selimus autem qui homo astutus erat, statim animadvertit, Mustaphæ operâ juvenes evasisse. Vndè etiam ob eam suspicionem Mustapham Bursiæ suffocari, ac nudum cadaver in publicâ viâ canibus exponi jussit. Et talem quidem Mustapha meritorum suorum gratiam recepit: quia apud malum principem, vel minima offensiuncula pluris æstimatur, quàm acceptorum quamplurium officiorum obligatio. Sed eâdem de re ita Tubero, *lib. 9.* Erat apud Selimem, vir dignitate primus, Mustapha nomine, Macedo natione, avaritiæ ita deditus, ut nihil ferè esset, apud ullã gentem tam sanctum, quod ille oblato precio non contemneret. Qui quum animadvertisset, Selymem his valdè infensum esse, qui in magistratu constituti, pecuniæ nimium studerent: nec posset cupiditati suæ (nempè quæ longo usu, altissimas miserat radices) imperare, veritus, ne quod ipse multis annis malis etiam artibus cõgessisset, unius horæ spacio, unâ cum vitâ amitteret; vir cautus & satis prudens, victus avaritiâ, temerarium ac sibi perniciosum cepit cõsilium,

ut Selyne dolo necato Achimathem in regnum vocaret. Consilii autem exequendi, hæc illi obvenit occasio. Audierat Selynem dedisse quibusdam ex suis negotium, ut puerum elegantẽ, tonsoriæ artis peritum quærerent; cuius ministerio ipse esset usurus. Itaq; ratus tonsoris operam, ad Selynem necandum peridoneum fore; dat ad Achimathem Othomannum litteras, cuidam ex intimis servorum, quibus consilium suũ illi modumque rei agendæ significavit. Achimates nactus talem interficiendi Selynis occasionem, utendum eâ statuit. Igitur tonsore ex voto Selynis invento, eum Mustaphæ Macedoni clam dono misit. Hunc autem puerum, ita alieno nomine atque opera emerat Achimates, ut ne suspicari quidem puer ipse posset, se esse ab Achimate emptum. Macedo confectâ pilâ è sapone, quo partes corporis radendas tonsores illinunt, eam omnibus inscientibus, veneno aromatibus commixto, infectam; quod crebro attritu mortem inferret, thecâ corneâ includit, pueroque servandam dedit. Quem priusquam ad Selynem perduceret, docet consilii sui omninò inscium, illâ solâ pilâ, quæ radenda essent in rege, illinere. Turcæ autem caput, & magna ex parte corpus reliquum, præter superius labrum radunt. Re hunc in modum compositâ, hortatur Achimatem, missis ad eum litteris, plumbeâ pilâ inclusis, ut cum exercitu propius Prusam accedat, occasionique suæ non desit: iisdem litteris, ei cuncta quæ parabat ordine præscripsit, mandatque insuper, vel lectis litteris tabellariũ extemplo interficiat, ne si consilium parùm procederet, certò ejus vitæ periculo emanaret. Nurtius

tius ad Achimatem profectus, conspectâ episto lâ præter usitatum modum plumbo inclusâ, re insolitâ permotus, veritusque (ut est in his suspicax mens humana, quæ ad propriam salutem pertinere putat) ne sibi ipsi, illis litteris perniciem portaret, confracto plumbo, amotoque involucro eas aperit, & ubi quod suspicatus erat, exemptâ dubitatione comperit; ancipiti malo consternatus, cæpit cogitare quid consilii in tali casu sibi esset capiendum? quidquid autem metus, aut spes subjecerat, diligenti æstimatione pensabat: pergamne quò missus sum ire, & scelesti domini exequar mandatum? atque ne immeritò quidem me oprimi patiar? Porrò si regressus Prusam, rem Selyni indicavero, nullam, indicio non fide, sed necessitate expresso, gratiam initurus sum. Tandem animo diù in diversa versante, tutius visum est (quò & ultio, atque ira in dominum, non immeritò concepta, impellebat) ut rem ad Selynem deferret. Itaque omisso instituto itinere, Prusam repetens, noctu ad Selynem clam pervenit; ostendit, se ad salutem regis pertinentia afferre. Admissus in tabernaculum, quæ in caput regis Macedo moliebatur, omnia ordine exponens, indicavit, prolatisque litteris manu proditoris exaratis, indicium cõfirmavit. Selynes, cujus animo lectis litteris ingens est incussa sollicitudo, indicem vinciri, atque in crastinum diem, asservari jusso: periculum suum animo volvendo, noctem vigiliis extraxit; primaque luce proditorem accersit. Reus arbitratus, nemini facilè persuasum iri, fortunã suam novarum rerum studio idoneam, crimen inficiatur: licet eum vultus orationi dispar, satis

proderet, trepidatione conſcientiam indicante. Et quùm neque minis, neque tormentorum aſpectu, ad ſceleris confeſſionem cogi poſſet, indicis admonitu, puer tonſor accitur: Interrogatur undè ad Macedonem perveniſſet? Ille, nulla pavoris ſigna præ ſe ferens; fatetur ſe à quodam, privato quidem homine ad Muſtapham miſsũ: ſed nullius maleficii à quoquam mandatum accepiſſe; nec ſe conſcium ullius noxæ in regem eſſe. Et re verâ pilam illam tonſoriam, de quâ paulò antè retuli, veneno imbutam fuiſſe, puerum omninò latebat: tutius enim parricidæ viſum fuerat, à tonſore ſceleris imprudente potius, quàm à conſcio tantum facinus perpetrari. Itaque reus veneficii manifeſtus (regi enim, quo nihil indicio deeſſet, in cane venenum experiri placuerat) carnifici traditur, cujus ubi gula laqueo fracta eſt, liberi etiam confeſtim necati ſunt: bonaque omnia in fiſcum relata. Mox de tonſore quoque ſupplicium ſumptum, qui ſanè non ut conſcius; ſed æquè ac inſtrumentum ſceleris, interfici juſſus eſt. Indici vitâ ſolùm conceſſâ, præmium nullum datum: quandoquidem corruptâ proculdubiò fide, tantò pòſt quæ ſciverat detuliſſet; & id ſuo non regis periculo motus feciſſet. Caſus hujus viri, prudentiâ: ſi calliditas eo nomine appellanda eſt, divitiis ac dignitate apud Turcas inſignis, declaravit mortales auri nimiùm avidos, non modo ſapientes eſſe non poſſe, verum etiam dementiſſimos eſſe.

4. Porrò Iovius lib. 5. Elogiorum, Magni Numinis providentiâ factum fuiſſe, refert, ut vis indomita & inſuperabilis Selimi, ſeſe in orientem effunderet; ut Europæ inteſtinis bellis laboranti, par-

ti, parceretur. Sed dum in Oriente occupatur Selynus, eique Christiani, captatâ eâ occasione, incommoda maxima inferre potuissent, interim funestis bellis se invicem oppugnârunt: Selynus namque ad imperium pervenit, illis ipsis diebus, quibus Galli atque Hispani, famoso prælio inter se Ravennæ conflixerunt, *Iovius de vitis Imperatorum Turcarum.* Regnanteq; Selymo quàm multa in Italia bella gesta, & quoque in Germania nostra, religione mutatâ, semina plurimorū motuum sparsa fuêre. *Dornav. de incrementis dominatus Turc. sub An. C. 1516.*

5. Et quidem referentibus Annalibus Turcicis, Sultanus Selimes, jam solus imperio tranquillo potitus, quàm primùm ad bellum gerendum adversus Ismailem, Schachum Parthorum, se comparavit. De causâ verò hujus belli ita Leunclavius, lib. 17. Schachi Persarum, Ismailis Kisulis bassæ legatus, leonem secum adtulerat, quē principis sui nomine, Selimi donaret. Ejusmodi muneris oblationem, Sultanus Selimes iniquo ferens animo, nō parùm indignatus est, leonem à Schacho Ismaile sibi missum. Quid hoc esse rei dicam? inquit. Itane princeps ille nobis infestus, ex merâ quadam animi malignitate, feram nobis immanem, quæ discerpere quosvis obvios solet, huc misit? Hæc dicens, Ismailis legatum, nullo nec in honore, nec in pretio habuit, ac ne respicere quidem voluit. Quumque domum deindè, suum ad principem, remittendus esset: vicissim aliquot canes magnos, oris fœdi, legato tradi jussit; quos secum in Persidem abduceret, ac principi suo, Schacho Ismaili, nomine Selimis offerret. Simul suis præcepit, ut

absque morâ legatum hunc Persicum, trans Bospori fauces in Asiam vectum, extra fines Osmaneos properare juberent. Hoc modo dimissus ille, discessit. Quùm autem Schachi, sive regis Persarum Ismailis orator ad herum suum, legatione perfunctus, rediisset; quàm indignè ab Osmaneorum Sultano exceptus habitusq; fuisset, exposuit. Commotus injuriis hisce Schachus Ismail, hostili erga Selimem animo esse cepit. Ne tamen ipse, primus violatæ pacis auctor esse videretur, Sultano Murati Zelebi, Sultani Achmetis filio, qui patre contra Selimem infeliciter rē gerente, Persicos ad fines profugerat, ut Kisulis bassæ patrocinio tutus adversus insidias, & vim patrui Selimis esset, exercitum suo cogere permisit imperio; quod vindicandæ necis paternæ causâ, ditionisq; recuperandæ, quam pater possederat, Selimi bellum faceret. Venit is in Anatoliam cum hisce copiis, & Osmaneis in provinciis longe lateque grassatus est. Tum verò, magni per Asiā universam extitêre motus; quòd passim ab omnibus dictitaretur, haud dubiè Schachum Ismailem, qui Sultanum Muratem, Achmetis filium, exsulem tutandum suscepisset, propediem magno cum exercitu venturum, Asiæque provincias omnes occupaturum. Et mirificè propensi erga Schachum Ismailem Anatolicorum omnium erant animi. Hoc rerum statu, quùm primum ver adpetiisset, misit Sultanus Selimes in omnes imperii sui provincias veredarios cum litteris & mandatis, tam in Europæam quam Asiaticam Rumiliam; quibus universis ubicunque locorum subditis suis significabat; constituisse suo se cum animo quandam

dam expeditionem momenti maximi suscipere. Propterea singulis & omnibus mandare, quàm-primum ad eam ut se pararent; atq; ita sibi prospicerent, ut instructi rebus ab omnibus, ad continuandam anno integro militiam essent. Cogitare nimirùm se, de bello Kisuli bassæ summis viribus inferendo; nec finem progrediendi adversus hostem facturum, donec ad Azemiorum regiam Tebrisium pervenisset, & ipsum Schachum Ismailem, vel in ordinem redegisset, vel etiam fortunis & ditionibus universis exutum penitùs evertisset. Id nisi factum esset, nunquam se suos intra fines reversurum, aiebat. Maximas igitur ad hoc bellum coegit copias, & preter adparatus omnium rerum insignes, quos fecit, etiam thesauros secum sumsit amplissimos, quibus alere militem posset. Hadrianopoli deindè relictâ, Cōstantinopolim profectus est; ubi trāsmissis versus Vscudarim (Scutarium Græci nominant, veteres Chrysopolim) Bospori faucibus, Anatoliam ingressus est. Occurrerunt adventanti exercitus Anatolici, seque cum eo conjunxerunt. Referunt auctores historiarum, in Selimis exercitu, posteaquam milites omnes ad eum jam confluxissent, numerata fuisse hominum ad trecenta millia. Currus præterea trahebantur ab equis octingenti, tormentis duntaxat bellicis onerari, quas bombardas dicimus, & alio rerum, ad expeditiones bellicas pertinentiū, adparatu. Nullus unquam princeps Osmaneæ stirpis, maiores ante hoc tempus coegisse copias fertur. Tam igitur insigni cum exercitu Sultanus Selimes contra Persas profectus est. Quum autem nuntiatum Schacho Ismaili esset, Sulta-

num Selimem Osmanidam, Rumiliæ tam Europeæ, quàm Anatolicæ imperatorem, tanto cũ numero militum & adparatu bellum ipsi Schacho illaturum, finesque Persicos ingressurum: etiam ipse veredarios in regiones ac provincias suas omnes dimisit, qui subditis universis denũtiarent, ad bellum uti quisque se quamprimum pararet. Quo factum, ut cunctis edicto parentibus, exercitus ampli sanè cogerentur. Prætereà regionum illarum incolis, per quas Sultanus Selimes cum suis transiturus erat, à Turcis imminentia proposuit ante oculos pericula; quibus perterrefacti, tanto lubentiùs ex iis locis migrarent, & alias in regiones ultrò distributi se conferrent, in quas deductos hujus duntaxat expeditionis tempore, Schachus Ismail cupiebat. Id autem eo Kisulbassa consilio faciebat, ut iis in provinciis solitudo mera quædam efficeretur, per quas Turcorum ducendus erat exercitus. Quippè si hoc fieret, futurum non ignorabat, ut Sultani Selimis copiæ, nullas illic annonas, pabula nulla reperientes, ad extremam rerum ad victum tam hominum, quàm jumentorum pertinentium, penuriam redigerentur; & absque ulla clade sui militis interirent. Non infeliciter hoc Schacho Ismaili consilium cessit. Sultanus enim Selimes VsunChasanis regnum post hæc ingressus, omnia passim loca, per quæ iter ei faciundum erat, vastata reperit, ac deserta. Quumque semper ulterius, hostis quærendi causâ pergeret; jamque non procul à Schachi Ismailis regiâ, pervenisset in campum, sive planiciem, quæ Casuitzun nominatur: exercitum Schachi Ismailis, illic tandem invenit, eumque vidit

vidit in ea planicie castra metatum, hostis adventum opperiri. Non ignoraverat Schachus Ismail, quanto cum exercitu Sultanus Selimes in Persidem irrupturus esset. Ideoque ne suos temerè, tam numerosis Turcorum copiis obiiceret, ac prælio ingenti semel ab hoste victus, in periculum amittẽdi totius regni veniret: omnes omnium regionum suarum milites, & quascunque suis à populis vires habere poterat, coegit; ut multitudine licet inferior, non aspernandum tamen exercitus robur adduceret, de quo Turci victoriâ potiri non sine sanguine, multoque labore, nec minori periculo, possent. Collegerat enim è suis, ultrà septuaginta, vel ad octoginta potiùs hominum millia; qui non more Turcorum ferè inermes erãt, sed omnes armis ferreis, instar Europæorum gravis armaturæ militum, egregiè instructi. Cum his in planicie, superius indicatâ, perquam confidenter Sultani Selimis adventum præstolabatur; ut animosè cum eo confligeret, cruentumque de rerum summâ certamen iniret. Posteaquam igitur exercitus hi duo maximi, mutuum in conspectum venissent, subsistere Sultanus Selimes suos, & castris locũ capere jussit. Indè quanto posset opere, manus ad conserendas properans, aciem suorum, certos in ordines, series, cohortes aptè distributam, instruxit. In latere dextro copias Europeæ Rumiliæ collocavit, Anatolicas in sinistro disposuit. Europeæ Rumiliæ beglerbegus id temporis, Chasan bassa, in dextro; Sinan bassa, beglerbegus Anatoliæ, in lævo cornu curabat. Sultanus autem Selimes Azapos, quos Zelebes sive nobiles barbari vocare consueverunt, proximo ante

Rumiliæ militum aciem pergens, pari felicitate rem in illos etiam gessit; quibus sanè fusis ac fugatis, beglerbegus horum, & dux, Chasanbassa, peremptus ab hoste cecidit. Quibus ei rebus tā prosperè succedentibus, mox in Sultanum Selimem, rectà cum victricibus turmis suis contendit. Selimes autem, Schachum contra se venientem conspicatus, Genitzaros suos, quorum acie stipatus erat, adloqui cepit; eosq; militari paucorum verborū exhortatione pristinam ad virtutem, generosos ut animos, & manus invictas, tam necessario tempore, principi suo probarent, incitans: Hem mei Gasilari, hem mei stren[illegible] milites, ait, nunc tempus est navandi præclaram in oculis Imperatoris vestri operam, nunc oblata vobis occasio rei fortiter & animosè gerendę. Efficite quæso, viros ut esse vos videam. His dictis, universum militiæ palatinæ, quo circumdatus erat, exercitū, in Azemios Schachi Ismailis, pedem inferentes, immisit. Nec minus Sinanbassa, cum Anatolicis militibus, eumdem Schachum Ismailem à tergo summis viribus invasit, cominusq; rem gerere non dubitavit. Hoc modo Schachus Ismail, ab utriusque copiis interceptus; ex una parte, perpetuis bombardárum maiorum, & sclopetorum ictibus adpetebatur, ab alterâ cominùs pugnare cogebatur. Quumque Turci stragem ingentem Persarum ederent, tandem Schachus Ismail cum suis cedere coactus, & lutosum quemdam ad amnem ejus loci, Turcorum vi pulsus fuit. Fortissimè tamen se gessit Schachus Ismail, cum Azemiis suis, utpote qui ab horâ Cusluci (medium hoc temporis intervallum est, inter ortum solis ac meridiem)

usque

uſque ad horam IKindi, quâ tertia fere poſt meridiem hora denotatur, more noſtro veſpertinâ dictâ, prelium continuare non deſierit; adeo quidem, ut totis haud dubiè ſeptem horis, omnium acerrima poſt homines natos pugna duraverit. Nihilominùs animadvertit ad extremum Schachus Iſmail, nihil ſe tantâ contentione virium, cum ſuis adverſus Oſmanєos dimicando proficere; quibus longe numero militum impar eſſet, jamque adeò rem eò deductam, capitis ut diſcrimen tam ſibi, quàm ſuis adeundum eſſet. Accedebat & alia cauſa, quod ictu ſclopeti læſus, minimè vulnus id negligendum putaret. In hiſce dum cogitationibus verſatur, recens Turcorum agmen impetu vehementiſſimo in ſe ferri videt. Tum vero converſis, absque dilatione longiori, habenis ex acie ſua ſe proripit, & mōtis ad cujusdam vicini crepidinem, equi curſu incitatiſſimo properans, fugæ beneficio velocis, ex hoſtium manibus elabitur. Exercitus Iſmailis à Selimiis cæſus occubuit. Tentoria Perſarum, cum theſauris regiis, cum veſte, cū tachto vel throno regio, cum omnibus impedimentis, cum camelis & mulis, cum omnis generis annonis, in Turcorum poteſtatem venerunt. Tanta butyri, tanta mellis aderat copia, vix ut oculi ad inſpectandas res hujusmodi, ſufficerent. Capta quoque fuit ipſius Iſmailis uxor quædam, ac magno præterea numero mulieres Perſicæ: quarum opes erant immenſæ propemodùm, quas ſecum vehebant. Innumerabilis Perſarum multitudo, tam inter præliandum, quàm poſteà periit. Concludit denique narrationem hanc, epiphonemate tali, ſcriptor hiſtoriæ Turcicus, ut di-

ut dicat; inter maximè diros & horribiles dies, unum hunc judicii diem fuisse. De bellis item Persicis à Selimo gestis, plura *libr. 10. rer. Persicar.* Bizarus habet: ibique inserta est Henrici Peniæ Epistola, satis prolixa, ad Cardinalem Saulium, de gestis Ismaelis contra Turcas. Camerarius verò *in narrat. Turcicis fol. 68.* breviter rem ita narrat. Selimus animo jam securus, patre, fratribus totaque cognatione è medio sublatis, bellum inferre decrevit Persæ, simul impulsus odio veterum inimicitiarum, simul & offensus recente injuriâ, quòd ille auxilia contra se fratri misisset. Id ut gerere facilius posset, pacem fecit cum Hungaris, & cum Venetis jam factam renovavit. Atque ita exercitum contra Persas eduxit. Neq; Sophys defugit congressum, estque inter hos potentissimos principes, & maximos ea tempestate bellatores, commissum prælium in campis Calderaneis, quo loco olim Artaxata fuere. Tūc Persâ victo, magna pars terrarum ditioni Ismaeli subjectarum, in potestatem Turcarum venerunt; sed celeriter recuperatæ sunt post discessum Selimi. Victoriam illam partam à Turcis accepimus bombardarum insueto sonitu perculsis equis Persicis, & globis illarum turbatis ordinibus. Auditamque ferunt vocem Ismaeli: Fulminum tunc violentiâ & impetu, non hominum virtute & robore, Persas esse superatos. Et quidem Georgius Menanimus, qui sese Persicæ pugnæ huic interfuisse scribit; primùm quidem Persas tormentis bombardarum & prostratos & datos in fugam esse tradit, neque pauciores XX. M. militibus cecidisse. Sed ab his recollectis, cum Euphratem traduxisset copias Selimus, tam

CX iter-

ex insidiis, quàm aperto Marte, maximis detrimentis Turcas affectos. Denique Selimum ita discessisse, ut ingenti clade acceptâ, & suorum plurimis amissis, ipse fugiendo Euphratem rursùm transierit; & evaserit, quod interrupto ponte à Selimo, Persæ ab insequendo ipsum retardarentur. Persica itidem bella, à Selymo gesta, describit Iovius, *in vit I. pp. Turcic. Et ide hist. lib 14.* inter Selimum, & Ismaelem, ac utriusque militiam, cõparationem instituit, & ita inquit. Ambo sicuti inclyto genere, ætate integrâ, immenso indomiti corporis, ac ingentis animi vigore, opibus, & pari denique imperii fortunâ persimiles, parem claritatis & gloriæ famam obtinent: ita moribus institutis & disciplina militiæ multum inter se differunt. Primùm omnium, ut prçclarè constat, supra mutuum utriusque gentis odium, ab avis patribusque per manus traditũ, insanâ persuasione deducti, inter se de sacrorum placitis altercantur: quùm hic Homarem, ille Halym, præcipuos Mahometis interpretes, diversâ superstitione diffidentes, altero sanctioré existiment; ac imagine pietatis, justam belli causam prætexant: Quanquam non obscurè dissimulatâ cupiditate, ad id unum, sed diverso itinere contendant; ut confirmatis auctisque opibus, tot regnorum termini, quam latissimè proferantur. Quòd ex professo Hysmael, ad Darii atque Xerxis, qui subactâ Asiâ in Europam ingenti ausu traiecerint; & Selymus ad Alexandri Macedonis, qui regna Persarum everterit, magnitudinem & gloriam aspirent. Nec inanibus omnino votis, quùm honesto tuendæ religionis nomine, Fortuna, pari libidine, ingenio eorum ambi-

ambitioſo, audaci, immoderatoque intemperanter arrideat. Quam nõ abſimili turbatæ priscæ religionis occaſione, à Luthero Saxone nu perinvectâ, Chriſtianas quoque gentes inter ſe digladiari videmus: quaſi cœlum aliquo ſingulari ſydere pacem & tranquillitatem, noſtro huic ſeculo prorsùs invideat. Sed in Hyſmaele mira pietas, uſque adeò refulget, ut vitia, ſi qua ſint regii faſtus, ejus fulgore perſtringantur. In Selymo autem, omne virtutis decus, inhumana crudelitas elidat, & obſcuret. Hic enim pœnâ, & præmio vim imperii tuetur; ſed aliquanto graviore ſeveritatis, quàm beneficentiæ fama quòd ab exactâ diſciplinâ in ſervos, quibus multò maxima Othomannicæ militiæ pars conſtat, lege agere, vel truculenter expediat. Secùs ac uſu evenit Hyſmaeli: ex prima utique nobilitatis claſſe, liberisq; hominibus militiæ robora conſcribenti; apud quos temperatæ juſtitiæ, humanæ comitatis, & popularis indulgentiæ ſtudium, maximè valet. Ad hunc quoque maximarum virtutum concurſum, pulcherrimo naturæ munere, decora facies accedit, magnanimo digna rege: ore namque roſeo, radiantibus oculis, flavâ barbâ, & quod antiquum apud Perſas regiæ ſtirpis inſigne eſt, adunco naſo, illuſtrique facundiâ, omnium oculos, atque animos capit. At in Selymo, triſte ſupercilium, prægrandes torvique oculi, & Scythico pallore ſuffuſa facies, rigentesque ſetæ, à ſuperiore labro ad cervicem retortæ, & nigricans ad mentum ſubtonſa barba, ita vim militarem, & inexorabilis naturæ ſpiritum exprimunt, ſpectantesque perterrent, ut nihil omninò niſi ſævum & immane prorſus oſten-

causâ die Veneris, qui Turcis est festus, in publicum prodit. Sed adeò prætorianorum turbâ circumseptus, ut ægrè vel ipse solus eques, inter hastatos cristatosque milites, & superbè submoventes spectantium turbam, ex facie dignoscatur. Nec temerè equo vectus, in suburbanis prædiis spatiatur, quùm per freti angustias, ad Asiæ propinqua littora, bireme advehi malit. Vxores à regiæ limine procul arcet, quas tantùm prolis causâ, nec familiari quidem vultu complectitur; quod natura modicæ libidinis, & in mares pronior, corpus atque animum virilem, fœminarum illecebris enervari existimet. Raro itaq; ad claustra virginum, quæ sunt mediâ in urbe Byzantio, altis, & undique cæcis parietibus septa, contendit. Has magno numero Christianis parentibus ereptas, aut à prædonibus variis interceptas casibus matronæ insigni pudicitiâ, & vetuli spadones, accuratè custodiunt. Mahometanisque sacris initiatas diligenter erudiunt, ut Arabicè legere, ad harpem & cytharam psallere, saltareque decenter, & acu scitè pingere perdiscant. Verùm eas Selymus, omnium rarissimè invisere consuevit; utpotè qui minimè mulierosus, nec numerosæ sæpeque infaustæ prolis cupidus, non ex servili Christianoque sanguine, sed ex Bosphorani regis filiâ Tartarorum stirpis, unum imperii hæredem Solymannum imberbis adhuc adolescens susceperat. Otium porrò, si quod impensè vigilanti & semper intento, ex gravissimarum rerum consiliis superest; accito in hortos aliquo purpuratorum, aut familiariũ deambulando ita traducit, ut quùm longè severeque puerorum colludentium palæstram spectet,

ctet, de feriis multa sciscitetur atque deliberet: secretiores verò, mollioresque horas balineo, evoluendisque maiorum suorum, & externorum regum annalibus impartiatur. Hoc quoque studio, avum Mahometem æmulatus, qui gentium propè omnium reges, rerum bello gestarum fama inclytos, versis in Turcicam linguam historiis: non modo scriptis, sed imaginibus excellenti picturâ expressis repræsentari sibi curabat: impetrato à Venetis ad id munus Gentile Bellino pictore præstantissimo: ut gravibus exemplis, magis ac magis ad extendendam famā accenderetur. Vir enim ille, ex arcano animi omnis religionis contemptor, unis tantùm bonæ Spei, bonæque Fortunæ, tanquam certis numinibus sacra faciebat. Vt non ineptè modò Selymus, Bazetis patris occupationes, atque vigilias irrideret; quòd Averroi nihil pro certo de natura animorum, & cœlestis motus ratione explicanti, æquo impensiùs deditus, arguti philosophi inter ociosos sapientiæ professores, quàm inter milites ad arma natos strenui imperatoris nomen tueri mallet. Cæterum Hysmael uti ab ineunte ętate, sacris imbutus literis, disciplinarum propè omnium studia præalto ingenio ad contemplationem rerum divinarum ita referebat, ut vetere Magorum & Brachmanorum arcano dogmate, seipso, admirabilior evaderet: quùm jam pridem cœlestis sapientiæ, & divinationis opinione, apud gentem religionibus atq; miraculis capi facilem, incredibiles victorias, & tantùm deniq; imperium, sibi novo propè homini peperisset. Diversissima porrò, & ut mihi videtur planè iniqua Persæ conditione bella gerunt.

Nam

Nam ii, ſicuti equitatu mirifico maximè pollent, ita nullum omninò certum ex conſcripto inveteratoque pedite robur inſtituunt: quâ parte virium, Turcæ ætate noſtrâ memorabiles ſæpè victorias conſecuti, nec uſquam victi, graviſſima bella confecerunt. Magno quoque incommodo Perſis evenit, quòd nec ſclopettis utantur, nec tormentorum currulium copia abundent; quorum terribili præſidio cuncta pervincuntur. Neque enim ulla in parte Perſa cataphractus, cum inermi propè Turcâ videtur comparandus. Nam ſquamoſi thoraces, loricæ ferreæ, bucculatæ caſſides, & cono inſignes galeæ, clypeique auratis umbonibus rotundi, Perſas undiq; protegunt; Turcam verò ex Europâ, penitus inermem, vix dimidium quadrata & inflexa pelta operit, quùm Aſiatici clypeis molli arundine in ſpiras & diſcolore ſerico contextis, utantur. Perſa quoque, brachium & dextram operoſo ferro munitus, fraxineâ ancipiti lanceâ rem gerit; quâ ad medium comprehensâ, more Numidarum ab alto ſæpe ictus repetens, viros & equos inermes facilè perfodit: quùm Turcæ Græcorũ conſuetudine, adpreſſas lateri inclinatasq; ad equi aures haſtàs (uti ſunt fragili abiete leves) ad primum impetum collatis equis diffringant; & ad gladium incurvum ſtatim clavamque ferream, reliquis armis impares redire cogantur. Nemo item, niſi temerè ſagittarios, equites aut pedites Turcas, cum Perſis contulerit. Hi ſiquidem latis, & multo nervorum nexu validis arcubus inſtructi; craſſiores Scythicarum inſtar, ideoque lethales ſagittas emittunt. Sophianus quoque exercitus, tanquam regi ſuo, ab excelſæ divinæq; mentis

mentis opinione, & religioso quodam sacramēti jure, nusquam reformidatâ morte deditus, devotusque; Turcis vel numero inferior, ab eximia virtute insuperabilis videri possit: nisi dirâ hâc indignaque fortibus viris vi tormentorum, aut inusitatâ multitudine copiarum obruatur. Quòd verò Hysmael, ex tot provinciis, quondam armorum gloriæ clarissimis, in unius imperii potentiam coactis, pauciores opinione copias educat, hanc præcipue causam reperiebamus, quòd remissis tributis, sublatisque vectigalibus, ad colligendam liberalitatis famam, ærario minùs studeat: ut tum maximè necesse fuit ipsi novo regi, legitimos imperii hæredes impotentibus armis extrudenti. Quamobrem signatâ pecuniâ semper eget: nec ideò quùm bellum oritur, justis & validis nervis arma expedit; quanquam multarum rerum Orientis regio ferax, & tot opulenta regna, benignè atque largissimè, ex necessariis ad vitæ atque militiæ usum copiis, stipendiorum supplementa suppeditent: secus ac Selymo accidit; cui pedites & equites, tormentorumque magistri, & præfecti classium, singulisque etiam totius bellici & domestici apparatus officiis præpositi, diurna, aut mēstrua præsentis pecuniæ stipendia, à quæstoribus accipientes, perpetuò militant. Nec ad institutum thesauri unquam deficiunt; quùm Byzantii septem in turribus argenteæ aureæque monetæ inæstimabiles cumuli recondantur, omnemque sumptum, quartâ parte, tot tributorum & vectigalium annui, atque perpetui redditus exuperent. Tria sunt genera militum apud Persas: Prætorianorum scilicet, Evocatorum, & Auxiliariū.

Præto-

Prætoriani, certa ſtipendia merent, alanturque ſumptu regis, qui eis vetere inſtituto, & ſtatis anni temporibus, ad deſcriptam rationem, arma, equos, veſtem, tentoria, commeatum, alternante liberalitate elargitur. Horum ornatiſſimo comitatu, validóque maximè præſidio circumſeptus; frequentis aulæ dignitatem tuetur, & mutando loca ad herbidas regiones, provinciarum nobiliores urbes inviſit. Ingruente autem bello dynaſtæ, reguli, tetrarchæ, & antiquæ nobilitatis beneficiarij, qui traditas à maioribus, aut à regibus dono datas oppidorum & agrorum ditiones obtinent, ad edictum evocantur. Eodèm propè iure, hiſdemque legibus imperata facientes, quibus in univerſum nobilitas omnis in Hiſpania, Gallia, atque Italia, regibus et magnatibus alijs operam præſtare conſuevit. Horum magnus eſt numerus, qui liberaliter inſtructi, ad ſigna conveniunt; ſed exquiſito delectu habito, nunquàm viginti miliunt equitum numerum implent; quorum vix tertia pars, eo quem diximus, inſigni armorum apparatu inſtructa, in aciem prodit: quum relqui ferè omnes, contenti galeis præduris centonum munimentis loricati, diverſiſque protecti ſcutis, haſtis ſimul et arcubus prælientur. Nam alterna arma, uti uſus locuſque depoſcit, expedire, & ſcutis in tergum reiectis, retroque ad lorum ſuſpensâ lanceâ, averſi pariter & adverſi, ſagittare didicerunt.

6. Selimus inſuper, Anno 1516. duobus Aegypti Sultanis ſuperatis, Campſone Gaurio (Cauſayi Gauri, in Annalibus Turcicis vocatur) interfecto, Tomumbeio capto, dominus opu-

Tt lentiſ-

lentissimi regni evasit. Quâ de re ita Bizarus *lib. 10. rerum Persicarum* Selymus in Campsonem Gaurium, Aegypti Sultanum, qui anteà Persarum legationibus invitatus, cum Ismaele fœdus amicitiamque percusserat; omnem belli molem convertens, magnaque celeritate superatis Tauri iugis, castra posuit ad Signam amnem, non procul ab Alepo, ubi Campson ignarus perfidiæ Emyris Caierbei præfecti Alepi, & Comagenæ provinciæ, à quo ad condictum diem citabatur, promotis à Damasco castris, Selymo occurrit; & extemplò acie congressus, eo eventu, pugnavit, ut Caiebeio insigni perfidiâ & proditione Campsonem non modo deserente, sed etiam infestis armis persequente, Mamaluchi fusi sint, & Campson ipse iam senex, armis multoque abdomine & ingentis ramicis pondere gravis, cadente equo, in pulverem excussus, conculcatusque interierit. Pugnatum est sept. Calend Septembris, bienhio post conflictum cum Ismaele in Calderanis campis. De eoque ita canit Ianus Vitalis:

Fortuna, caeca & surda verè diceris,
Et mente vana praedita
Ad alta tollis sciamna in imo conditos,
Ut mox cadant profundiùs.
Morosa tu mortalium adpetentium
Votum omne fulmine ocyùs
Fugas; deindè te, nihil petentibus,
Benignitate prodigis.
Campson ut ille Gaurius, n lambiens,
Nil te proterva flagitans,
Invitus Imperator ora Aegyptia,
Tumultuosa militum

Et

Ex fæce plebis factus insolentia
Supra volabat nubila.
Inter receptus altera sidera,
Mox excidens altissimus;
Absumptus armis hinc & hinc rebellibus
Gravis senectæ pondere
Fit ludus atrox, impotentis alea
Tuaq; pervicacia.
Amisit & cum vita opes, quas maximo
Cum regno habebat maximas.

Mox Selymus Hierapolim, Damascū, Tripolim, Berithū, Sydone, ac Ptolemaide suo imperio adiecit. Hoc insperato successu, Siriâ potitus, ne quid belli superesset, persequi reliquias Mamaluchorū cōstituit; qui Memphim ex fugâ delati, cū alijs qui domi remanserant, iā Tomombeyū Circassum præfectum, seu Admiralium Alexandriæ in Campsonis locū delegerant. At Selymus post Gazam deditione occupatam, cum octavis castris ad urbem Memphim, quæ Alcayrum est, accessit, & cum hoste congressus, felici Marte dimicavit; ipsumque Tomombeium, qui ultra Nilum reparatis copiis, extremo conatu ad Nili ripam & pontem prælium instaurârat, indè reiectum, atq; in paludibus, in quas desperatione desilierat, repertum, diuque in quæstione de thesauris acerbissimè tortum, ac tandem vili iumento impositum, perque urbem circumductu, gulâ laqueo fracta, ad Bašuelam Siriæ portam, unco ferro supra fornicem suspendit: ut transeuntibus spectaculo ludibrioque foret, & Aegypti se victorem esse, fateretur. Incidit hoc prœlium Idibus Aprilis, anno eiusdem ævi septimo decimo, in eoque tota gens Mamaluco-

rum radicitùs excisa, & horum impotenti ac superbo regno, quod illi extinctâ in Meleschala posteritate Saladini, annos tenuerant circiter ducentos quadraginta tres, Selymus, duob. Sultanis è medio sublatis, finem imposuit: ipseque in Aegypto ac Siria rebus constitutis, mox Byzantium ovans ac triumphans reversus est. Scribit etiam Leunclav. *Pandect. cap. 210* quod Selimes in Aegyptum cum exercitu profectutus, quùm ab Hierosolymis non procul abesset (morem tyrannorum sequutus, quibus in ore preces hæ perpetuò sunt: Da mihi fallere, da iustum, sanctumque videri) civitatem Musulmanorum etiam opinione sacram, sanctam, invisere voluit. Hæret enim hodieque Turcorum in animis, ea sive religio, sive superstitio; ut voti rei, Mecchâ suâ visitatâ, non se legitimè solvisse votum arbitrentur, nisi Bethlehemam quòque, Christi cunis nobilem, & Hierusalemam adierint. Vocantque Hierosolyma, vel Hierusalemam, lingua sua Cudsimabarec: quod nomen significat locum benedictum vel inclytum. De bello autem Selimis, contra Mamalucos, pluribus quoque agit idem Leunclavius *lib. 17. hist. Musulm.* & inter alia scribit. Interea dum victor Selimes ad Damascum hæreret, omnes illi zindi (gladiatores ea vox significat) vel Aegyptij Mamaluchi, qui cæso suorum exercitu, fugæ beneficio salvi de eâ clade potuerant evadere, quùm primum in Aegyptum se recepissent; indicto suorum concilio, regem novum, in extincti locum suffecerunt. Sultanus autem Selimes ab altera parte, legatos in Aegyptum misit, qui eis suo nomine significarent: Arma Selimem adversus ipsos sum-

pta

pta depositurum, pacemque facturum, siquidem ad se in castra venire, fidei sacramentum præstare, suo imperio se submittere non recusarent. Sin eas conditiones respuerent, ad bellum prosequendum se pararent; quandò cum victricibus copijs, non multò pòst ipse Misirenses (Aegypticas) intra fines penetraturus, inque regni visceribus intimis, eos quæsiturus, & ad pugnam vel invitos adacturus esset. Zindorum proceres, quotquot in Aegypto id temporis erant, auditâ Selimis hac tam minaci & indignitatis plenâ legatione; rursùs indixerê comitia publica; déque tanti momenti negotio, communibus sententijs in medium, præsente rege nuper admodùm electo, prolatis, consultare ceperunt. Novus autem Sultanus ille Misirensis re prius accuratè cum animo suo perpensâ & examinatâ tamdem in concilio paucis suos adlocutus: Mei commilitones, inquit, frustrà Sultano Selimi nos opponimus, cuius tantæ vires sunt ut eas sustinere nullo modo possimus. Rebus nostris adhùc integris, quùm florentissimis, & numerosis instructi copijs essemus, ingenti nos ille prœlio superavit, clade gravi adfecit. Quid nunc victis faciet? Nullum aliud rebus nostris, pænè deploratis, remedium superest; nisi nosmet ut pede nostro metiamur, nec imperij nostri fata, temere præcipitemus. Et quando Selimi pares esse nequimus, ad versarij violentiæ cedamus; & in præsentiâ demus operam, ut pacem ab eo conditionibus quàm maximè tolerabilibus, siquidem æquas non admissura victoris insolentia videatur, impetremus. Perpetuæ, fatalesque rerum humanarum & inprimis regnorum vi-

cissitudines sunt. Osmanidarum fortuna, maximos hactenùs orbis principatus, extinctis præpotentibus regum familiis, suas sub leges redegit: & tyrannus hic, felicitate suâ majorum res gestas obscuraturus, & imperium suæ gentis, ad summum culmen quoddam evecturus existimatur Itaque si nos obiicere tanto velimus impetui, verendum profectò, non abs re, ne planè pessumdatos evertat ac proterat. Servemus nos temporibus magis propitiis, quandò dies ipse dabit occasiones ea damna resarciendi, quæ nobis hoc tempore, non tam vis immensa Selimis, quam fati necessitas, inevitabilis inferre videtur. Non semper hâc Turci prosperitate rerum fruituri sunt. Modò quæ nobis adhûc superant, in potestate retineamus: haud difficulter aliquãdò nunc amissa fortibus animis & p[illegible]acibus dextris, recuperabimus. Hæc licet à Sultano Misirensi, principe gravissimo, & magni rerum usus, sapientissimè dicerentur: haudquaquam tamen Zercassis (ex ea namque gente major procerum pars apud Zindos constabat) probari videbantur: quòd aliis opinionibus innixi, diversa plane consilia sectarentur. Ajebant enim, minimè vero videri simile; Selimem licet elatum, obtentâ tam illustri victoriâ, tantis cum copiis Aegyptum invasurum; cujus aditus omnes vel suis in Aegypti finibus, & Suriæ, munitionibus obstructi, vel plurium dierum solitudinibus inviis, occlusi essent. Si maximè victoriam prosequendam duceret, vel Suriæ reliquias in potestatem redacturum, quod intra tempus exiguũ fieri nequeat, ipsis interim, relicto reparandi & instaurandi belli spatio; vel de adeundâ non du-

ctu

ctu suo, sed Veziris alicujus, Aegypto cogitaturum. Quicunque tandem venturus esset, ei se cum exercitu progressuros obviam, maximisq; viribus restituros. Potiùs etiam mortem in prælio fortiter obituros omnes, quàm ignominiosam & infamem nomini suo pacem, cum Selime faciant. Et paulò pòst idem Leunclavius refert. Dum Selim in itinere fuit, Capitzilarorum Kihaia sive Tikaia, quemadmodùm aulici vocẽ hanc pronuntiant, hoc est, Capitzilarorum vel Ianitorum Bassæ vicarius, aut legatus, unà cum carnifice missus ad Ausainem sive Chuseinem bassam, qui Vezir & consiliarius Selimis erat; eum in tentorio suo faucibus laqueo compressis extingui, & ante tentorium, mox humo curavit obrutum sepeliri. Factum hoc ab iracundo principe propterea, quòd temerario præcipitiq; consilio Selimis adversatus, monuisse perhiberetur; ne per ejusmodi solitudinem, tanto cum exercitu proficiscendo, præsens in periculum se conjiceret. Selimes autem suum secutus institutum, contraque Chuseinis opinionem progressus, castris octavis arenosas illas solitudines felicissimè cum exercitu superavit. Sicque metu jam liberatus erat omni, qui non parùm ei molestiæ creaverat hactenus; dum continuis in curis versaretur, ne fortè vel annonæ, quam tamen uberem secum advexerat, vel aquæ, locis in illis aridis rarissimæ penuriâ laboraret exercitus, & interiret. Sed eâ Selimes heic quoque fortunâ fuit usus, tantis ut hominum jumentorumque copiis nusquam, tot intra dies, tam desertis & arenosis in locis, ob largos è cœlo delapsos imbres, aqua defuerit. Describit etiã Leunclavius,

quomodò Chairum urbs Aegypti primaria, fuerit capta, ultimusque Aegypti Sultanus occisus. Secundum hæc (inquiens) profugit Sultanus Aegyptus in Nili fluminis insulam, & receptis ad se militū, è superiori prælio superstitum, reliquiis; aliisque prætereà copiis Aegyptiorum, Aethiopum, Arabum, & cujusvis alterius nationis hominum collectis; ibidem denuo castra metatus est, aliqua reparandi sui, tuendique contra vim Turcorum imperii spe conceptâ: sicut animo sanè magno præditus erat. Sed quòd ex accepto pugnâ nuperâ, detrimento gravissimo territos, & deiectos animis suos, aperto Marte victricibus Sultani Selimis aciebus minimè duceret obiiciendos: astu rem in posterum gerendam, & pugnis inopinatis hostium vires, qui præsertim in alieno regno locorum non satis gnari essent, frangendas & adterendas statuit. Id verò consilium, quò tantò felicius ei succederet, nocturnâ primum impressione, sex millibus Zindorum instructus, imperatorem Selimem cum suis, ob partam victoriam rerum omnium securis, imprudentem obruere subitò, decrevit. Sed quùm nocte rei peragendæ destinatâ, cum copiis ad castra Selimis accessisset, ea sic posita munitaque reperit, ut invadi sine periculo satis evidenti, nequirent. Quò factum, ut spe rei prosperè conficiundæ destitutus, urbem cum copiis ingredetur; & in ejus opportuna maxime loca, toto exercitu distributo, majora passim minoráve constitueret agmina, prout ipsa posceret necessitas, quæ hostem ab ingressu arcerent; ac si maximè nullis circumdatam mœnibus urbem intrasset, summis exceptum rejectumq; viribus, vicissim

expe-

expellerent. Zindi quoque portas & aditus omnes incredibili celeritate communierunt, fossas per vicos urbis transversas egerunt, aggeres excitarunt, itinera viasque publicas trabibus obsepierunt, parietibus perfossis immisere fenestellas & foramina; per quæ continuis ictibus, tela quævis in hostes contorquerentur. Statuerunt enim occlusis domorum januis, ex interioribus earum partibus, deque tectis ædium, quæ in oriente plana sunt, ut in eis consisti possit, & inambulari, sagittis eiaculandis, lignis & saxis deiiciendis, telis aliis & armis quibuscumque se defendere, Turcisque non varia modò damna, sed etiam perniciem extremam inferre. Quùm hæc à Zindis & Mameluchis equitibus, nullum planè laborem vel sordidissimum obire salutis publicæ causâ recusantibus, fieri viderent urbis incolæ, tam lautioris fortunæ, quàm tenuioris: nimirùm quantùm exemplis horum incitati, communes ad operas, omnibus profuturas, ultrò convolarunt; & mutuo certamine quodam suscepto, non tantùm illos adjuvandos, sed etiã pertinaci labore atque industriâ superandos, censuerunt. Hinc in omnibus urbis regionibus iidem incolæ, pari vigore animorum, & arcus, & sagittas suas, & arma quævis obvia corripuerũt; ut irrupturis mox hostibus, animosè semet obiicerent, & à Turcorum injuriis seipsos, & uxores liberosque suos, vindicarent ac tuerentur. Vix ad defensionem eo, quo dictum modo, Mameluchi cum Misirensibus se comparaverant; quùm in urbem Turci, tam Europææ Rumiliæ, quam Anatolici milites ex omnibus partibus, non pedites modò, sed etiam equites irrumpe-

rent. Itaque cœptum inter utrosq; prælium longe post hominum natos atrocissimum, alteris pro victoriæ præmio, manubiis infinitis, alteris pro suâ ipsorumque salute pugnantibus. Nec ullus erat in urbe locus expers cædium, quibus sanè continuis, absque ullo laxamento, totum triduum, trinoctiumque sævitum: inauditâ diritate, plurimumq; cruoris humani profusum fuit. Quotquot erant è Genitzaris sclopetarii, globorum quasi tempestatem quandam in Aegyptios excussam, immittebant. Quibus in ædibus Misirenses, velut arcibus inclusi, deiectione saxorum, & quâvis in subjectos materiâ provolvendâ, graves Turcis clades inferebant; eas in ædes, è plateis Genitzari, sagittas & sclopetorum ictus dirigebant: adeò quidem, ut si qui Zindorum vel per Fenestras, vel de tectis illis suis planis, inferendi Turcis detrimenti causa prospectarēt; certis, ac letalibus Genitzarorum telis ferirentur. Iidem machinis bellicis, & aliis instrumētis, fores ædium, è quibus damnum acciperent, cum parietibus ipsis perfringebant: ac deindè repertos in eis Zindos & Zercassos, penes quos solos imperium militare apud Aegyptios erat, summis cruciatibus & tormentis priùs subiiciebant; deindè quâdam exquisitâ trucidare studebant immanitate. Si qui verò desperatis rebus, saluti suæ fugâ consulere conarentur, sed interceptis per universos urbis vicos & compita viis omnibus, exitum planè nullum, & nullum effugium invenirent; in ipsius Nili præterfluentis undas se præcipitabant, iisque summersi miserandum in modum perire malebant, quam parcere nescius acinacibus, & telis hostium crudeli-

ter in-

ter interfici. Dimicatum denique prælio propemodum ineffabili, ancipitique. Marte, quoties enim ob Turcorum multitudinem, & paucitatem Zindorum, iamiam finem habiturum videbatur: toties redivivâ virtute Mameluchorum, & animorum magnitudine prorsùs incomparabili redintegratum fuit. Iam præter cæsos à Mameluchis & Misirensibus Turcos, mille quingenti Selimiani milites, graviter ab iisdem vulnerati sagittarum, lapidum, aliorumque telorum ictibus erant. Verùm ad extremum, ita de rebus Aegyptiorum pro divinâ suâ sapientiâ statuente cælesti numine, penes invictum fortunatumque Selimem, victoria stetit. Zindorum Mameluchorumque, cæsarum à Turcis in hac urbis expugnatione; supra quatuor millia perierunt. Sultanus ipse Misirensium, res suas deploratas animadvertens, cum triginta duntaxat militum suorum comitatu, quâdam è plateâ, quam adversus hostes defendēdam susceperat; profugus; ubi summâ celeritate Nilum ad amnem pervenisset, oblatum fortè fortunâ navigium ingressus, fluminis ad alteram ripam trāsmisit; ut Turcorum manus evaderet. Id ubi nuntiatum Sultano Selimi fuisset, barbaram Breberi vocem inclaminans; qua exhortari & urgere semet Turci ad properandum solent, hostem insequi jussit. Cumque Nili fluminis ad ripam se contulisset, inventis navigiis pontem iniecit, & exercitu suo partim pontis ope; partim aliis modis traiecto; manus iterùm cum Sultano, Zindorumque reliquiis, trans Nilum conseruit; quibus ad extremum hocquoque prælio victis, suis præcepit, ut à tergo fugientibus inhærerent, ac persequen-

sequendi finem nullum facerent, donec ipsum Misirensem Sultanum comprehendissent. Quod ubi summo denique pervestigandi hominis studio factum fuisset ab eis, in potestatem redactus, & Misirensem ad urbem perductus fuit. Heîc demum, ludibrii causâ, vilem in mulum imponi jussus, ad tertium usque diem per urbis omnia fora, vicos, & compita maximè celebria, miserando fortunæ instabilis spectaculo & exemplo, circumvehitur: & ad extremum, quâdam in urbis Misirensis portâ, laqueo suspensus, enecatur. Sævitum in omnis generis, ætatis, & sexus homines, quavis immanitate, truculentiâ, libidine, rapinis, toto triduo; tandemque die quarto, pax urbi data, fœdisque sceleribus, & horrendis illis grassationibus, ita præcipiente Selime, modus & finis impositus fuit. Quamplurima, hac quoque de re habet Iovius *in vit. Impp. Turcar. ubi de Selymo, ut & lib 17 ac 18. histor.* Et idem inter alia ita scribit: Post Campsonis mortem, Hierapoli in fidem receptâ, Selymus Iunumbassam cum expedito equitatu, qui vestigiis fugientium insisteret, Damascum præmisit: quo & ipse paucos post dies, quùm indè quoque decessisse hostes, ac fugâ Memphim petivisse cognovisset, cum omnibus copiis profectus est. Statimque ei Damasceni, qui morari victoriæ cursum, & opulentissimæ urbis fortunam, in discrimen adducere alienum à rationibus suis existimabant, absque ulla dubitatione portas aperuerunt. Quorum exemplo permotæ maritimæ civitates, & inprimis Tripolis, Berytus, Sydon atque Ptolemais, missis legationibus, acceptisque Turcarum præsidiis, similiter deditionem fecêre. Nec multis

indè diebus, Selymus celeberrimum conventum in castris habuit. Ea Damasci mœnibus iuncta erant, ne quietæ & frequentissimæ urbis status, & mercaturæ commercia, quæ summâ omnium securitate ab varijs remotissimarum nationum negotiatoribus, tractari cònsueverant, intromissâ militum multitudine, turbarentur. Quanquam ea esset in castris disciplina, severissimis acerrimi imperatoris legibus constituta, ut quum milites nihil sibi ex ea victoria licere intelligerēt, in fertilissimo autumno horti sine custodibus tutò relinquerentur. Quo metu adeò prudenter penuriæ provisum fuit, ut Turcarum castra cunctis in locis, rerum omnium copiâ semper abundârint. Itaque adscitis legum peritis, evocatisque eò omnium civitatum legationibus, insignes Syrorum controversias audivit, atque finivit. Præfectos provinciis, atque urbibus dedit: recognovit vectigalium rationes, & nonulla ex vetere Sulthanici juris formulâ, quæ iniqua vel onerosa populis videbatur, ut summam sibi indè liberalitatis atq; justitiæ laudem compararet, antiquavit. Additque ibidem Iovius, quòd Turcæ complures tormentariæ artis peritissimos, magnis invitatos premiis, ex Italia atque Germania, in castris habebant: ac multos inprimis ex illâ Iudæorum colluvie, quæ pietate Ferdinandi regis omnibus expulsa Hispaniis, in contumeliam nostram, tot posteà Orienti hujusmodi rariores artes insolitas atque mortiferas importavit.

7. De morte tandem Selimis, ita Leunclavius *lib. 17.* scribit: Anno Christi 1520. mense Ramazane, digressus Constantinopoli Sultanus

Selimes, Inzugen abijt. Hûc ubi pervenisset, ac more Musulmanorum, qui lavacris, lustrandi sui causâ, creberrimis uti solet, balineum fuisset ingressus; exorta fuit ei fistula quædam in dorso, pugni magnitudine, quæ n edicis herpes exedens dicitur. Ac ieápse nihil aliud erat, quàm id malum, quod engile barbaris, carcinoma sive cancer nostris adpellatur. Nihil tamen hoc moratus, ad eum perrexit locum, quo loco proximis annis cum patre conflixerat. Quum autem ulteriùs ægritudine corporis ingravescente, progredi nullo modo posset: explicari tentoria, figique iussit, atque ibi mansit, ut curaretur. Simul usus est operâ Iara-bassæ, hoc est, chirurgi sui principis; & Hegin bassæ, quo nomine medicum primarium barbari, priscis archiatrum nominatum, intelligunt: Ac tametsi diligentiam medici chirurgique maximam, suo principi curando, adhiberent, nihil tamen hac omni eorum operâ profectum fuit; ideóque desperatis conservandæ ipsius vitæ remedijs, die septimo mensis Schevalis, & eo quidem ipso in loco, quo manum cum patre quondam conseruerat, exspiravit. Mors Sultani Selimis, decem continuis diebus occulta, nec ab ullis in exercitu palatino militibus animadversa fuit: Ferhates autem bassa, ne qui tumultus, ob excessum eius ex hâc vitâ, prætorianis ab agminibus, uti plerumque Sultanis extinctis fieri solet, excitarentur; quantâ poterat celeritate maximâ, quosdam è suis Manissam, quæ priscis erat Asiatica Græcorum Magnesia, cum litteris ad Sultanum Suleimanem, Selimis filium, perscriptis misit: quibus in litteris eum, & de patris morte certiorem reddebat, & uti con-

festim

r, nullâ prorſus itineri morâ interpoſitâ ve-
, hortabatur. Pellectis hiſce litteris, nō illu-
er itineri ſe Sultanus Suleiman accinxiſſet,
i paterni, ad quod per eas vocabatur, occu-
di causâ: ſed quod aliquid fraudis ſubeſſe ve-
tur, ac patris ſævicien., tot hactenus imma-
imis ſuorum probatam cædibus, non igno-
et: n overe ſe loco non fuit auſus: præſertim
um unius Ferhatis epiſtolam, quam nullæ
erorum baſſarum litteræ comitarentur, ſuſ-
tam haberet. Nolucrat autem Selimis obi-
n Ferhates vel ipſis patefacere baſſis antè,
m ſui Suleimane ſecum adducto redijſſent;
res cum pluribus communicata, quemadmo-
m plerunque fieri conſuevit, imprudentiâ.
mdem alicuius emanaret. Sed quùm ſuos in-
ſſum miſſos, nec habitam ſibi ſoli, a Suleima-
e fidem, animadverteret: non diutiùs rem diſ-
rendam, ſed ceteris baſſis, & inprimis quidem
ſtatuit aperiundam. Quapropter hominem
ibi fidiſſimum miſit, qui ſecreto mortem Seli-
is exponeret. Eâ cognita, mox in caſtra venere.
conſiliarij principes; quum que ſuis oculis Sul-
num vitâ defunctum cōſpexiſſent, cum novis
ad Suleimanem à Ferhate baſſa ſcriptis, ſuas
quoque coniunxere litteras, quibus exemtum
haud dubiè rebus humanis patrem adfirma-
bant: & filio cauſis pluribus oſtenſis auctores
erant, uti quamprimùm ad ſe, præcipiendæ præ-
ſertim ſeditionis caſtrenſis ergò, quam Genit-
zari, morte ſui principis intellectâ, per ipſius ab-
ſentiam moturi eſſent, properaret. Hæ litteræ de
conſilio baſſarum creditæ fuerunt Iſpahoglano-
rum tribuni legato, ſive vicario; ut permutatis

ad

ad celeritatem equis, eas ad Sultanum Suleimanem perferret. Simul eidem iniunctum, serio monitum Suleimanem urgeret, ut in viam sine dilatione se daret, ac omni eniteretur operâ; quo priùs, quàm militum prætorianorum turbulenta natio, comperto patris ipsius interitu, seditionem concitare, Constantinopoleos diripiendæ causâ, posset, ad urbem ipse convolaret, civiumque bonis ab insolentia militari vindicandis, in tempore de suis bene mereri occiperet. His denique redditis sibi litteris, subito Sultanus Suleiman relicta Manissa, Constantinopolim perpetuo contendit itinere. ibi Genitzarorum cohortes ei frequentes occurrerunt, quos ipsorum Aga compellans: en Padischachus vester, en imperator, ait. Ad quam vocem mox illi ante Suleimanem ordine incedentes, velut imperatorem ad Palatium regium deduxerunt. Secundùm hæc, congiarium ab eo Genitzari, pauloque largiores annonas petierunt, & haud difficulter obtinuerunt. Postridiè funus Sultani Selimis, in urbem Constantinopolim illatum ductumque fuit, & exsequiæ sivè preces, quæ Turcis Inamasi vel Namasi dicuntur, celebratæ. Quæ omnia dum ritè curarentur, pedes ante paternum funus incedebat Sultanus Suleiman filius; atque ita deportatum cadaver ad meschitam, cum imareto coniunctam, quæ quidem ædificia duo vivus ipse construxerat. Illic in monumento pro consuetudine Osmanidarum, conditus fuit.

8. De eodem ita Iovius, *Elogior. lib. 5.* Regnavit annos octo, vixit quadraginta sex, & quum maius adversus nos bellū esset suscepturus, cance-

renum ulcere verè pestilenti, apud Chiur- Thraciæ pagum, morte solutus est, Pyrrho- sæ, in cuius sinu atrocem animam exhalabat, ymanum filium commendans, severéque ecipiens, ut in Christianos tanquam veros stes arma verterentur, neglectis Persis quo- m inanem superbiam satis ipse contudisset. enit autem ut eo fatali sibi loco, in quo Ba- tem patrem circumfusâ acie adortus, oppri- ere cogitarat, meritas immanis parricidij pœ- s daret; sed nequaquam flagitijs pares, utpote uæ omnē immanitatis notam excedant: post- uàm Acomathem & Corcuthum germanos atres, & tot fratrum filios Regiæ indolis, ad num omnes sustulerit, ut Solimano filio omni æmulatione vacuum Othomanici Imperij soli- am pararet. Quanquam & huic successionis at- que hæreditatis ius, ipse aliquandò inviderit. Ferunt enim eum, veste veneno intùs atrocissi- mo delibutâ filiū extinguere cogitasse; ut quæ- dam eius verba immodice pungetia vindicaret. Sed eius exitiosæ vestis donum, astutâ matris misericordiâ repudiatum, pro Solimano cubi- culario datum, ocyssimè perniciem attulisse. Sic ut hoc exemplo, immanitate feras anteisse vi- deatur, monstro quàm homini similior; qui ex animo plusquam Tartarico nemini suorum pe- percerit. Sed non defuère, qui in eo abominabi- lem carnificinam, tanquam ei necessariam, qui sine æmulo metuque regnare decrevisset, verbis excusare contenderent: quòd regnaturo, omnis animi atque humani iuris penitus oblivisicen- dum censeant. Vsque adeo enim Imperij dira si- tis est, ut vel flagitiosissimis artibus apud quos- dam.

dam, regna tueri fas esse videatur. Eadem ferè idem Iovius habet, *de vit s l. per. Turcarum, in vita Selimi,* ubi quoque addit. Quod ad corporis membra attinet, ventrem admodùm demissum, brevioribus cruribus sustentabat. Vndè etiam eques, magis quàm pedes commendabatur. Faciem subrotundam ac pallidam, oculos prægrandes & feritate plenos habebat. Animi verò magnitudine leone æquabat. Nihil sibi unquã à fortuna pertimuit. Nullũ ob periculũ, quamvis manifestũ, susceptas semel expeditiones nũquã misit. Consilia dubia, sed spem aliquam honoris continentia, securis, sed illaudatis præferebat. Alexandrum Magnum; ac dictatorem Cæsarem, pluris quàm alios omnes antiquos duces faciebat. Quamobrem etiam ipsorum gesta, in Turcicam linguam versa, sine intermissione legebat. Natura verò severus erat, atque inexorabilis, semper cogitabundus: nunquàm præsertim in exequendâ crudelitate, quæ tamen sæpius inniti iustitiæ visa est. Mustapham interfecit, quia parum fidelem comperit. Chendemum Bassam necari iussit, quoniam sibi contra Persas eunti tot difficultates obiecerat, ut Ianizari in unum collecti, transire Euphratem recusarent. Bostangi Bassæ genero suo caput amputari præcepit, quòd provincias, quibus eum præfecerat, expiasset. Iunum Bassam interficiendum curavit, ut ipsius nimiam arrogantiam, cum infidelitate coniunctam puniret. Dicere consueverat, se non nutrire prolixam barbam, veluti Baiazetes pater fecerat; ne Bassæ manibus in illam iniectis, ducerent principem quo vellent: queadmodùm evenerat Baiazeti. Nimia tamen in pro-
priu

um ſanguinem crudelitate infamem ſe red-
it. Verùm ipſe affirmabat: nihil eſſe dul-
s, quàm ſine conſanguineorum timore, ac
picione regnare, ſeque ob id excuſatione
num arbitrabatur. Quod ſi vel minimus
iſpiam ex Ottomannico ſanguine, in princi-
m priùs evaſiſſet, ſibi quoque eodem modo
reundum fuerat. Præterea eum minimè pru-
ntem eſſe aiebat, qui quod propoſuiſſet, non
lico exequeretur: quoniam in mora ſępè amit-
eretur occaſio, atque impedimentum deſigna-
e ſententię contrarium oboriretur. Summa hæc
it. In arte militari, atque in populorum regimi-
e excellentiſſimus ac raræ nominis vir extitit:
quippe qui iuſtitiam ubique ſervandam præci-
peret. Porrò conſueverat Selymus nonnunquam
edere ſemen quoddam Turcis notum, quod re-
rum ſeriarum ac moleſtarum memoriam homi-
nibus adimit, eoſque liberos ac iucundos per
aliquot horas facit. Id quod ipſe efficiebat, nę
profundius gravioribus cogitationibus inhæ-
reſceret, ſed ad oblectandum animum aliquod
temporis ſpacium haberet. Aliàs tanta in victu
modeſtiâ utebatur, ut nonniſi ex uno ferculo
comederet; quod plerunque potius è feris vena-
tione captis, aut eiuſmodi viliqribus carnibus,
quàm è volatilibus ſibi eligebat: quemadmo-
dum & privati milites efficere conſueverant. Id
quod in cauſâ erat, ut etiam inter tot labores,
quos in remotiſſimis regionibus, ſub vario ſub-
inde cœlo ſuſtinebat, proſperâ ſemper valetu-
dine uteretur. De porrò moribus morteque Se-
lymis, ita Tubero *a'finem libri decimi ſcribit.* Cum
Selimis corpus, ut plerumque evenire ſolet, à
longâ ægritudine in malum incidiſſet habitum:

atque illi, in eâ ſpinæ vertebrâ, cui pulmo adnectitur, primò puſtula quædam ſublivida orta eſſet; mox livor in nigrum colorem mutaretur, caroque indies magis non ſine fœdo odore exulceraretur: quidam medicorum, dum ulcus curationem haud recipere putant, ſubmoto omni medicamento, morbum naturæ curandum permittebant; alij locum quidem remedio opus eſſe cenſentes, per metum tamen hæſitantes, manus ulceri admovere non audebant. Itàque carnem per ſe vehementer exulceratam, cancer invaſit: qui ad viſcera tendens, pulmone celeriter exeſo (qui & aliàs illi, aſſiduo opij uſu, totus ferè màle affectus erat) eum abſumpſit. Hic vitæ exitus fuit Selymis. Qui quidem ſeptimo & quadrageſimo ætatis anno, imperij vero octavo mortem obijt. Nulli maiorum ſuorum, vi animi & gloriâ rerum geſtarum ſecundus extitit. Mechmetem avum magnum cognomento, qui multum terrarum Turcaico imperio adiunxit, audaciâ pugnādi longè ſuperavit, victorijs propè æquavit. Nec Omurathi proavi gloriæ cedit. Ille pluries, collatis ſignis cum hoſte dimicavit. Hic pluribus provincijs ſubactis, rem Turcicam auxit. Cæterum, nec morienti Selymi cura in poſteros defuit: nam ne mors eius tumultum in regno excitaret, aliquot anteqùam interiret diebus, ſentiens ſe iam deficere, filium Salamonem ex Caria (quam ſanè provinciam, cum adiacentibus regionibus, illius cultui attribuerat) acciri iuſſit. Qui nondùm parentis morte palam factâ Conſtantinopolim cum acceſſiſſet, præſentiâ ſuâ Turcas in officio continuit: non tamen auſus eſt ædes regias (ita cum mater admonuerat) ingredi

di priùs, quàm per speciem inferias dandi
ius paternum extinctum vidisset. Verebatur
n circumspecta fæmina, Salamonis mater
ote cui satis perspecta erat admiranda Sely-
imulatio) ne famâ mortis falso emissâ, er-
e filij mentem deprehenderet. Porrò quidam
trabantur, Selynem ne filium quidem patriâ
xisse caritate: quam sanè opinionem, indè
rtam reor; quia nec Selynes, odio propter
elitatem in suos caruit: & nemo unquam
talium extitit, consortis imperij eo impati-
or. Eam autem dominandi libidinem habu-
maximam & solam ferè gloriam, in maxi-
mperio sitam esse putaret, & ob id, studiosi-
rat magnæ famæ quàm bonæ. Nam dum
i fines proferre, prolat[illegible]ue stabilire cupit;
ie fidem frangere, neque in humanâ uti cru-
ate dubitavit: sed nec publicum odium ex-
t; maluitque metui à suis, quam diligi. Præ-
ævitiam & immensam dominandi cupidi-
m, ne alieno quidem abstinuit: propterea
d avaritiæ stimulis agitatus, quosdam ex di-
s purpuratis, ut eorum bona invaderet in-
cit; objiciens eis rapacitatem, quasi ingen-
opes inique congessissent. In aliis laudare
hominem. Præter morem Othomanorum
in, neminem ad se adeuntem procumbere,
genibus positis, se venerari passus est. Cibi
parcus fuit: somni etiam minimi; labo-
rigoris, caloris, inediæ patientissimus, veste
tuque vix à privato discrepans. Litterarum
ius Turcæ utuntur, satis eruditus. Quum
s esset, verba in concione facere, non deerat
cēdi facultas: nihil libetiùs audiebat quam
Ana-

Anagnoſtem, geſta illuſtrium virorum, præſertim magni Alexandri, legentem. Interdùm verſus etiam ſuâ linguâ, haud quidem amatorios componebat: ſed quibus teſtaretur ſe cupidine gloriæ vehementer flagrare, fertur in libidinem maſculorum paulò propenſior fuiſſe. Alij nullâ cum, niſi permiſſa voluptate uſum affirmant: negabat enim regem obſcænas aut inceſtas decere libidines: arbitrabaturque nihil magis adverſari res magnas gerenti, quam immodicas voluptates. In iudices parum integros, & provinciarum præfectos, qui repetundarum accuſati, & convicti eſſent, ſeveriſſimè animadvertit, impatientiſſimè etiam ſuorum dedecora tulit. Nam ſororem & fratris filiam, quùm comperiſſet eas parùm honeſte pudicitiam habuiſſe, necari iuſſit. Vitâ ex inſitâ ambitione triſtiore fuit. utpote qui ne convivari quidem cum amicis, niſi admodum raró ſoleret. Quùm de bello ſuſcipiendo deliberaret, amicorum quidem ſententiam exquirebat: ſed in capiendo conſilio, ſuam potiùs ſequebatur. Suſpicabatur enim Duces, qui præſertim ſub ſene Bazethe diutiùs vixerant, quietis, quàm belli ſtudioſiores eſſe. Indè vox eius ſæpiùs audita, ſe neminem habere, quo cum de magnis rebus conſilia agitaret. Itaque neceſſario cogebatur, quæ in rem eſſent, per ſe excogitare, & erat quoque eius ſolertiæ ut id poſſet: nam & ſe & hoſtem exactè perpendebat, ut nullius unquàm cæpti eum pœnituerit. Quamquam hoc quoque eius fælicitati tribuerim, quòd priuſquàm alteram experiretur fortunam, vitâ exceſſerit. Addere tandem lubet, epitaphium Selynis, quod ex Italico vertit, &

Tur-

icæ hiſtoriæ, Germanicè conſcriptæ inſe-
Henricus Müller.

maximus aaſum S lim, qui Orbem domui.
bella relinquo: ſed pergo inquirere gravia.
equidem potuit fortuna prærumpere mea.
offa iacent, animus bell. quærit.

eg ich Selim/der die Welt
t zwingen/von den Todt gefält/
s Hertz zum Krieg noch vnverzagt/
t nach grössern dingen tracht.
glück kein vnglück nie so ich twinn
cht mich beſtürtzt in meinem ſinn.
leich der Wurm mein knochen frißt/
s Hertz doch noch blutgirig iſt.

Sli-

Selimus Ægyptum occupat, & Regno Mamelucorum finem imponit. 6.
Hierosolymam visitat Selimus. 5.
Iniquissima etiam pax, à victore potentissimo emendicanda: ne totalem, & fatalem cladem præcipitemus. 6.
Disciplina militaris Turcarum: & quomodò Selimus novum Ægypti imperium firmârit. 6.
Mors Selimi, & successio Solimanni. 7.
Mores Selimi. 8.
Ratione Status, quandoque flagitia Dominationis, excusantur. 8.

XIII. A. C. M. D. XX.

MOrtuo Selimo, secutus est ejusdem filius Solimannus (aliis etiam Salomon dictus.) Hicque Belgradum totius Hungariæ propugnaculum, Rhodum & alia loca expugnavit: ac Anno 1526. ad Mohacium, Ludovico II. Hungariæ Rege cæso, Budam quoque occupavit. Ipsamque Viennam, licet irrito conatu, obsedit; & Christianos in Hungariâ, aliisque locis, bello haut intermisso vexavit. Tandemque ad Sigethum, Anno 1566. expiravit.

2. De hocce Solimanno, ita Ianus Vitalis:

Intereà dum nos vigilantes stertimus, ille
Insomnis nobis integra Regna vorat.

Et sanè is totum Regnorum hereditatem, Christiani Orbis principibus maximè discordibus, adiit. Quod & insignes eiusdem progressus, inprimis pro-

romoviſſe videtur. Etenim Carolo V. Imp. & ...ncisco Gallorum Rege, in Inſubria pugnan-...bus Solimanus Belgradum cepit. Et cum di-...ſſidiis atibus inter ſe Chriſtianis, commune peri-...culum negligi cerneret, A.C. 1526. cum ingẽti ...xercitu in Pannoniam deſcendit, & Ludovi-...cum Vngariæ Regem occidit. In Germania i-...n occaſione immutatæ Religionis (imperante ...rdinanno) diù belligeratum: in Galliis, & Bel-...gio eandem ob cauſſam, graviſſimi motus exci-...ti fuerunt. Nec immeritò, Iovius *hiſt. lib. 31.* ſcri-...t. Et certè quùm hæc animo reputamus, no-...ſtrorum temporum conditionem deflere, Chri-...ſtianorumque principum inſaniam deteſtari ...bet: qui dum inter ſe bello aut odio diſſident, ...Ottomannis parcunt, ut qui toties ſuperari ...delerique poterint, adauctâ in immenſum po-...tentiâ, ad totius orbis imperium aſpirent. Tur-...cis certè inſigniter profuit, nocuitque nimium ...Chriſtianis, ſimultates & diffidentia Hiſpano-...rumque Gallorum. Quæ tandem eò erupit, ...Galli, cum Turcis confœderati, Italiæ ſæpius ...um plurima intulerint damna. Quâ de re Ni-...Honigerus, *in parte 2. Aulæ Turc.ca, ubi de rebus ...ſub Solimano, fol. 459. & ſequentib.* ita ſcribit: Cir-...annum 1543. Polinus Galliæ regis legatus, ...manentem Hadrianopoli Solymanum, appe-...ſeque vere, in Pannoniam grave bellum pa-...tem, ſecutus; accuratis precibus impetravit. ...Ottomannica claſſis, Hadriadeno Barbaruſsâ ...fecto, Maſſiliam mitteretur, quæ inimicis ...s infeſta, diſtraheret opes Cæſaris, va-...belli mole, Galliæ finibus incumbentis, in-...ſuoque Tyrrheno mari, inſularum ac Hi-

Vv ſpaniæ

saniæ navigationes impediret. Ea res multis Purpuratorum deliberationibus agitata graves difficultates habuerat, contradicente præsertim obstanteque Solymanno eunucho, qui paulo antè, Bassarum ordinis princeps evaserat. Itaque Polinus, qui inter tot curatum æstus, desperata classe animum desponderat, Post nuncio decretæ classis exhilaratus, Solymanno gratias egit. Discessuro autem Solymannus, classem ut incolumem præstaret atque reduceret, magnopere commendavit, eique literas in hanc sententiam conscriptas ad Franciscum regem deferendas dedit, præscriptis quidem glorioso fastu, quam plurimis regnorum titulis. Classem, qualem quantamque petisti, omnibus rebus ornatissimam, Polino fraternâ liberalitate concessi. Imperatumque & Hadriadeno maris præfecto, ut tuis consiliis obtemperet, ac arbitrio demum tuo, cum hostibus bellum gerat. Tu verò recte amiceque feceris, si classis rebus feliciter gestis, Byzantium reducetur. Cuncta autem tuis, ut eique votis prosperè cedent, si gravissimè caveris, ne te iterum Carolus rex Hispaniæ, æternus hostis tuus, pacis mentione decipiat. Tum enim æquissimam pacem dabit, quum regiones eius, omni belli clade vastatas exusseris. At Polinus extemplò Byzantium reversus, classem ab Hariadeno, qui diu noctuque multus in navalibus fuerat, egregiè refectam, instructamque remigibus reperit, tantâ adhibitâ celeritate, ut ad quartum Calend. Maias conscenderint: peritâ primò Eubœâ, ad Caristium promontorium, quod hodie Manrelium vocant, ut indè coniunctis sibi aliquot triremibus, quæ tardiùs exornatæ sequeban-

quebantur, ad Maleam contenderent. Superatâ autem Maleâ, tota classis, secundâ tempestate, Hadriadenus Methonem adiit, atque indè cum classe centum & decem triremium, biremium verò circiter quadraginta, quas prædones adduxerant, Ionium pretervectus, ad Messanæ fretum pervenit. Conspecto Rhegio, prædones descenderunt, Barbarussa ad idoneam stationem classem promovit. Rhegini desertâ urbe profugerant, sed Didacus Gaetanus Hispanus, arcem tenebat. Is Polino colloquium petenti, quùm nihil responderet, & in subjectis collibus prædones spectarentur, tres Turcas tormento interfecit. Eo sociorum casu accensi prædones, urbem irruperunt, & quod inanes essent domus, incenderunt; ægrè id ferente Polino, & Barbarussâ incendiarios ad pœnam à trierarchis deposcente. Eòde quoque tormenta muralia in adversum arcis tumulum, comportata. Ea paucis ictibus ita Hispanum terruerunt, ut se atq; omnia dedens, muro demiserit. Ei Barbarussa, orante Polino, uxorique & liberis libertatem concessit. Reliquis autem in templo, ab injuriâ custoditis, arcem militi diripiendam dedit: in his fuêre circiter septuaginta Hispani milites, & multò plures Rhegini cives, qui in servitutem abducti sunt. Quintò pòst die, Barbarussa à Pontiis insulis, ad Tarracinensium littora delatus, Ostiam pervenit; tanto terrore hominum ab ora in montes refugientium, ut populus Romanus subito metu concitatus in fugam, Vrbem omninò deserturus esse videretur: nisi à Polino literæ ad Rhodulphum legatum conscriptæ, perlatæque Romam, per Tarracinensium prætorem, tumultum

magnâ ex parte compressissent. Civitas enim nocturno præsertim metu consternata, vel ipso legato, ex aliena promissione propriam obst- ingente fidem, & vultu interrito animi securitatē in eo periculo præferente; ut quicquam de salute publicâ Barbaris crederet, adduci non poterat, quanquam & P. Antonius prætor, cum præfecto vigilū, multis accensis funalibus, ad coercendam fugam, per omnes regiones discurreret: passimque abire classem nemini infestam, & nihil prætereà metuendam prænunciando, timore in fugam præcipites retentare conaretur. In Sabinum enim agrum, & Tyburtinum trepidæ mulieres cum parvis liberis effundebantur, eratque ejus nocturni tumultus facies, ita tum omnibus fœda & miserabilis, quùm matronæ, nubilesque puellæ, & sacratæ quoque virgines è claustris in publicum se proriperent, oblitæ pudoris, ab obvio quoque in tenebris, ut ad proximas portas iter monstraret, lumenque præferret, luctuosis vocibus exorantes. Romani interim cives, & divites inquilini, concursu ad legatum facto, apud quem erat Vitellius, ad ferendam opem opportunus, ut præsidia pararet, ad urbem copias, flagitabant. Barbarussa autem, ad ostium Tyberis aquationem longè optimam nactus, triduò pòst indè discessit, Etruriæque oram atque Liguriæ, sine maleficio prætervectus, Massiliam rectà contendit. Indè classem ad Niceam Provinciæ admovet, urbem graviter oppugnat & capit; eamq; milites Turcæ diripiunt, & incendiis deformant, multamque indè, atque ex Italia Christianorum hominum utriusque sexus, prędam abducunt in tetram captivitatem.

Ferun-

feruntur fuisse circiter 5200. & in iis eleganti formâ virgines, Deo sacratæ 200. Reliqua præda, pene sexcentis ducatorum millibus æstimata dicitur. Barbarussa Turcæ gratificaturus, & homines & reliqua omnia, quatuor magnis navibus imposita, adjunctâ aliâ navi præsidiariâ, Solymanno transmittit. Intereà Garsias viceregis Neapolitani filius, classe suâ Iohanniticæ societâ, Turcicas oras depopulatur, non mediocri relatâ prædâ. Dum autem Siciliam versus navigat, obvias habet Barbarussæ, quas diximus, naves cum preda hominum, & aliarũ rerum. Sentiens verò hostiles esse, irruit in eas, & omnes Messanam perducit, non sine maximo Dei beneficio; quo è sævissimorum barbarorum manibus miseros illos extorsit, quos non dubium est, incredibilem animi mærorem, ab insperato in summum gaudium commutasse. At non solùm Franciscus, I. sed & ejusdem filius Henricus II. A.C. 1552 ut Cæsar pluribus è partibus vexaretur, variisque bellis & molestiis uno tempore distraheretur, pacem cum Solimanno Turcarum Imperatore componit per legationes: quâ confirmata, Solimanus adpromittit liberaliter Gallo omne auxiliorum genus adversus Cæsarem communem utriusque hostem. At Henricus quia videret Cæsarem non mediocriter rebus Italicis ad omne genus bellorum adjuvari, ut illius vires in defensione oræ Italicæ occuparentur, impetrat classem Ottomannicam, ad littora magnæ Græciæ, ad mare Tyrrhenum, ad universam propè oram maritimam Italiæ infestandã: quâ re efficiebatur ut incredibilibus sumptibus alendarum copiarum in multis locis maritimis

Cæsaris exinaniretur ærarium, & vires distrahe-retur in multas partes, quare fierent debiliores: trepidatum est magnopere Neapoli, ex ea re, quòd illud regnum per id tempus, non satis esset præsidiis instructum, & quod Salernitanus princeps, qui nuper ad Galliæ Regis tutelā confugerat, multos haberet conjunctos in eo regno, plurimumque autoritate & gratiâ posset. Cæsar cognitis regiis consiliis, jampridem veritus, nè id quoque aliquid detrimenti suis rebus afferret; multas Germanorum cohortes ad vexilla convocaverat, curaveratque illas Genuam, & ad oram Ligusticā convehendas ad ejus regni præsidia & defensionem. Atqui præcipua causa fugæ principis Salernitani fuit, simultas & odium Petri Toletani post legationem Neapolitanam, quâ functus fuerat apud Cæsarem, in tumultibus ad religionem spectantibus; per quam opportunitatem Salernitanus graviter invectus fuerat in nimiam severitatem & acerbitatem Toletani: ejus principis criminationibus ad Toletanum delatis, per literas amicorum & propinquorum, quibus plurimùm poterat apud Cæsarem, inflammatus est Toletanus, atque principem gravibus accusationibus apud Cæsarem oneravit, scripsitque periculosum esse propter eximiam hominis autoritatem, ne quid novi moliretur in eo regno ubi rediisset. Cæsar idcircò, illum diù apud se in Germania detinet, & cùm in Italiam rediisset; ac Neapoli ex occulto loco, atque ex insidiis sclopettus in eum dispioderetur, questus est, id apud Toletanum, instatque ut auctor sceleris inveniretur, propositis præmiis indici, qui etiam, præter spem Toletani inven-

inventus fuit. Sed tamen is magnâ negligentiâ, etiam in re leyissima utitur, princeps ideoque venit in suspicionem Toletani consilii: atque cùm illes dicta etiam fuisset sibi apud Toletanum; cùm ad præstitutum diem non apparuisset, privatur principatu: quâ de causâ cum ad Cæsarem esset provocaturus, quia suspectum haberent judicem Toletanum, dissuadentibus amicis, ob Toletani potentiam, & ob Cæsaris animum parum sibi propensum, primum Venetias, deindè in Galliam confugit; ubi perbenignè à rege exceptus, honorifica stipendia meruit. *Natalis Comes. histor. lib. 5.* Et ita etiam A.C.1553. Classis Turcica, cum Gallicis conjuncta copiis, ditiones maritimas Caroli V. infestans, non modo gravia damna infert Neapolitanis & Siculis litoribus: sed Corsica quoque capitur, Genuensium Insula; incolis & præsidiariis partim cæsis, partim crudeliter habitis. *Thuanus, lib. 12. Natalis Comes, histor. lib. 6. & alii.* Sic & jam antè, cum A.C.1535. Carolus V. Imperator expeditionem in Africam suscipere in animo haberet (si fides est adhibenda Iohan. Etropii historiæ, de expeditione Tunetanâ) Cæsar per legatum suum Franciscum Gallorum Regem admonendum putavit, ut longa navigia sua, & actuaria subsidio sibi, ad susceptam expeditionem perficiendam, mitteret: non enim in ullum alium usum, neque Deo Opt. Max. gratiorem, neq; Christianismi protectioni utiliorem, ea mari ventisque credere eum posse. At ille excusavit, caussificatus inducias sibi cum execrabili illo Oenobarbo intercedere: sed nec alioqui consilium, neque constitutum sibi esse, alium instruere atque armare, seque destruere & exarmare. E.

re. Et cum Cæsar jam ad Vticæ portum pervenisset, deprehensa esse, idem ille Etropias ait, duo ingentia navigia Massiliensia, à Francorum rege, ad Christianæ religionis hostem plus quam capitalem, Hadriadenum Oenobarbum missa. quibus ad quadriremem Cæsarem deductis, vectores eorum quæ habuissent mandata interrogati; primò obstupuerunt: deindè recepto spiritu, responderunt quidem, sed parùm cohærentia; tandem tamen confessi sunt, se ex Tuneto & arce Gulettæ solvisse, Massiliamque rectà petere quam profectionem non fuisse in rem atque usum Tunetanæ expeditionis, à Cæsarianis susceptæ paratam, & adornatam, nemo non suspicatur. Alterius navigii dux, natione Francus, pro certo narravit; quendam Christianissimi Regis à secretis, cui cognomen esse dicebat Forestio, ab Oenobarbo ad Solymannum Turcarum Imperatorem, cum certis mandatis legatum fuisse: nimirùm ut illum de adventu Imperatoris, totiusque exercitus præmoneret. Insuper ex arce Gulettanâ, triremibusque, qui in sinu Tunetensi fuerunt; quotidiè ex machinis ingentis magnitudinis, ferrei & ænei globi, in castra Cæsarea, militumque tuguria iaciebantur, quorum nonnulli & illi quidem grandiusculi, intersignio liliorum insignii fuerunt: ita ut non difficile esset coniicere, è quo myropolio ejusmodi catapotia, quibusve ex officinis, tales prodierãt merces: tandemque plurima, quæ antea incerto rumore, sine authore passim mussitabantur, tum credi pro certis cœpta sunt. Sed quid hoc de fœdere senserit Dn Georg. Schœnbornerus, *ex ejusdem lib. 4. polit. cap. 36* adducere lubet. Franciscus, inquit,

quit, Galliarum Rex sic potens, ut cum potentissimo orbis, dimicaret de Orbe; & unâ veráque cura, sic complexus universos suos, & lis fuerit in Galliâ, debeátne illi plus Mars an Minerva? Nobilitas an Plebs? Miles an Mercator? Tantus heros videretur summæ felicitatis humanæ apicem attigisse, nisi moriens exclamasset: Perii, heu perii, quòd volui esse fœderatus ei, qui hostis est Christiani nominis! Et Cardinali Guisio suggerenti consolationem, ex sacris literis, Omnis, inquit, misericordia mihi clausa est; qui ut æmuli mei, vel gloriam infuscarem, vel vindicarem injuriam, fœdus pepigi cum Turcâ; & Christianorum capita, tanquam armenta ad Mahometanam servitutem, vivus vidensque passus sum abigi. Non puto has voces esse desperantis, sed extremè potius dolentis. Sanè præter bellū, quod florentissimam Galliam exercuit, aliis etiam modis ad pœnam tractus est Franciscus. Posteritatem illius videmus extinctam: Henricus filius in publico spectaculo, factus est orbi spectaculum: Nepotes dolor, bellum, venenum, cultellus, ita brevi absumpsit omnes, ut una eademque ætas Valesiam gentem viderit & summam, & propter fœdus Turcicum nullam.

3. Sed insuper contra Regem Roman. Ferdinandum, instigâsse Turcam, memorat Nicolaus Istuanfi, *hist. Hungar. lib. 15.* ubi (sub A.C. 1542.) ita ait: Induciis, inter Cæsarem & Franciscum Regem, violatis, & in apertum bellum erumpentibus, Franciscus Rex, Antonium Polinum, prudentiâ & industriâ singulari virum, cum magnis muneribus, Constantinopolim misit, qui legationis munere ibi fungeretur, ac à Sulimano ipsi

grave bellum, in Hispaniam & Belgium, aliasq; provincias Cæsari subjectas molienti, auxilia, terrâ, marique impertiret; tali consilio, ut Ha[illegible] classis præfectus, ad vexandas & deprædandas Hispaniæ & Italiæ, Siciliæque oras, cum validâ classe, initio veris, statim mitteretur Massiliam, ipse verò Sulimanus in Pannoniam, Ferdinando arma illaturus veniret aut validum exercitum mitteret. Porrò Franciscum, duplici bello fines Cæsaris invasurum, Sulimano significaret: ita ut duo fratres, ancipiti bello, a duobus longè potentissimis totius orbis regibus, terrâ, marique petiti & distracti, ad æquas pacis conditiones, ac reddenda Francisco principatus Mediolanensis jura, adducerentur. Quâ quidem in re, (ita censente Isthuanffi) detestandum imprimis, ac diris omnibus devovendum Francisci Regis studium videtur; qui pernicie & excidio, ruinaque innoxiorum Pannoniæ populorum, inexplicabilis libidinis, atque ambitionis suæ adjumenta quæsiverit. Quid enim attinebat Vngaros, quibus nihil cum Insubribus commercii erat, tantis periculis, & cladibus involvere, & non potiùs procul ab illis bello contendere, qui nullam ei provocando unquam occasionem attulissent. Extat quoque oratio Guilhelmi Bellay, ex Latino, in Gallicum idioma translata: quâ Iohannes, prætensus Vngariæ Rex, operosè defenditur, contra Regem Ferdinandum *impressa Parisiis*. A.C. 1556. Sed A.C. 1544. in Comitiis Spirensibus, Galliæ Regis Fecialis, excusare voluit fœdus sui Regis, initum cum Turcâ: cumque audita ejus oratio non esset, typis ea vulgata fuit; extatque apud Sleidanum, *lib. 15.* Et habet

idem

idem Sleidanus, *lib. 14.* orationem Gallici legati, habitam An. Chr. 1442. in Spirensi conventu, de bello Turcico suscipiendo: ubi inter alia equitia, notatu maxumè digna referuntur. Ottomanum hujus Turcicæ gentis primum Imperatorem cepisse Bythiniam, diffidentibus inter se Christiani nominis principibus: eâ tandem occasione Turcam penetrâsse in Europam, expugnasse Thraciam, Græciam omnem, & Peloponnesum: imò Turcas trecentis ab hinc annis rerum esse potitos, nostrâ vel discordiâ, vel proditione. Quo tempore Byzantium urbs capta fuit, seditionibus omnem Italiam redundâsse; dum hi Guelphi, illi verò Gibellini dicerentur: Cæsareæ & Pontificiæ factionis nomina. Quid Rhodo nuper acciderit, quid Vngariæ, & per quam occasionem, nō opus esse recitare: sic adeò Turcas, gentem, obscuram & barbaram nationem, è Scythiæ latebris prorepentem, nostris crevisse dissidiis, & hanc Imperii molem exædificasse; dum vel Græci patefacerent eis portam Europæ, vel Genuades, fide Ligusticâ, per Hellespontum eos traiicerent, vel fratres Peloponnesi principes, accensi mutuis odiis, eos accerserent, alter in alterius perniciem; vel Epeirotæ subsidium ejus ferrent, vel Mysii, sua cum ipsis consilia communicarent, vel Pannonii spontè ipsos invitarent. Cōmunis ergò libertatis vindicandæ causâ, rationes ineundas esse concordiæ: neq; cogitandum, fore ut ipsis vel factione divisis, nationes in hanc curam incumbant. Hanc regis esse mentem atque consilium, & rogare ut in optimam partem accipiant; & ab ipso firmam amicitiam, atque coniunctionem expectent.

curam & ſtudium, multis de cauſis ſe immiſcere nolle, pro explorato habeant. Venetos autem, tametſi pactis ſpecioſo titulo fœderibus mutuã amicitiã & auxilia obtuliſſent, quis niſi rerũ imperitus, opẽ allaturos putet? quos potiꝰ alienorũ periculorum ocioſos ſpectatores ſemper fuiſſe certiſſimum ſit? Sibi igitur, quàm conſultiſſimum videri, ut opportuna exilii remedia, apud Sultanum quærat; ac miſsâ legatione, ab illo ſupplicibus votis ſibi conciliato, opem & ſubſidia poſcat: nullum alium eſſe principem, cuius armis & potentiâ regnum amiſſum recuperari, ac contra imminentes hoſtes, & æmulos retineri poſſit. Illum eſſe ingentis ſpiritus ac magni animi principem, & quamquàm religione à nobis diſſideat, tamen iis moribus præditum, ut ſine dubio ad miſerationem calamitatis eius, flecti ac induci queat; ſi piis precibus ac pactione annui tributi humiliter emollitus, in partes traducatur: quemadmodum eius rei in Valachiæ & Moldaviæ populis, eorumque principibus perſpicua documenta habeantur, quos clientes & beneficarios appellatos, ſuis legibus vivere permittat, & ſibi tributarios contra finitimos quosvis armis belloque tueatur. Addidit Laſcus promptiſſimo oblato obſequio, ſi Iohanni placeat, ſe legationem eam, quamvis difficilem & laborioſam, ſubiturum; & quantum in ſe ſitum ſit, ad optatum finem perducturum. Iohannes actis impenſius gratiis, & petito ad deliberandum exigui temporis ſpacio, ſe, quid ſtatuendum cenſeat, maturè cogitaturum dixit. Nec multò pòſt, collaudato Laſco, ac ingẽtibus pollicitis, ſi propitia fata proſperum conſiliis exi-

tum darent, onerato, legationem ei committit: sumptus necessarios suppeditat, supplices libellos exhibet, munera magni precii, aulæ purpuratis distribuenda dat, eiusque ut fautoris & consultoris fidei & industriæ, seque & salutem suã fortunasque omnes magno animi affectu commendat. Ferunt eum, quùm post deprompium animi sui votum, ac legationem decretam, Lascum dimitteret; ad extremum, illud Iunonium ex Marone carmen, *Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo,* subtristi vultu, atque ore protulisse. Et quidem hoc consilium, si Iohannem respicias, utique commodum & utile; sed si Christiana Respubl. spectetur, quæ hâc barbari principis expeditione, in extremum coniiciebatur discrimen, prorsus funestum atque perniciosum fuit. Hæc Isthuanffi. Et ea omnia, eundem ferè in modum refert Salom. Neugebaver. *hist. Polon. l. b. 7.* Et quidem Lascus Vaivodi legatus ad Solymannum, rem ex voto confecit; sed posteà ab ipso Vaivoda in carcerem coniectus, vix quorundam intercessione præsenti vitæ discrimini ereptus, in Poloniam discessit. *Isthuanfi. lib. 12.* Mox ad Ferdinandum transiit, à quo itidem ad Solymannum missus, ab eodem in carcerã detrusus & necdum recuperatâ libertate, diu vitam producere potuit: quùm in Poloniam patriam reversum letifer morbus, non sine suspicione veneni corripuisset; quod ei à Turcis, in lacte, cuius frequenti usu delectabatur, præbitum fuisse, fama erat: cuius vim ferre non potuit; sic ut non sine Sarmatarum ferè omniũ, ac ipsius etiam eorũ regis summo dolore Cracoviæ tumularetur. *Isthuanfi. lib. 15.* Mortuo Iohanne, filius Iohannes

Sigis-

Sigismundus ductu Christophori Bathorii patris ... clas, reassumpsit; sed ... post ipsius ducibus victis, ad eius cladis famam, tantus terror Iohanni Sigismundo repente illatus est; ut suadentibus Nisovio & Polonis, de deserenda Transsilvania cogitaret, & convasatis rebus omnibus, in Poloniam ad avũculum regem cõfugiendum putaret: nisi a Christophoro Bathorio, ne desperatis remediis, salutem fortunasq; suas, præsenti periculo exponeret, retentus fuisset, qui nequaquam defuturos cõsilio, & egregia erga eum bene merendi voluntate Polonos referebat: domi superesse vires; pecuniam, copias, urbes liberas: foris Turcarum auxilia, si petantur, propediem adventura: resumendum animum, & adversus ... improsperaq; fortius enitendum. *Isthuanffi, lib. 21.* Apud Ioan. Sigismundum, summa rerum, apud Michaelem Chaquium, Stanislaum Nisavium Polonum, Iohãnem Salancium, & Gasparem Bequessium cubicularium; qui Iohan. Sigismundi consilia omnia, prout volebant, moderabantur: quos omnes simul cum principe, Georgius Blandrata Allobrox, eorum aut assecla, aut socius, Arianâ infectus peste, eodem veneno infecerat; Isthuanff. *lib 21.* Qui idem *libr. 24.* Iohannis Sigismundi mortem describens, inter alia ait: Incertum an ex nimiâ corporis agitatione, quod gracile atque imbecillum erat, aut intempestivæ compotationis interventu, quâ forte erat usus, morbus recruduit; & eum lectulo affixum ita afflixit, ut per LIV. dies horribilibus tormentis excruciaret, nec ad illum cuiquam etiam familiarissimo, præter Blandratam & Chaquium, detestabiles Arianæ perfidiæ sectato-

ctatores, & paucos quosdam ejus farinæ homines, aditus pateret. Iam enim eo flagitii erat deventum, ut corruptis Blandratæ operâ principe, & Bequessio, nemo nisi Arianus in pretio foret, nemini magistratus nec præfecturæ, nisi ea peste infectis darentur: plurimique officiorum ambitu, nec ullo conscientiæ pavore ad eam fœdissimè atque imprudentissimè prolaberentur.

5. Solimani regni initium est annus Christi Iesu, M. D. XX. idem qui mortis paternæ, cùm haberet ipse annos circiter XXVIII. Hic proximo statim anno, exercitum in Hungariam duxit & obsedit Belgradum. Miserat autem Soliman nuntios in Hungariam, qui tributum sibi debitum peterent. Eos Hungari contumeliose tractaverant, & hanc Soliman inferendi belli causam libēter arripuerat. Accedebat huc, quod indicabantur Solimani discordiæ, & simultates inter proceres Hungariæ; quorum rex Ludovicus adolescens, neque se, neque illos regere, neque regnum gubernare posset. *Camerarius, in narrat. Turcicis.* Eaque de re Iovius, *hist. lib 19.* Solymannus, inquit, præmisso paratissimo exercitu, Sophiam usque, quæ Serviæ civitas est, antè pervenit, quàm Vngari eâ de re aliquid rescisce rent. Enimverò quod id Vngaros attinet, per id tempus Vladislao, qui per aliquot annos absque militari gloriâ regnum administrarat, Ludovicus unicus filius successerat, juvenis haud admodùm ingeniosus, atque ob ætatem adhuc rerum imperitus. Hunc regni principes atque ecclesiarum præsules avari, expilandum sibi proposuerant: adeò ut nihil ipse præter regium nomen possideret: id quod in causâ extitit, quò minùs

bus colligi exercitus contra Turcas illicò potuerit: Christianis principibus intestina bella meditantibus. Prolixè hujus obsidionis historiam, recēset Isthuanffi, *lib. 7.* ubi ait. Nandoralbiæ (Belgradi) duo erant præfecti, quibus tuendæ ejus urbis munus delatum erat; Emericus Enningius cognomento Turcus, & Franciscus Hedervarius, quorum ille egregia laude administratâ provinciâ ante aliquot dies è vivis excesserat; relicto filio juvene Valentino: hic verò certis de causis, & incertum an non imminentis obsidionis metu perculsus, à rege successorem sibi mitti postulaverat, nec tamen eo expectato domum se receperat. Cùm autem Ludovicus Andream Bathorium Comitem Sacmariensem, qui præfecturam tam celebris loci obiret, commeatumq; & futuræ obsidioni necessaria compararet, præsidia augeret, muros & propugnacila isthuc misisset: summâ contumaciâ non obscuræ perfidiæ proximâ, à Valentino & Hedervario non fuit admissus, quod dicerent, Emerico Enningio Valentini patri, atque adeò ipsi etiam Hedervario in stipendia non contemnendam pecuniam ab rege deberi; ità ut vir clarissimus, re infectâ indignabundus reverti sit coactus: & neque illi contumeliosi mandatorum regiorum contemptores, ullam defendēdæ urbis curam suscepêre, & alios eam subire paratos nefariis consiliis avertere. Quæ res procul dubio excidium urbis longe clarissimæ ante omnia maturavit. E contrà Solimanus, arcem & urbem in diversis partibus, copiarum suarum multitudine quaquaversum circumvallavit; & naves ac biremes prætorias è Ponto ad ostia Danubii, atque illinc

adverse.

adverso flumine advectas, per Danubium atque Savũ opportunis in locis disposuit: tantâ animi pertinaciâ, ac maiorũ suorũ æmulatione, ut urbe quanquã validam & munitã, cui perdomãdæ abavus Muráthes, ac proavus Mahametes frustra insudassent, omninò expugnandam capiendamque constituisse videretur. Nostri quidem ex adverso, pari constantiâ eam defendendam suscepere, omnesque Sacramento adacti iuravere se nunquam deditionem facturos. Sed illud inprimis animos eorum magnoperè anxios & sollicitos reddebat, quod præter urbanam turbam, quæ ex Vngaris & Thracibus, linguâ, moribus, rituque sacrorum inter se diffidentibus constabat, præsidiarii milites, in tam magno capacique loco D C C. numerum vix æquabant: quum auxiliorum expectatio, circumvallatâ iam ab hostibus arce, conclamata prorsusque irrita esset. Commeatus quoque non satis abundans, & tormentorum pulverisque sulphurei minor quàm pro necessitate erat numerus. Dum autem Sulimanus cogitationi simul, & operi redigendæ in potestatem urbis, impensè, pertinaciterque vacat, nec tamen voto desiderioque potitur suo Thraces, seu proditionis premiis illecti, sive metu periculi, ex oppido ad eum opportuno tempore transfugiunt. A quibus cum obsessos rei frumentariæ angustiis, ac pulveris sulphurei inopia premi cognovisset; tum vero etiam urbem ab iis locis, quibus tormenta in eum exploderentur, propter mœniorum firmitatem frustra peti edoctus est. Addebant transfugæ nusquam debiliorem esse murorum partem, quam qua

Savus

[illegible]s præterlaberetur: quod eos veteres præfe-
[illegible] ingentis fluminis objectu satis esse tutos pu-
[illegible]nt. Nihilominùs Blasco & Bothus præfecti,
[illegible]mâ industriâ, ac assiduo labore, milites per
stationes passim excubantes, etiamsi tum vix
CCCC. supererant, invisêre, atque ut officio &
muneri tuendæ patriæ debito, egregiè fungeren-
tur, exhortati sunt; saucios medelis adhibitis so-
[illegible]ri, integris animos addere, non cessârunt: ac
ita sua munia pro temporis conditione & neces-
sitate, eâ fide, virtute, & diligentiâ obierunt: ut
hactenus ritè omnia administrata esse videren-
tur, & XX. hostiles impetus in arcem & urbem
acerrimè illatos, invicto corporum & animorũ
robore & constantiâ pertulerint. Ac quum So-
limannus, Ludovicum clarissimæ urbi, quã ipse
Pannoniæ clavem merito appellabat, collecto
exercitu opem allaturum crederet, ac ex suis for-
tissimi quique aut trucidati periissent, aut vul-
neribus debilitati operam præstare non possent;
ab aggrediendis mœnibus, aliquandiù salubri
sibi & suis morâ abstinere decrevit: eo consilio,
ut integras vires adventanti Ludovico, ad non
dubiam victoriam opponere posset. Quę res no-
stris aliquantum quietis ac nonnihil spacii at-
tulit: nutantia mœniorum loca, aut deiecta, di-
[illegible]nis nocturnisque operibus resarciendi ac mu-
niendi. Iam LX. dies obsidionis agebatur, quũ
nostri non tantùm cum summâ acerrimorum
hostium pertinaciâ; sed cum inediâ ac siti, cum
rerum omnium asperitatibus dimicabant; neq;
tamen à Ludovico ulla spes auxiliorum appa-
rebat. Quare Sulimanus, iterùm ad pristina ex-
pugnandæ arcis consilia conversus, aut vincen-
dum,

dum, aut suis omnibus occumbendum esse edixit. Sed quum neque sic contra obsessos, extrema omnia pati ac perferre paratos, quicquam proficeret, & in summa rerum omnium desperatione versaretur; ad extremum quidam, incertum Gallus ne vel Italus (nam Turcæ utramque gentem Francos appellant) ex iis, qui Christianâ religione abjuratâ Mahumetanæ superstitioni se addixerunt, ad Pyrrhum & Achomatem cæterosque duces profectus, atque ab iis veniâ petitâ, in colloquium admissus, quædam se in medium allaturum, si ab ipsis audiatur, proposuit; jussusque paucis dicere. Quùm bellis in Italia gestis juvenis, inqnit, interessem, non corporis duntaxat viribus, sed ingenio res bellicas geri, ac administrari didici; proindè quandò hostium animos, nec tam diuturnis asperrimisque malis frangere, ac debilitare hactenùs potuistis, nec aperta vis processit, cujusdam rei vos admonendos duxi, haud equidem vobis ignaræ: verum inter curas multiplices fortè & labores memoriæ obliteratæ; ut nempè occultis in imo actis cuniculis, ac subjecto introrsùm pulvere sulphureo, mœnia & propugnacula subvertatis. Hac arte, non aliâ pertinaciæ obsessorum finem imponetis; & Sulimanus, si hîc vincet, Pannoniam omnem vincet. Quùm haud importuna loquutus esse censeretur, collaudato eo, ac si consilio eventus respondeat, ingentibùs promissis confirmato, duces rem ad Sulimanū detulêre. Ejus assensu mox quæsiti, & venire jussi fossores, & adhibitæ militum æquè ac agrestium operę, cuniculos ad fundamenta primariæ turris subterraneos, magnâ curâ, nec minore silentio moliri
ince-

inceperunt. Sed vel quòd nostri, nondùm ejusmodi militaris fraudis gnari essent, seu quòd bipillis & ferramentis operi necessariis destituerentur, quibus contrarios de more militiæ cuniculos agerent; mirum sanè accidit, non solum fodientes sub terrâ, sed egerentes etiam humum hostes, obsessos latuisse. Sed & hostes singulari astu, crebris tormentorum bombis, ac tubarum, tympanorumque strepitibus, ac magnis sublatis clamoribus, speciem irruentium præbebant, ne inclusi fodientium & labori intentorum sonitum admotâ aure captare, aut illisam ligonibus humum moveri animadverterent. Igitur sulphureus pulvis, qui in cuniculum cõvectus erat, ab hostibus, immisso igne, incendi-tur, ingentique fragore & strepitu, instar fulguris & tonitrui edito, certa pars propugnaculi in sublime jacta, puncto temporis disturbatur & corruit. Tametsi verò in hunc modum quassata turris concidisset, incredibili tum casu ingressuris hostibus, aditum nequaquam patefecit; sed potius tanta opportunitate introrsum procidens, novam ac insperatam munitionem opposuit, ut irruptionem longè quam antea difficiliorem effecisse videretur. Sed verò obsessis, & præsertim Thracibus, ejusmodi rerum insolentibus, ab imis radicibus excisæ turris ruina, usque adeo ingentem formidinem & terrorem incussit, ut consternati fractique animis, & omni prorsus fidei ac virtutis constantiâ turpiter excussâ, nec habita ullâ sociorum Vngarorũ ratione, literas sagittis alligatas ejaculari, ac de deditione, cum hostibus nefaria consilia miscere non dubitarẽt. At Hungarici Præfecti, cum re cognitâ, periculo-

Iesi subdolique consilii auctores capere, & in carceres conijcere vellent; parùm abfuit, quin re, inter mutua iurgia, ad non dubium intestinæ seditionis discrimen deductâ, & iam inclinatis ad arma proditoribus, à Thracibus, qui ferè omnes unanimi perfidiâ, complices suos ab iniuriâ tueri proposuissent, in frusta conciderentur. Itàque ad preces & obtestationem versi, eos per immortalè Deum, divosq; omnes, non sine fletu & lachrymis orabant: ne qui pluribus retroactis annis, decora pariter & dedecora militiæ, tū vero in præsenti atrocissimę obsidionis morâ frigus, æstum sitim, famem, vulnera cæterasq; diuturni laboris & pertinaciæ molestias, longa perseverantiâ & æquo animo pertulissent, & tantâ egregii nominis & constantiæ laudem essent consequuti; nunc non magno procumbentis parietis lapsu, fracti animis & perterriti, veteris & recentis gloriæ nomen obscurare, & amittere vellent: non esse eius casum tantoperè formidandum, quùm irrupturis, secus quam optavissent obstruxisse viam potius, quam aperuisse censeatur, ut facilè videre ipsis liceat, superesse adhuc tantùm alimentorum, ut parcis & frugi militibus, quales ipsi sint, sustentandis ad aliquot insequentes dies suffectura esse videantur. His atque aliis talibus Thraces sanari, aut fatalis sententiæ decretum, animis eorum convelli nequaquàm potuit; quin summa totius eorum consilii erat, ut quum numero Pannoniis superiores essent; etiam ipsis invitis & reluctantibus cum Sulimano & Turcis transigere maturarent. Eorum igitur discessione, Blasco & Bothus ac Morgaius, cæterique Pannonii adacti; ne domi intra

infra mœnia deserti & proditi à sociis, for... ve-ro à truculento hoste, uno codemque tempore extremæ sortis aleam subire cogerentur; ipsi-que quoque de tradendâ arce, & transigendis dedi-tionis conditionibus, cum Thracibus conveni-entesque assentiri coacti fuere Nec morâ, re è muris significatâ, præfecti Ianicerorum, qui tor-mentorum atque aggerum custodiæ præerant, ad Purpuratos Pyrrhum & Achomatem accur-rentes, literas securitatis Sulimani manu & sig-no firmatas, quibus literis, Nandoralbanis uni-versis atque eorum coniugibus & liberis, rebus-que & arcenis omnibus, quocunque vellent li-bere exeundi potestas concedebatur, absque lon-giori mora attulere; & si quis ex ipsis ac potissi-mum Thracibus manere in urbe mallent, eâdem qua ante bellum conditione, habitare permitte-bantur. Profectione in diem sequentem insti-tutâ, qui fuit XXIX. mensis Augusti, cum inter armatos Ianicerorum, & reliquorum Turcarum ordines, inclinante iam sole progredi iuberen-tur, Vngari contra fidē datam, omnes extemplò cæsi, atque interfecti fuerê: magnâ Thracum quoque parte, eandem diræ cædis & lanienæ fortunam, miserabili casu subeunte; præter pau-cos, quibus ingravescentis ætatis prærogativa, arbitrio ducum Turcicorum, ut in urbe mane-rent, præsidio fuisse visa est, Blasconis & colle-garum, ac præcipuorum militum capita, ante Pyrrhi tentorium, sudibus præfixa, spectaculum exercitui præbuêre.

6. Porrò Solymannus, quùm post eam victo-riam per integrum annum quievisset, generosâ quadam animi promptitudine, cōtra Rhodum. Anno

Anno ab orbis instauratione 1522. bellis in Italiam, & aliis locis Christiani orbis durantibus arma sumpsit: Pyrrho ac pluribus Saniacis, minimè id probantibus; etenim adhùc memores erant, quàm difficulter, quamque magno cum suorum damno ac dedecore, Mahometes anteà id frustrà tentasset. Sed super omnia, parùm tutum Imperatori judicabant, ut seipsum tam parvæ insulæ, committeret; fieri enim posse arbitrabantur, ut classis Turcica, vel adversâ tempestate, vel Christianorum navibus impetita, ingens aliquot incommodum sustineret: id quod principem ipsum, in manifestum discrimen induceret. Nam illis æquum ac rationi consentaneum videbatur, ut occidentales principes Rhodiis suppetias ferrent. Verùm Solymannus, qui ex patre Selymo audierat, victorias, nisi Imperatoris manu parentur, non esse omnino integras; per seipsum tandem petere insulam decrevit. Eaque de re ita Camerarius *in narrationibus Turcicis.* Implorantibus obsessis opem, neque Galli subvenire, implicati bello Italico potuere, & Pontifex Romanus, penuriam pecuniæ prætendit, quòd diceret, pauperem esse D. Petrum. Neapolitani quidem & Lusitani, copiarum aliquid contraxerant, sed illorum succursio sera fuit. Occupata Rhodus est die consecrato memoriæ nati in terris Iesu Christi, Anno huius M. D. XXII. vel si à natali Christiano anni initium ducatur, M. D. XXIII. Cùm esset militiæ Rhodiæ magister, Philippus Vilerius Liladamus: urbem intravisse Turcas traditur, eâ horâ, quâ Hadrianus Pontifex, Romę in solenni pompâ, ad peculiarem ædem sacram processerit, &

unde

...è tunc saxum deciderit, interfeceritq; unum ...tellitibus ipsius Helvetium. Id quod à qui...dam pro prodigio habitum fuit. Extat co...rum scriptum de capta Rhodo a Turcis Iacobi Fontani: & eadem de re multa habet Hen...cus Pantaleon, *in Historiâ militaris O dinis Iohanni... num,lib.7.* Quo quidem pacto sese Solimam victor, erga magistrum militiæ Rhodiæ, & socios ...ius gesserit; de eo omnium narrationes ne...aquam consentiunt. Quidam enim, & com...latum a Turcâ Magistrum, post orationis ...acis & duræ principium, clementer, & pa...em appellatum, & factam potestatem liberi di...cessus; sed omnia hæc ficta & simulata fuisse, quod magistrum & præcipuos proceres statuis...et Constantinopolin avehere. Quidam, signi...atum esse Magistro Solimanis nomine, pacta conventa rata non habiturum, nisi traderetur si...bi Zemi Soltanis filius, qui eodem nomine tūc ...di degeret. Et ideò edicto prohibitum, ne quod navigium solveret portu, donec hic inve...retur. Tandemq; eum, unâ cum filiis duobus, & totidem filiabus repertum, & ad Solimanem adductum; cum interrogaretur: Amplexusne esset religionem Christianam? Respondisse, & se & suos liberos, Christianos esse, & in illius religionis cultu, mo...n obire velle. Atque ita ne...tum fuisse unà cū filiis; & filias avectas Con...ntinopolim. Cùm quidem ille, & Ianissaro...m plerique, nec non multi cæterorum Turca...um, inter se amici essent singulares; ut momen...in ipso nonnihil positum crederetur ad dissi...a, & factiones inter Turcas commovendas. At...ue habuit in animo Papa Leo (quod & su-

prà alicubi relatum est) accitum Zemum illum Zemi Soltanis filium cum Christiani nonnullis copiis adversus Turcas ablegare in Hungariam neque dubitabatur, quin ad eum multi undique deserto Solimane transituri fuissent: sed rem illic evadere alio oportuit, & consilium istud morte Leonis peremptum est. Cæterùm Victoria Turcica ista, ejusmodi fuit, ut tam ductores exercitus, quàm cæteri milites, eâ non admodùm gloriarentur, quæ tam cruenta evenisset. Proditum memoriæ est, suadentibus quibusdam Turcarum regi, ne inferretur bellum Rhodiis, namque excitum iri universum nomen Christianum, & Germanos quoque, nationem inprimis bellatricem. His igitur illum respondisse indicatum est: Non metui à se Christianum nomen, neque ab illo periculum quicquam sibi impendere arbitrari. Nam esse inter ipsos tanta dissidia, quanta nunquam posse componi viderentur. Ad Germanos autem quod attineret: Militiam jam illorum mollem & delicatam, in luxuriâ & ebrietate minùs esse formidandam. Tum verò nihil ab illis institui, & geri ordine, atque rectè. Et esse apud eos omnia perversa, neque jus ullum, neque virtuti honorem haberi. Non potui omittere, duo inprimis memorabilia visa, quæ in narrationibus, de captâ Rhodo referuntur. Quorum id, quod priore loco exponetur, etsi absque Germanicæ potissimum nationis dedecore non cognosci; tamen commonefactionem aliquam & non prorsus insanos utilè habere poterit. Ipsum enim Magistrum militiæ Rhodiæ, narrasse aiunt, cùm urbem deditam intraret Soliman, cum triginta millibus hominum, nō unam vocem que-

emitteretur ab his, audiram; & tanto cum silentio, tantaque honestate universos processisse, ut non milites illi, sed religiosi chori videri possent. Alterum sanè est horribile: Græca quædam mulier, consueverat cum uno ex ducibus in præsidio Rhodi, qui ex ipsâ susceperat filios duos. Ea cum vidisset allatum corpus viri mortui, sine morá filios parvulos amantissimè complexa & deosculata; & signo crucis, suâ manu Christianâ consuetudine, fronte utriusque notatâ, ambos pugione arrepto jugulavit, inter lamentabiles querelas. Et semivivos, cum pretiosissimis rebus suis, in ignem conjecit, cum inter lacrymas & ejulatus diceret: Non potituros tam nobilibus corporibus Turcas, neque vivis neq; mortuis. Mox detractam vestem de viri, quem mirificè amaverat, cadavere, sanguine adhuc madentem, & servatis armis, in proximum hostium sese manipulum intulit, & nonnullis interfectis, ipsa quoque cecidit. Et habet hoc quoque sequentia Iacobus Fontanus: Tyrannus cinctus ingenti exercitu, proximiore cohorte prætoriâ, quæ ad pompam & terrorem auro, armisque præfulgebat; singulas pacis ac deditionis leges, testibus Deo, ac Mahomete, fœderum inspectoribus, conceptis verbis pronunciavit. Convenit inter cætera capita: Divorum templa inviolata manere; pueros non avellendos è parentum familia; neminem cogi debere, ut Mahometi nomen daret: manentibus quinquennalem tributorum immunitatem concedi. Abituris dare naves, & commeatum, usque in Cretam, tormentorum bellicorum quantum liberet tolli posse: diem deferendæ urbis arbitrii Christia-

norum esse. At Tyrannus, Deorum, ac hominum juxta contemptor, tantùm fidei datæ cōtemptor fuit, ut die natalis Christi, antequam quisquam fugam adornâsset, portâ Cosquirii propugnaculi, vi effractâ, urbi infesta signa intulerit. Et sacra omnia prophanans, primarium phanum, numini tutelari sacrum, in ędem Mahometis convertit, & passim tota urbe, templa conspurcare non veritus est. Magnus Magister, consilio, sive jussu Achimeti, assumpta humili veste, qualis supplici, victo, & victoris majestatem veneraturo conveniebat, foris in castra hostiū ad Tyranni prætorium ivit: paucis comitibus ex illo infœlici ordine Equitum. Magister, cùm à summa luce, in maximam usq; diei partem impotus impransusque, sub densissima etiam pluvia & grandinis turbine, diù ante prætorium expectasset, tandem lato clavo à Barbaris indutus, ad Solimanum usque deductus est. Ambo, alter alterius intuitu, & admiratione mutua attonitus, invicem se paulisper contemplati sunt. Tum salutatus primum à Magistro, & manum suam passus osculari; sic loquutus perhibetur. Etsi meritò jureque optimo, deditionis leges, quas præscripsi, irritas facere possim, scelestissimis tuis Cruciferis, ac populo Rhodio, tibique inprimis hosti tam infenso; à cujus merita pœna justissimum victorem nec fides, nec sacramentum flectere deberet: decrevi tamen in novissima exempla promeritum non tantùm pius esse & clemens, sed etiam liberalissimus: cui si gravissimos vitæ anteactæ errores, benè agendo emendare velit, honestissimos ordines, summos magistratus, supremā imperia in bello, in exercitu, in toga, in pace polliceor.

eos. Hæc ne recuses & præsens fortuna tibi sua-
det, & Christiani, quorum causam, meliore in-
certo quàm exitu adversus me tuendam cœpi-
sti, hanc talionem merentur. Quid enim prohi-
bet quin à tuis omnibus desertus, & proditus, ac
victus: in perpetuam fidem, & ultrò oblatam
gratiam, potentissimi & benigni victoris venias?
Ad hæc Liladamus: Maxime, clementissime Im-
perator, inquit, oblatam conditionem ego præ
tantis ducibus tuis, minimè mereor: fors autem
& merita mea, haud talia sunt, ut refutare illã,
vel ausim, vel debeam. Liberè tamen dicam, in-
ter arma victricia, victus ante victorem, cujus
summam clementiam nunquam desperavi, cu-
jus fidem haud sum veritus; malo aut statim a-
misso imperio, privatam & felicem hanc vitam
amittere, aut semper ingloriã eam vivere, quàm
à meis transfuga potius, quàm victus appellari.
Vinci enim fortuitum est, & à tanto victore et-
iam ipsi victo, non prorsùs pudendum: sed suos
deserere, ignaviæ & perfidiæ plenum duco. So-
lymannus admiratus cani Principis, in tanta
difficultate animum, & modestiam, jussit dimis-
sum à colloquio, cum summa fide & satellitio
Turcaico, in urbem reduci. Neque hoc officio
satis se fecisse Solymannus prudentiæ, & fortitu-
dini Magni Magistri credidit. Die ergo quadam
improvisus urbem ingressus, Magnum Magi-
strum reculis suis componendis intentum, invi-
sit. Hic cum se submittere in genua, & victoris
majestatem adorare vellet; ille nullo modo id
passus est. Imò motis paulisper à fronte manu
dextera infulis, imperialibus, quod reverentiæ
signum, Turcarum reges, Deo tantùm & Maho-

meti exhibere solent. Magnum Magistrum Baba, hoc est, patrem amantissimum & reverendissimum appellavit. Ac scribit Paulus Iovius in *Vita Solymanni*, ipsum Liladamum retulisse, secùm secundò ad Solymannum, ut abeundi precaret veniam, accessisset, tam benigne fecisse acceptum; ut idem Solymannus ad Hebraimum Bassam, quem summoperè amabat, quemq; solum tunc secum habebat, conversus, hujusmodi verba dixerit. Profectò non possum non dolere, infelicem hunc senem, propria domo pulsum, adeò tristem hinc abire. In summa, Solymannus maxima cum sua gloria, & Christianorum omnium, summo vituperio; Rhodum, quæ sibi veluti funesta sudes in oculo fuerat, sexto mense, ab eo, quo ipsam oppugnare cœperat, occupavit.

7. Post occupatum Belgradum, Solimannus aliquot successivè in Vngariam expeditiones suscepit; illius Regni partem opimiorem in suam potestatem (apertâ partim vi, partim proditione; motibusque civilibus, adjutus) in suam potestatem redegit. Etenim A. C. 1526. Ludovicus Vngariæ Rex, cum Solymanno inter Budam & Quinquecclesias ad Mohatum congressus, prælio victus est, & in palude limosâ submersus. Ludovicus autem hicce, Filius erat Vladislai Iagellonii, Casimiri Poloniæ regis nepos. Matrem habuit Annam Candalensem, regiæ Navarrenæ stirpis apud Vascones, in Gallia; quæ nullâ cute vel pelle tectum, in lucem edidit, quàm postea demùm, medicis arte naturam juvantibus, est consequutus. Habitum hoc infelicis ominis loco. Pater baptisando pro more Christiano Iulii nomen

nomen indere decreverat: sed aliud suadente matre, Ludovicus fuit adpellatus. Narrantur & alia, quæ infelici juveni (quippè vigesimum primum ætatis agebat annum, quùm interiret) tristissima quæque portendere credebantur. Nempe, pro certo refertur, multò ante regis interitum, quum Budæ rex ageret, ac pro more clausis [illegible]is foribus pranderet (misere quidem certè victitasse regem hunc; defraudatum, & contemptum habitu à proceribus Vngaris, regio interim luxu diffluentibus, testis oculatus Herberstainus Baro memoriæ prodidit) accessisse ad arcis portam spectrum quoddam, in forma hominis, fœdum in modum distorti & claudicantis: altaque voce, flagitâsse colloquium regis, cui necessario quædam indicaturus esset; ad regiam regnique salutem pertmentia. Quùmque neglectus initio, quod in aulis fieri solet, nunc altiori clamore, nunc ejulatu adhibito, id uti quàm primùm regi significaretur, peteret: tandem hominis importunitate commotos quosdam, quùm extra regem ipsum nemini secretum hoc se patefacturum diceret, rem ad regem detulisse; qui mox abire quemdam è splendidioribus aulicis, & simulata persona regia, quid istuc arcani esset, quærere jusserit. Tum verò claudum illum, de arcano revelando velut à rege præsente adpellatum, negasse primum, hunc esse regem: deindè [illegible]isse, regem, qui se audire nollet, brevi periturum: atque his prolatis, in oculis omnium evanuisse. Hæc Leunclav. Pandect. 221. Pòst Solimannus Victor, Budam provinciæ regiam, & multa alia oppida nullo negotio cepit: cùmque imagines Ludovici demortui, & Mariæ uxoris

contemplaretur, illacrimâsse ferunt barbarum etiam in tanta victoria humanæ cõditionis memorem, quod rex in illa florenti ętate pravorum consultorum impulsu, se in tam apertum exitium præcipitem dedisset: quippè non eo consilio se venisse dicebat, ut regem paterno regno exueret, sed ut Hungarorum insolentiam refrenaret, & ipsum beneficiarium Othomanici imperii efficeret Thuan. lib. 1. Nocuit autem tum Ludovico, inprimis, jactantia, & ignavia Vngarorum. Aliqui enim ex Optimatibus, ad patriæ defensionem evocati, mandatum regium exequi recusarunt; dum privilegia sua, & morem baronũ sub regiis tãtùm signis militandi jactârunt. Rex igitur in frequenti senatu, ubi de hoc agebatur, subitò in iram versus: Video, inquit, ego unumquemque, capite meo excusationem & salutem suo capiti quærere. Ego personam & caput meũ ideò in hæc pericula adduxi, ut illud pro hujus regni, & vestrâ salute omni fortunæ discrimini objicerem. Ne quis igitur sit, qui possit excusationem aliquã suæ ignaviæ, capite meo prætendere; néve possit aliquid mihi imputari: ibo ego, Deo optimo bene juvante, cras vobiscum in persona, cò, quo alii sine me, ire nolunt. His dictis applausu multorum, admiratione vero omnium qui aderant subsequuto; signum in sequentem diem proficiscendi canere jubet: quibusdam qui non ignorabant, quid inde periculi sequi posset, frustrà profectionem ejusmodi dissuadentibus. Cumque Rex prœlium differre vellet, tum milites ad unum omnes fremere, indignari, sese ab hoste, cui obviam iri oporteb[a]t, cum quo manus, si viri essent, strenuè forent co-
fere[a]-

ferendæ, abduci; fugam meditari, non pugnam. Principes, qui talia regi suaderent ocio & inertiæ assuetos. Veniat modò rex, & secum in hostem arma ferat: victoriã fore in manibus suis. Exploratum sibi esse, habere quidem hostem ingentem vim hominum, & tormentorum: exercitum tamen ejus imbellem esse, & inermem: vix decimum aut vigesimum quemque, telum aliquod habere, quo nocere possit. Illud etiam esse sibi compertum, dicebant; omnem illam strenuam olim, & invictam Turcarum manum, primùm sub Belgrado, pòst in expugnatione Rhodi cecidisse. Fuerunt tamen, qui multùm improbarent consilia pugnæ, ita præcipitanter ineundæ. Et inter alios Franciscus Perenni, episcopus Varadiensis, festivi ingenii juvenis, quasi eorum quæ paulò pòst sequuta sunt, prescius; reason sine omnium qui aderant, admiratione dixit: eum diem quo pugnandum esset, postquã ita placeret, 2000. Hungarorum martyrium (nõdum enim hunc numerum exercitus excedebat) pro Christi religione occisorum fore consecrandum: ac pro eorum canonisatione quod vocant, cancellarium, si is huic bello superſit, in urbem, ore mittendum, ut qui pontifici & supremis patribus sit ad legationes Romæ defunctas benè notus. Signo belli dato, viriliter cum hoste concurrere hi qui in prima acie erant: bombardæ quoque Vngarorum omnes emissæ fuerunt, parvo tamen hostium damno, fit certamen, multò acrius quàm pro numero militum Vngarorum, plures ex hostibus quam ex Vngaris cadunt: donec Vngaris fortissimè pugnantibus, hostis cedere cœpit, sive Vngarorũ impressione eò actus,

 sive

ſive ut eos ad tormentorum loca pertraheret. Et repentè advolat ad regem Andreas Batorii, hoſtes terga dare, victoriam penes Vngaros eſſe: promovendum ergò gradum, & Vngaros hoſtem fugientem perſequentes, adjuvandos. Properatur igitur per æqua & iniqua, verùm ubi ad eum locum ventum eſt, in quo paulò antè fuerat certatum: ibi verò multa Vngarorum, plura hoſtium cadavera, per campos jacentia vidiſſes, & quosdam ſemivivos, & adhuc ſpirantes: interim Vngaris hoſti inſtantibus, & fortiter cum eo pugnantibus, agmine regio eodem, quantum à cataphracto milite properari poterat, properante, inclinari cornu dextrum cœpit, & plerique ex eo cornu, fugam capeſſere, tormentis (credo) quæ hoſtis tunc primum jaculari cœperat, exterriti. Eo ipſo tempore, inque tanta rerum aſperitate, cùm Barbarorum globus ad diripienda caſtra convolaſſet, & ægrè à præſidio defenderentur, lectiſſimorum quędam equitum ala, quæ regi præſidio eſſe debuerat, continere nequit, quin opem caſtris afferens, in Turcas oppugnantes deferretur. Eodemque ſemihoræ momento Ludovicus rex proſtratis undique copiis, nudatus eo quod ſperaret, paraveratque præſidio, ſeſe eripiens; in proximâ palude, reflectente ſe equo, ita ut erat armatus, ſeſquipalmis aquæ lutulento in gurgite ſuffocatus, interiit: quo in loco plures etiam alii interierunt) Ita tamen ut eum locum Cetriſcus armiger ejus & cubiculiarius, genere Bohemus, notaret & effugeret, & poſt multos dies, decedentibus hoſtibus, integrum regis cadaver Cetriſci indicio reperiretur, regio funere tumulandum, ad Albam Regalem deferre-

deferretur. Regis exercitu, per ea quæ diximus, vehementer turbato, & ad fugam spectante; diu tamen, etiam posteà est pugnatum, jam non in latiore illa planitie, sed ante ipsa tormenta: quæ Hungaris adeò erant propinqua, ut non fuerint ab iis decem passibus remota: donec non solum terrore, sed & fumo tormentorũ omnia replente, ac visum etiam prohibente; coacta fuit magna exercitus pars, in vallem, quæ aquis illis palustribus juncta erat, descendere, reliquis adhuc ante tormenta viriliter pugnantibus. Cæterùm quùm hi quoque, qui se in vallem receperant, rursùs in pugnam instaurandam rediissent, neq; jam ulteriùs vis tormentorum & fumi, sustineri posse ullo modo videretur: magnâ exercitus parte, in fugam dilapsâ, ipsi etiam sunt fugere coacti Fugam igitur ad unum omnes, qua cuiq; proximum erat, capessunt, ac per ea potissimum loca, per quæ paulò antè ovantes, & spe victoriæ pleni venerant. Duravit certamen justum per unam ferè & mediam horam, suntque non pauci, & illa palustri voragine absumpti. Eo die, qui pugnam est insequutus, mille & quingenti ex Hungaris capti fuerant, & inter hos magna primorum nobilium pars in coronam positi, coram Tyranno capite truncati sunt. Pauci ex captivis servati sunt, ut essent à quibus Solimannus, & Hebraym Bassa, ea, quæ opus erant, possent sciscitari. Perierunt in eo prælio & in fuga, præter regem, ex antistitibus & optimatibus, nobilibusque potioribus, usque ad quingentos. Præter tria vel quatuor millia peditum, paucissimi evaserunt: fuerunt autem usque ad duodecim, vel tredecim millia peditum: ex quo-

rum ducibus vix evasit quisquam. Tormenta bellica omnia, & illa quæ in acie fuerunt, & ea quæ partim in castris, partim in navibus remanserunt, diripuit hostis. *Hæc Stephanus Brodericus, de Ludovici Vngr. R. gis clade.* Quibus non absimilia habet, Nicolaus Isthuanffi, *lib. 8. hist.* quibus tandem addit: Vaivodam, Frangepanum, Bohemorum ac Moravorum copias, post pugnam demum advenisse. Quòd si præcipitis & funesti prælii auctores, has copias auxiliares opperiri, quàm malè sanis consiliis, juvenis regis immaturum interitum, & patriæ certum exitium, procurare, maluissent, commodiore utiq; fortunâ, & æquiore conditione certare; neque de successu victoriæ magnoperè desperare potuissent. Cû ad duces, infelix & lugubris adversæ pugnæ exitus fama allata essent, omnes æquè attonitos & metu perculsos perterruit, & perturbavit: sic ut hi quidem omnes, eò unde venerant, agminatim reverterentur. Sed Vaivoda, suo usus Consilio, exercitum, retinuit, & munitis castris aliquandiù ad Segedinum stativa habuit, ut quorsùm consilia Sulimani tenderent, ibi opperiretur. Fuere qui eum occulta cum hoste consilia, jam tum tractare dicerent; ut postquam Ludovicus, nullo hærede superstite fato fûnctus esset, Sulimani ope regnum consequeretur; sed haut quicquam tale in apertum prodiit; ipseque etiam adepto regio nomine id negavit.. Habet & Paul. Iovius, *lib. hist. 28. sequentia.* Post Solymanni discessum ex Hungaria, Iohannes Sepusius è Transsylvania, eductis copiis, ut regi opem ferret, serò in Pannoniam venit; non obscurè regis morte, & magno suo commodo letatus: aspirare namque

corpis

cœpit ad Pannonici regni faſtigium, quandò ipſe, nullâ extante regiâ prole, inter Hungaros proceres eſſet clariſſimus, & propter victoriam quondam de agreſtibus, Georgioq; Secalo Bornomiſſa collegâ partam, bellicâ laude illuſtris haberetur. Itaque Iohannes valido, prudentique ingenio vir, erectus in ſpem potiundi regni, ſingulos proceres diligenter prehenſare cœpit; obteſtarique ne proximis comitiis Hungarici nominis decus prodere vellent, ſi vetuſtiſſimæ dignitatis imperium, ad externæ atque inimicæ gentis nomen traduci paterentur. Debere Hungaros probè meminiſſe, quantas clades ſuperioribus tempeſtatibus, acceperint, quùm alieni externique ſanguinis reges ſibi accerſerent, & adverſus Turcas inauſpicata eorum ſigna ſequerentur; ſatis præclaro documento eſſe debere ſuperiorum temporum calamitates, quas vel Sigismundus Bohemus, vel ſuperior Ladislaus Sarmata, ad Nicopolim ſemel, atque iterum ad Columbatium, & ad Varnam demùm, infeliciter cum hoſte barbaro dimicantes, Pannoniis importarint; quandò ea detrimenta, quæ vel longâ Ladislai ignaviâ, vel hâc dudùm infelicis filii temeritate ſubiimus, memorare diſpudeat; ſub quo militaris diſciplina, gloriaque Hunnicæ virtutis, penè tota interiiſſe credi poteſt. Supereſſe profectò proceres Pannonici ſanguinis, & antiquæ ideoque imperio digniſſimæ ſtirpis, qui generoſos ſpiritus gerant, atque animos reſtituendæ publicè dignitati, & tuendo regno pares, in hoc publico luctu, conſilia fortia atque mina expedita invictis animis proferant: inter quos uſque adeò demiſſi vel hebetis ingenii nu-

merari nolim, vel si me nonnulli clariores, honore natalium, atque opibus antecedere videantur, ut me regendo regno, administrandoq; bello quemquam virtute aut fortuna meliorem fore, confitear: satis namque sortem, atque animi virtute pernobilem præstabo, regem, si ab hac certâ fidelis animi propensione, suffragio vestro dignus existimabor. Hâc viâ ingressus, multum rogando satagendoque, Ioannes multorum studia promeruit: eoque faciliùs, quòd Stephanus Bator procerum clarissimus, ad Ferdinandum paulò ante in Bohemiam contendisset, & Ferdinandus apud Bohemos indictis comitiis, vehementer esset occupatus, quibus primatum & popularium præoccupatis voluntatibus, rex erat appellandus. Sanè controversa hæcce electio, Hungariam miris modis turbavit: ut Nicolaus Isthuanffi, *in hist. sua Hungarica* (præ aliis) magno cum judicio, lateque describit. Dum enim Ferdinandus jus successionis, uxori, (Ludovici sororis) competens, ursit; Ioannes verò electionem liberam, seque eâ prævalere contendit: & ob potentiam Ferdinandi, Clientelam Solimanni, tanquam potentioris, impetrat: id bellis, cōplures per annos (vario eventu) gestis, ansam & occasionem dedit; quorum etiam aliqualem faciam mentionem; si (Deo benè prosperante) ad Hungaricam historiam accedere mihi licebit..

8. A. C. 1529. Viennam Austriæ, Soleimannus obsedit. Hujusque obsidionis auctor, Soleimanni (ut fertur) fuit Ioannes Zapolrensis, hostis Germanorum, cum Vngaris suis; parùm æquis nationi benè de se meritæ. Nec in illa cæ-

citate

citate suâ dementes perspiciebant, si Soleimani licuisset in Germania pedem figere, (quod sanè quò minus fieret, per ipsos non stetit, solo benigni numinis favore pestem illam nostris à finibus avertente) non minùs Vngarorum libertatem oppressurum fuisse barbarum, quàm nostrã: à fronte scilicet, & à tergo jam ipsis intra septa sua conclusis. Quod autem Turcici Annales referunt, frigoris vi, Soleimanem ab obsidione discedere coactum; excusandi Sultani sui, suorumque causâ faciunt. Quippè constat, Turcos vicies muros urbis subiisse: vicies à mœnibus virtute propugnatorum fuisse repulsos: adeoque tandem, frameis licet ac fustibus adhibitis, adigere suos ampliùs ad oppugnationem redintegrandam, nullâ vi potuisse. Hinc urbis capiendæ desperatio, Soleimanis animum subiit: ceptq; in morem fugæ, Soleimanes reliquis cum copiis abscedere, die 14. Octobris, Anno Christiano 1529. Leunclav. *Pand. ct. cap. 224* Historiã porrò Viennæ à Turcis obsessæ, habet Leunclavius, *ad fin. Pandect.* ubi inter cætera, & hæc leguntur. Anno post Christum natum M. D. XXIX. die decima mensis Aprilis, immanissimus Turcarum tyrannus Sultanus Saloimanus, maximo cum exercitu, ac incredibili omnium rerum, quæ belli usus exigit apparatu, è Constantinopoli movit; quo Hungariâ domitâ, Austriam, cui avidissimè inhiabat, unâ cum finitimis circumquaque regionibus in potestatem redigeret. Eâque potitus, auctis prospero rerum successu animis, Viennæ (quæ magna est, ac præpotens Austriæ civitas,) aut alicubi per Hungariæ vasta loca hybernaret, refectis posteà hominibus, ju-

mentisque, recens, appetente vere, liberis Germaniæ populis, indignum fœdæ servitutis jugum, imponeret: cui rei gerendæ triennium integrum destinaverat. Proindè adversus finitimorum, circumquaque hostium insidias, quibus visum est locis, valida præsidia imposuit. Authorem Cepisiensem ferunt comitem Ioannem, quondam Transylvaniæ Vaivodam, quem rege Ludovico, miserandum in modum, unà cum exercitu trucidato, dira regnandi libido invaserat: quocirca malis artibus ambire, callidis consiliis potentes quosdam Hungariæ proceres sollicitare, non acquievit, donec à suæ factionis hominibus adjutus, regiam coronam, cœtera jus, phasque involant. Rei indignitate commotus inclytus Austriæ Dux Ferdinandus, ad quem jus regni legitimè pertinebat; non magno quidem, sed benè instructo; ornatoque exercitu Hungariam ingressus, hoste profligato, & propriis etiam possessionibus pro jure belli exuto, coronâ de more regni sollenniter, legitimeque potitus est. Hinc Comes Cepisiensis re, speque bonâ destitutus, desperatis rebus, inexpiabili sese scelere obstringere, non dubitavit. Patriam prodere, ut exitiabilem Christi nominis hostem, Germaniæ immitteret, ausus est. Turca itaque, cum exercitu ad Albam Græcam, cum venisset, Comes Cepisiensis, fatale patriæ malum; nativæ Germanici sanguinis odio præceps, legatos mittit, qui crudelissimo hosti, tutum per Hungariam iter indicarent, rationem ac viam affligendæ, vastandæque Germaniæ præscriberent: quos iniquæ proditionis authores, cùm Turcarum Cæsar, summâ cum voluptate audiisset; inito utrinque

acqua-

nephario fœdere, teſtis ingentis novæ lætitiæ, ululatus per Turcarum agmina exortus eſt. Terrae humum proni deoſculabantur: omnibus igniariis tormentis, lætitiæ ſignum dabant. Turcarum indè Cæſar, exercitum rectà ad Budam duxit: cui in itinere Cepiſienſis Comes, haud ita magnâ cum militum manu, ſe conjunxit; ſe, regnumque, in hoſtis fidem ac manus commendavit: recipitque, univerſam Hungarorum nationem, auxiliaria arma, adverſus Teutonum populos, ultrò laturam. Cùm Suleimannus, jam ad Vrbem appuliſſet; à captivis nonnullis quæſivit: ubi Rex eorum eſſet? Hi Lincii eum agere, reſponderunt; idque oppidum, ad ripam Danubii XXIIII. milliaria longè, à Vienna ſitum eſſe. Ad hæc Cæſar, Quæram illum etiam ſi in medio ſit Imperio, ac reliquos Germaniæ populos invisam. Interim noſtri, duobus è captivis Turcis, velatis oculis, per civitatem ductis, liberam ad ſuos redeundi poteſtatem fecerunt. Quo facto, & Turcæ vexilliferum, egregiè auratâ, ſericiaque veſte adornatum, cum tribus è captivis, quibus trinos ducatos dono dedit, ſalvos XIIII. die Octobris ad urbem remiſit: in mandatisque dedit, quo dicerent militiæ præfectis ſe, ſi ultro civitatem deberent, cum eis pro mœnibus paciſci velle, oblatis bonis conditionibus. Neminem ex ſuis intra civitatem intromiſſurum; nullius rem, ſalutemve offenſurum, eorum qui in urbe eſsent: quòd ſi facere recuſarent, negavit ſe indè diſceſsurum, quoad vi armisque expugnatam occupet, ex omni ætate minores, majoresque natu trucidet, urbem igni in cineres redactam, ſolo æquet. Subjunxit præterea

tereà, ut dicerent; quandò unus Deus sit, qui cœlestia moderetur, æquum esse, unum caput, unum principem orbi terrarum imperare. Eum sese esse velle, vitamque acerbam habiturum, quoad illos, universamque Christianorum nationem, armis subegerit, suæque ditioni parere coegerit. Obsessa autem Vienna est XXVI. die Septembris; aquâ, terrâque circumcirca immanibus Turcarum agminibus, ut ex editâ S. Stephani pyramide, undè lōgissimè prospectus patet, humani oculi acies, exercitus magnitudinē superare, comprehendere, metirive nequiverit. Ad decem millia passuum densa tentoria, circiter vigintiquinque millia numero, posita tenebant. Ipse Turcarum Cæsar, ad S. Marci, quæ ædes in viâ, quâ itur in Hungariam, sita est, castrametatus, usque ad Schucchat, & arcem Trautmansdorff. Imbraim Bassa, supremus Turcarum Cæsaris à secretis, & capitaneus, ac rerum penè omnium gubernator; à Danubio ad usque Viennæ montana, castra habuit. In medio Turcarum Cæsaris exercitu, tercentum ænea tormēta, collocata: vallo, fossaque circùm, castra munita, & ad prælium parata, instructaque omnia. Interclusis itaque aquâ terraque itineribus, ut nihil neque inferri, neque efferri potuerit, circumquaque omnibus hostium copiis refertis viis; reliquum fuit, ut obsessi suis corporibus (qui pro hostium ingentibus copiis sanè pauca manus erant) hostilem impetum in omnem casum sustinerent. Præsertim cùm constet; Viennam eo tempore neque naturâ loci, neque arte hominum satis munitam, muro tantùm aggeri imposito, veteri ac vix sexpedes denso, valatam;
ad-

ad quem ſicco pede aditus militi pateat. Accedit, quòd urbs, benè magna, undique imminenti hoſti præſidia varia opponere neceſſe habebat. Erant autem qui in urbe tuendâ occupabātur milites, non plures VI. millia. Accedebant cives, quorum multi non comparebant. Turcarum verò, cùm exploratores noſtri, tum illorum captivi, pro vero retulêre, ter cētum millia fuiſſe; qui ſi, ut ſolent, uno impetu undiquaque ad mœnia ſucceſſiſſent, tam pauci ne ſuſtinerent oppugnationem, magnus metus invaſerat. Iam ſpe urbem Turca devoraverat; quippè qui terrori fore omnibus tam immanem potentiam putarat: quibus in fugam coniectis, urbem deſertum iri, ſibi certò perſuaſerat: ideoque tormenta ænea, quibus tentata mœnia ſubrui ſolent, in naves impoſita, à tergo dimiſit. Cùm autem præter opinionem præſidia urbis impavide hoſti reſiſterent, aliâ viâ aggrediendum duxit: cuniculis actis, magnam vim pulverum, muro ſubjecit; mallcorum, atque ignitarum ſagittarum magnum numerum in urbis faſtigia effudit: immiſit prætereà Germanos quosdam pecuniâ corruptos, qui urbem (quod tres deprehenſi, in quæſtione confeſſi, juſto ſupplicio, in quatuor partes laniati ſunt) variis locis, præſcripto tempore incenderent quo cum omnia incendio miſcerentur; ipſe diſiecto per cuniculos muro, aditu facto, perturbatos opprimeret. Sed hocce conſilium, haud eos clam fuit, qui rebus gerendis, in urbe invigilarunt. Neque enim niſi mediocribus tormentis impetebat hoſtis, ac manuariis, ad omnium admirationem, diu noctuque, nullâ intermiſſione certiſſimis ictibus

immi-

imminebat: quæ verò muros labefacere, subruerévé possent, nulla audiebantur; facilis itaque conjectura fuit, more suo Turcam variis locis, actis cuniculis, perfossoque muri fundamento, pulveribus adhibitis, ruinam aditumque moliturum. At quâ urbis parte penetraret hostis, nesciebatur; quoad Turca quidam ad mœnia, prope Fibri quam vocant turrim, ultrò se offerens, primâ Octobris die, benè manè deprehensus indicium fecit: quo edocti Duces, adversus hostium cuniculos, fodere instituerunt. neque infelici successu, ad Carinthiorum turrim (quam summoperè Turcæ solo æquare conabantur) Turcarum operas nostri excepere; iisque propulsatis, magnam vim pulveris, ademere. quæ res Turcarum Imperatori, magnæ admirationi mixtum terrorem attulit. Christianis parentibus se natum index fassus, de variis rebus interrogatus, verissimè respondisse repertus est. Nam à pueris inter Turcas eductus, plurima eorum consilia callide imbiberat. De numero militum ait, ferendis armis idoneorum, centum millia esse, in quibus duodecim millia Ianizarorum, qui Imperatorem Turcarum stipent; sex item millia, qui Imbrahim Bassæ adsint: horum armaturam esse, tormenta manuaria, arcus Parthicos, & pila non admodum longa; reliquos equestres esse. De summâ mortalium, Turcarum exercitus interrogatus, circiter ter centum millia, numerari affirmavit. De camelis deindè, viginti millia adesse respondit, pabulo, farina, armisque onustæ. Multi captivi Turcæ, quæstioni adhibiti fuerunt: at hoc, divinitùs (sic enim credere phas est) obscuro indice, nihil veracius, præsentique rerum discrimini

nini

mi salubrius fuit. Octavo porro Octobris die,
pridiè antè, utrinque ad Carinthiorum tur-
m per murum cuniculos egêre, fundamentaq;
i incidere; hac arte rati, mœnia suppositis
cussa pulveribus, intra civitatem prolapsura:
ostri rerum hon iguari, prævalidas trabes cir-
umquaque muro admoverunt; quò factum ut
ncensis pulveribus disjecta mœnia, nostris in-
emnia foras prolaberentur. Dirutam muri par-
em, subindè qui in urbe erant, ut res ferebat,
rmentis ac trabibus, refecerunt. Duces ipsi, ad
borantem urbis partē excubârunt; nulla quies,
ullus oculis somnus capitur: perpetuus hostis
moliendi animos defatigat labor; jam prodi-
ionis suspicio, jam incendiorum metus, ducum
exat mentes. Sanè generosis hujusce Vrbis de-
ensoribus, meritò summi quique honores ha-
eri debent; qui gratiâ summi Dei, suo robore,
hristiani sanguinis sitientissimum hostem re-
norati, & à Germania, quæ firmissima est Chri-
tianæ Reipubl. pars, suis corporibus excluse-
unt. Quod si Viennam Turca cepisset, igniario-
um tormentorum ornatissimam, instructissi-
mamque copiam in suam potestatem redegis-
set, eo ipso anno, per autumnum in superiorem
Germaniam facilè penetrasset. Atque adeò, ut
longius progressurus non fuerit, Viennam cer-
tè, ita aggeribus, muroque communiisset, ut per
hyemem ibi refecto exercitu, primo vere, justo
bello Germaniam lacessere, expeditissimè potue-
rit. Constat enim, eo consilio Turcam Viennam
venisse, ut eâ occupatâ, toto triennio Germaniæ
bellum faceret, in eaque cruentam tyrannidem,
pro libidine, innumerabili hominum ex omni
ætate

ætate jactura expleret, omnia igni ferroque vasta redderet. Captivi Turcæ, pro certo affirmârunt, Turcarum Cæsarem, maxima damna accepisse; tum quod plurimi ex illius militibus cæsi, igniariorumque vi confecti sunt, multi fame enecti: tum quòd equorum camelorumque ingentem numerum amiserit. Causæ & aliæ discessus fuisse perhibentur, quòd pro tanto exercitu commeatus non suppeditaverint; indeque intolerabili fame vexatos hostes, diutiùs durare nequivisse, & quod cœli immitioris inclementiam appetente hyeme, molles Asiæ gentes, & transmarini milites, non ferendam experiebantur. Ianizeri præcipue militiam diutius ferre recusabant; etsi centum in dies singulis asperi quorum singuli, crucifero, uno cum dimidio, commutantur) numerentur: quamquam negaverat sese Cæsar à Viennæ oppugnatione, nisi urbe capta discessurum; etiamsi tanta nives cælitus decideret, ut ad genu usque pertingeret. At haud ita multis pòst diebus, cùm ab hoste jam summi Dei ac bonorum virtute securi agerent cives, gravior ab amicis terror obiicitur. Germani milites, & Imperii præcipuè auxilia, plùs quã barbaricâ truculentiâ, juris humani divinique obliti, hostilibus animis, neglectâ majorum disciplinâ, indignissimis injuriis contumeliisque cives affecêre. Nam quidam non contenti vina exhausisse, in quo perdendo magis, quam hoste arcendo occupati, sic inebriabantur; ut cùm ad arma signum daretur, multi, arma ubi invenirent, ignorarent, hospitum suorum, etiam præsentium, refractis seris, corruptis arcis, armariis, mensis; direptis quæ reliquæ erant, facultatibus,

ani-

imos suos manusque expleverunt: necdum rum libidini satisfactum; vitra, fornaces, talas pictas, comminuerunt: (tantum non vitã teris civibus eripuerunt) vina, carnes, panes, nio à suppeditata, ac Regis optimi benignie, gratuito condonata, nihil importunos anis flectebant. Nam XIV. vexillorum ab Imrio auxilia XXIII. Octobris, à prima luce use ad vesperum, frequentes coiere; conventue habito, trium oppugnationum stipendia, de ne minari flagitarunt; quæ nisi numerarenpræsentem ducibus, ac civibus cædem denūnt: omnia denique acerba minati. Cumque ro Imperii auxilia, duobus emeritis stipens, item uno oppugnationis prætextu extorto, ulris definiti essent: ecce ibi alia exoritur entio. Veterani milites, qui plures annos ice Leonhardo à Vels in Hungaria militaveit, & Ecrii à Reischach imperio subiecti, quod bita stipendia non continuo, & ex sententia merabantur, se urbem direpturos minati: proer tumultum magnus iterum metus cives ocpaverat: qui tamen, maturo Ducum, militiæ æfectorum, & consiliariorum, sano consilio cussus, tandem conquievit. Obsidionis aun tempore, Philippus Palatinus ad Rhenum, iderici patrui loco (qui in Austria tum versacur) supremus auxiliorum Imperii Dux, seu pitaneus, in Vrbe erat: reliqui præfecti, aliie, quorum virtute & consilio, secundum Deū, enna servata tum fuit, longá ibidem serie reasentur. Porrò ejusdem obsidionis historiam, bet etiam Hubertus Thomas Leodius, *Annal.* 7. ubi & sequentia addit. Non quievit Turca-

ruma

rum tyrannus, more suo circumiacentia quoq; devastare. Missis namque levis armaturæ equitibus quibusdam, nec non classiariis & peditibus expeditis veteris Iuliobonæ per agros, Marchafeldiam versus, acie directâ profectus, infima aggressus solo æquat cuncta: cæduntur senes, rapiuntur juvenes, mulieres turpia majorum sub oculis passæ una cum liberis intereunt. Infantes vel utero secti, vel qui matrum adhuc adhærebant uberibus parentum auxilio penitus destituti, stipitibus passim per vicos suspensi, dulcem quam nuper acceperant, exhalabant animam. Liberatâ autem sic, ut jam dictum, obsidione Viennâ, & rebus his ita insigniter gestis: Princeps Fridericus, illûc quàm maximis potuit itineribus contendit; eo animo atque instituto, ut junctis utrinque copiis cum hoste, si is pugnam non detrectaret, acie confligeret: vel saltem postremum agmen præcursoribus, si fugiētem consequi non quiret, incesseret aliquantulum & carperet. Quare mox ut Viennam venit, milites convocare jubet, atque numerum eorum tribunos inire. Sed vix, cœpto lustro, gregarii statim tumultuarii, stipēdium quintuplex ob egregiè defensam urbem poscere cæperunt; commeatuumq; omnium, quos per obsidionis tempus insumpsissent, gratuitam remissionem exigere. Ad compescendum itaque illorum tumultum, triplex his pactus est stipendium; sed serò nimis id tum erat, quia hostis interim à tuta, & unde eum consequi haud erat possibile evaserat. Non defuêre tandem prodigia multa Divinam significantia iram. Nam Viennæ diu antè, tres soles unico arcu inclusi, integrum per-
drem

em in cœlo splendere visi sunt. Luna sangui-
a, maculata cruce per noctem constitit. Trabs
gens, & trecentorum passuum longitudine,
ncti Stephani Protomartyris per templum
cta, primâ post meridiem horâ apparuit.
9. Anno 1532. Solymannus iterum expedi-
nem in Pannoniam suscepit, qua inprimis
entis militum millibus G V N T Z A M, exi-
um oppidum nullâ prope arte, opere aut na-
â munitum obsidere, idque non die non no-
intermissa oppugnatione omnium copiarū
premere & urgere. Præsidebat illic centum
n militibus tantum, Nicolaus Iureschiiz,
pietate erga Deum & patriam insignis: qui,
mvis rerum omnium, quæ ad obsidionem
erandam erant necessariæ, planè foret inops,
que enim hac Turcarum celeritate præven-
comparare potuerat) belli tamen maximam
unum conversam molem, tantâ fortitudi-
nimi, diebus viginti quinque sustinuit; ut
cum omni humanâ ope destitutum, tanto
tium à furore solo auxilio Divino intellige-
conservatum. Excitaverant Turcæ circa op-
muros in planitie (nam & hoc in plano si-
est) qui mœnium altitudinem superarent
eres duos; undè semper defensorum terga, in
ugnationibus tormentorum globis & icti-
crebris pulsabant. Actum fuisset semel de
ris, nisi Deus suorum misertus, malum hoc
tisset dubio procul. Nam Turcæ illatis ul-
llum & mœnia, supra octo vexillis, no-
omnes tunc indè depulerunt, & erant jam
defensore muri, & sine propugnatore oppi-
: quoniam omnes tunc fessi & saucii deli-

 tesce-

tefcebant fub munimento teftudinis, nemoque erat qui jam vellet vel poffet refiftere. Sed ecce imbellis ætas, fenes, pueri, matres, quæ hucusque ædium intra parietes fe continere juffæ, altâ voce, & imo pectore, Dei auxilium, fidem & misericordiam implorantes mirificè exaudiuntur. Eiulantium enim clamore hoftes animis perculfi, oppidulum milite completum exiftimantes, oppugnatione omiffâ à mœnibus jam victores refiliunt; Numinisque præfentiâ territi, perfequente etiam nemine illinc funt compulfi. Hinc tentatum, fi Nicolai animus, ad deditionem compelli poffet; fed fruftrà. Frendebat igitur dentibus, atque animo & irâ æftuans, oppidumq; illud inducto aratri farculo, funditùs cogitabat evertere. Quia vero DEVS OPT. MAX. occultè, & immensâ fuâ bonitate, quâ fe piè colentes fovere femper folet, fævientis aliò avertere voluit inftitutum: Ibrahimus Baffa, cui in admonendo jus fummum tum erat, ftatim ac Tyranni mentem eò tendere intellexit, captato peropportunè, & donec animi æftus aliquantulùm refediffet expectato tempore, interceffit inquiens: Eum rem nec nomine fuo, nec magnitudine dignam parare, fi tot virium, tot operarum in oppidi unius tam invalidi & immuniti expugnatione prodigere perfifteret; undè tamen vix vel præmii vel gloriæ quidpiam foret expectandum. Nullam enim indè, fi etiam id expugnari detur, apud quenquam oriri admirationem. Nemini enim mirum videri, tantis copiis oppidum natura & præfidio invalidum expugnari; præfertim tantâ perfeverantia, quâ etiam invicta alias debellarentur. E diverfo autem fi

bellì

i fortuna, cujus vicissitudines plerumque
ertæ esse solerent, necessitate in diversum cef-
et, magnum sui apud omnos generari con-
itum. Quare consultius esse, militum labori-
in re tam exiguâ & ubi honoris nihil spe-
dum, parcere; & eosdẽ ad maius opus, quod
are non ignoraret, reservare. Licere jam mi-
i cum dedecore hinc abire, quàm post ulti-
s conatus, viribus attritis domum infecto
otio discedere. Magnificentius itaque esse,
dionem illam solvere nunc, atq. Nicolaum
catum oppido donare; quàm tanto cum mi-
m discrimine, suprema quæque experiri. Di-
his atque hujusmodi similibus rationibus
uctis, ægre tandem obtinuit, ut Tyrannus i-
Nicolaum, quem armis vincere non potue-
misso caduceatore, in castra ad Ibraimum
ari, atque hunc in modum oppido quamvis
no donari pateretur. Vocatus autem Nico-
s, quanquã lethaliter vulneratus esset, spem-
iam nullam reliquam haberet: venire ta-
ad Ibraimum, vel tum etiam constanter
negabat, nisi diplomate & obsidibus prçstitis
us securior; ne quid ab eo, quod vel à digni-
suâ, vel à Christianâ religione & fide, foret
num, exigeretur: laudabilius esse ratus, unâ
suis fortiter interire, quàm se suosque, lu
io atque fluxæ hostium fidei credere, aut
rre. Et quia ob magnanimum viri respon-
, creditum fuit, res ipsius non usque adeò
sas aut labefactatas, quin insultantium, atq;
ugnantium vim, aliquandiù adhuc sustinere
et: Turcarum ex nobilioribus, obsides duo
sunt properè, & diploma oblatum. Egressus

Yy 2 itaque

itaque Nicolaus, oppidum; postquam in conspectum Ibrahimi pervenit, honorificè exceptus, & considere jussus, de tribus tantùm præcipue fuit interrogatus. Primò, ex veterine morbo, quo in Thracia nuper, cùm legationis munere ad Solimannum fungeretur, laborasset, iterùm convaluisset? Secundò, an vulnera, quæ proxima in occupatione accepisset, forent lethalia? Tertiò, quâ fiduciâ ductus, Imperatori Solimanno, cui cæteri omnes vicini colla submisissent, solus ipse, hucusque tantâ animi pertinaciâ restitisset? Mirari enim se ullam spem in Ferdinando Rege, nimiùm tardo, ipsum collocare. Regerebat ad ea Nicolaus: Primum, gratias ingentes se agere, quòd de ægritudine suâ præteritâ & vulneribus in oppugnatione proximâ acceptis, tam humaniter fuisset percunctatus. Liberatum se Christi Salvatoris sui gratiâ morbo iam pridem, nec vulnera esse letifica. Ad tertium autem, quod attineret: nosse eum pro providentiâ suâ, boni bellatoris officium esse, adversariis & hostibus magnanimiter resistere nec rebus asperis facile turbari, aut gravibus fortunæ insultibus, gradu & animo leviter deiici, aut dimoveri: se humanâ ope destitutum, divinum confugisse ad auxilium, quo conservatus hùc usque perstiterit invictus; quod & sibi posthac nunquam defuturum speraret. Regem autem Ferdinandum, quem nunc Augustæ Maiestatis hæredem, omnes Christiani principes legissent & agnoscerent, tam procul non abesse, quin & brevi magno cum exercitu, esset affuturus. Quare, si sibi in hunc usque diem non sit subventum, se nihil mirari. Multas namq; causas

s & rationes, quibus institutum præpediri po-
erit, intervenire potuisse. Cùm fortuna, natu-
instabilis nusquam minus, quàm in rebus
llicis, Martiisque negotiis, sibi ipsi constare
leat. Admiratus Ibrahimus, magis ac magis
celsum ac invictum Nicolai animum, cùm il-
m non solùm oppido, quod per tot dierum
acia, tam insigni virtute, adversus tot hostium
illia defendisset; sed quovis etiam ingentissi-
o præmio, dignum tacitè apud se judicaret:
onare se Imperatoris sui Solimanni nomine,
m hoc oppido, ob egregie navatam operam:
sse enim nunc, si velit, id omni sine dubio, u-
cum præsidiis & defensoribus suis, perdere
nitus atque evertere. Quia verò naturâ suâ,
tis sit ac clemens Imperator Solimannus, vir-
umque ac fortium virorum maximus ama-
; jussisse ei & oppidum illud una cum com-
litonibus suis, & præsidiis in præmium vir-
tis, conferre Rei alienæ satis munificus dona-
r: nunquam forsitan donaturus, si hoc insigni
que jacturâ & clade suorum militum sperâs-
expugnâre. Accepit munus hoc, gratiis actis,
nimo quidem læto Nicolaus; deprecans, ut
nificentiâ illâ liberius, & absque injuriâ mi-
um frui liceret; violentas illorum manus co-
beret. Pollicitus & hoc est se curaturum Ibrai-
, dummodò & ipse vicissim in ægrotantes &
cios Turcas, qui exercitum sequi non vale-
t, suos quoque sævire non patiatur: Et sic
dione postero die solutâ, indè perrectum.
c Hubertus Leodius, *Annal. lib. 8.* Quæ eadem,
emque verbis, recenset Melchior Sotterus
b. Pannonico. Videri quoque potest Isthuanfi,

 lib.

lib.11. qui & hæc habet. Ferunt, aliquandò equitem humanâ ſpecie maiorem & auguſtiorem, ſplendentibus armis ex arce erumpentem, plurimosque in auxilium laborantium oppidanorum milites adducentem, viſum eſſe: qui inſolitum Turcis pavorem & formidinem iniecisset, ut præcipiti è mœnibus fugâ retroceſſerint: eumque oppidanorum pleriſque, æquè conſpectum, qui Divi Martini tutelare nomen, ad ferendum obſeſſis auxilium, opportunè apparuiſſe, ſuisque animos reſtituiſſe interpretabantur. Addit iidem Nicolaum Ibraimo reſpondiſſe: quòd fidem, quam in arce & oppido, in clientela principis ſui Ferdinandi ſervando dediſſet, fallere nō poſſet: ac etiam ſi id flagitii in mentem veniret, ſe tamen Hiſpanorum metu, quorum octo ferè cēturiæ in præſidio eſſent (quamquam nemo ex Hiſpanis aderat) cohiberi, à quibus in veſtigio tanti ſceleris crudeliter interficiendus foret: itaque ſe ſuppliciter petere, ne notam tāti plenam periculi, ſibi inuſtam vellet. Rursùs ad alias artes converſus Ibraimum, ſe nomine Sulimani oppidum ei dono dare retulit; eâ conditione, ut partem aliquam prætorianorum militum, in illud intromittere haud abnuat: ut ſemel aut iterum, nomen Dei unius, in mænibus proclamet, eoque in ſpeciem & exemplum ſub jugum missi oppidi peracto; & illi revertantur, & paulo post relictâ obſidione, caſtriſque ſolutis, omnes cum principe ſuo, ad Caroli & Ferdinandi caſtra expugnanda copias promoveant. Sed quùm Nicolizzam, etiam in eâ re concedendâ duriorem animadverteret: ipſeque & Sulimanus, multis de cauſis, ante inſtantis hyemis procellas, & incom-

modi

moda, domum reverti properaret; tum etiam nō parùm famâ advētantis longè maximi Christianorū exercitus, terreretur; & Nicolizza Germanos atq; Hispanos implacabili odio in Turcas incitatos id nequaquā permissuros respōderet: postremò hoc tantùm obtinuit, ut manipulario uni, aut alteri, ex prætorianorum ordine, ingredi liceret, in signum deditæ, ac in fidem & clientelam acceptæ civitatis. Qui ingressi, ubi muros conscendissent, ac sublatâ voce, numen cœleste, more suo invocâssent, vexillum purpureum in medio literis Arabicis albi coloris, acu pictis conspicuum, ibidem reliquerunt; mox in castra abierunt. Quod quidem vexillum hodie quoque in templo oppidi servatur.

10. Interim Iohannes, qui Hungariæ libertatem, prætexebat ausibus suis: tandem ipse mancipium Turcicum factus, Regnumque ferè totum, in fœdissimam servitutem præcipitavit. Et notari quidem Annaliū Turcicorum verba debent; quibus Iohannes hic, Turcis non electus ab Vngaris rex, sed Banus Transsilvaniæ nominatur, antequam Soleimanis beneficio regnum obtineret. Idem Banus detulisse sua dicitur Soleimani obsequia. Quid aliud hoc, quàm factū fuisse clientem, vel mancipium potiùs, Soleimanis? Magis id etiam paret ex eo, quod in prędictis Annalibus sequitur: Soleimanis imperio Banum se summisisse, vel subditum Soleimanis factum esse, sicut ipsa verba Turcorum sonant. Hæc scilicet illa libertas est, quam ore jactitant, qui Turcis semet adjungunt. Leunclavius Pandect. cap. 223. Ac quomodò Buda, in potestatem Solimanni pervenerit, narrant quidem Turcici

Annales: Sed copiosiùs eadem recenset Leunclavius, *lib 18. hist Musulm.* ubi ita scribit. Superioribus annis, à Padischacho Suleimane, quæ de Vngariæ regiones & opida capta fuerant armis, interque cetera, metropolis ipsa regni Buda, regumque sedes; quam liberali munere, Sultanus Suleiman, Erdelii Bano (sic Transsylvaniæ præsidem Turci nominant, qui aliis Vaivoda dicitur) ultrò donatam tradiderat. Annis ille pluribus, Vngariæ cum imperio præfuit, tandem & rebus humanis excedēs, infantem post se filium reliquit. Is puer, quùm in administratione regni nullo modo succedere patri, per ætatis imbecillitatem, posset; regis vitâ defuncti vidua, pueri mater, imperii summam in se, filii loco, transtulit. Sed unus è Banis illis Vngarici regni, ceteros inter proceres opibus & auctoritate præstās, qui Perinii Petri nomē habebat; graviter ac ægrè molestè, dominatum muliebrem ferens, turbas adversus eam maximas concitavit: & non exigua cum hominum manu, ad regiam Vngariæ Budam profectus, suos ad illam misit homines, qui verbis ei suis denuntiarent. Monere Perinium Petrum, se fœminam ut esse recordaretur; nec ullo modo permitti, regiam ut urbem mulier in potestate suâ teneat; minùs eam licere majorum institutis, & Vngarici regni legibus, ut fœminæ locum Kiralium ac regum occupent, vel summo potiantur imperio Padischachorum. Itaque Buda suâ sponte cederet, illi restituendam; qui secundum regni jura, de sententiâ procerum, rempublicam deinceps administraturus esset. Ceteroqui se, copiis admotis, urbem vi redacturum in potestatem; ipsaque pulsa Regi legitimo vindicatu-

dicaturum. Ad hæc Perinii postulata, responsum hujusmodi mulier ea dedit: Vrbem Budam non suam esse, sed Turci principis; cujus nomine decretum sit, eam summis defendendam viribus, & propugnandam. Non igitur hanc ab se repeteret, sed à Turco: sibi quidem omninò constitutum, nequaquam vel Perinio, vel ulli ex proceribus Vngaris, illam dedere. Non parùm offensus hoc fœminæ responso Perinius ille Petrus, quâ viâ, quibusve modis & artibus eam ad administratione remotam, exturbaret ac ejiceret, perpetuis secum expendere cogitationibus cœpit. Inter alia Banum & procerum animos iis in locis adversus mulierem concitãs: An non ad omnium nostrum infamiam pertinet, inquit, esse regiam nationis nostræ Budensem in potestate femineâ? quodque fœdiùs, virilem in primis gentem Vngaram, impotenti mulieris imperio subjectam, inaudito majoribus nostris opprobrio servire? Quibus sanè Perinii clamoribus effectum, ut ceteri tãdem proceres, in ejus sententiam concederent. Quin etiam consulti gentis episcopi, sacerdotes, monachi serioque rogati, suum ut ipsi quoque consilium exponerent, quo respublica malis tot annos durãtibus, & ipsâ Turcorum servitute liberari posset; hanc protulère sententiam: Tentandum modis omnibus, quidquid ad tuendam patriæ salutem conducturum videretur; ut excuti jugum Turcorum, à quibus mulier hæc penderet, Vngaraque libertas, in antiquum dignitatis decorisque gradum restitui posset. Pervetustis in libris oraculorum, quos à majoribus acceptos gens Vngara, singularis religione conservat ac veneratur, invenire

vaticinium quoddam indubitatæ fidei; quo prædictum sit, imperio Turcico fatales imminere rerum hoc tempore vicissitudines, ac mutationes; & in posterùm futuram Vngarorum conditionem rebus in omnibus meliorem, quam Turcorum: adeoque Christianos de barbara, superstitiosaque gente triumphos ac victorias inclutas reportaturos. Ejus adventus, ubi Perinio Petro nuntiatus fuisset, ab exercitu suorũ, clandestinâ quâdam, & astutissimâ fugâ, se abduxit. Etenim nec ipse, nec alii proceres Vngari, futurum putârant ad illum usq; diem, ut hujus belli causâ, Turcorum Padischachus in Vngariam veniret. Indè ceteri quoque reguli, duces, præfectique militares, in Christianorum castris, adesse Sultanum Suleimanem edocti, reliquêre magno cum animi dolore consilia pristina, quod minime fieri posse viderent, ut metã, quam hoc bello sibimet ipsi præfixissent, exitu cogitatorum prospero contingerent. Ideoque castris excessuri quemadmodùm in tumultuariâ plerumque fieri profectione solet, nequaquam continere se poterant, quin aliquam fugæ speciem, festinatione nimiâ præberent. In edito colles ita Budensis est civitas, eâque de causâ, ferè conspici tum ex urbe, tum inprimis ex arce poterat, quidquid in hostium castris ageretur. Mulier igitur è sublimi castro, de motu adversariorum, & gestibus ipsis animadvertit, obsidione solvendæ maturandoque discessu, totos incumbere. Quapropter è suis quendam ad Muhametem bassam, & Europææ Rumiliæ copias mittit, qui diceret; hostem fugam parare, dum in castris suis ipsi quieti & otiosi desiderent; inq; primis optatam

rei

rei benè gerendæ occasionem è manibus elabi supinâ sibi negligentiâ paterentur. Ibi tum maximè strenui begi & proceres in Europeæ Rumiliæ militum exercitu, cùm fortissimis quibusq; suorum, non aliter in hostium castra, furioso cum impetu perruperunt, ac (lubet enim comparatione Turcici scriptoris uti) stimulante dirâ fame lupus in ovium, aliarumque pecudum greges irruere solet. Itaque cædès ab his, fœdâ crudelitate grassantibus, immanis edita fuit. E Christianis fugientibus, alii Danubianas in naves se receperunt; alii, dum easdem ingredi festinarent, in fluminis aquas præcipitati, demersique perierunt; alios deniq; vel Turcorum absumerunt acinaces, vel hostilis avaritia cædi subtraxit, ut aliquem è mancipiis fructum caperent. Castrorum munitiones omnes, cum machinis bellicis, & insigni armorum adparatu, sicut à Christianis hæc relicta fuerant, in Turcorũ potestatem venère. Tãdem & ipse Padischachus accessit, tormentaque bellica, cum armis ceteris, in urbem Budensem, suo vindicatam imperio, convehi jussit. Eidem Vngarorum regiæ beglerbegum præfecit, qui regni totius curam gereret: ordinatis etiam urbis custodibus ac præsidiariis, ex Genitzarorum legionibus, & Azapis, & Iognollis, quo nomine viri maximè militares, & in hostem ultrò proruentes, intelliguntur. His additus aliquis tormentariorum artificum numerus. Quumque Budam, majori cum Vngariæ parte, quo dictum modo, suam in potestatem redegisset: abdicatam regno mulierem, cum filio pupillo, in eam regionem ditionemque relegavit, quam avito jure pater infantis, Erdeliæ

Banus, initio possederat; omneque jus Osmanex familiæ, quod in eam prætendere posset, revocavit, & irritum esse iussit; instrumentis super hâc transactione confectis. Hinc Padischachus opimo potitus regno, domum copias reduxit. Hisce de rebus, latissimè itidem Isthuanfius, *lib 14. & 15.*

11. Sed longinqua etiam bella, à Solymanno, vel eius auspiciis gesta fuerunt, & inprimis memorabilis est obsidio Diensis, de qua ita Leunclav. *Pand. cit. cap. 241.* A.C. 1538. Nugnas Acugnarus, orientalis Indiæ prorex, quem provinciis illis Ioannes Rex Lusitaniæ præfecerat, civitatem Diensem metropolim ac præcipuam munitionem regni Zambri, quod Cambaiam nostri vocant, in potestatem redegit. Rex autem Zambrius & paganus erat, deastrorumque cultor, & infestissimus hostis Lusitanorum. Is quum Lusitanis imparem viribus se videret, legatos ad Soleimanem bassam, Cairensem beglerbegum misit; qui hoc priùs adito, muneribusque conciliato, Sultanum indè Soleimanem ipsum convenirent; oblataque pecuniâ maximâ, contra Lusitanos opem eius implorarent; simulq; policerentur, herum suum cum pluribus aliis regibus Indicis, eius se summissurum imperio, modo subsidium adversus hostes Lusitanos impetrâsset. Placuit ea Soleimani legatio, qui per hanc se sperabat occasionem, imperium Osmanidarum in ipsas longè lateque propagaturum Indias, & auri gemmarumque feracissima regna sui iuris effecturum. Itaque legatis prolixè policetur omnia, classemque mox adfuturam auxilio, spondet. Mittitur non multò pòst Soleimanes

manes bassa, beglerbegus Aegypti, cum machinis bellicis, & iusto exercitu, anno eodem 1538. mense Iunio propemodùm exeunte, bellum ut hoc conficeret. Quippè Turcis hæc arridebat occasio, quos non tam in oppressos commiseratio, vel officium erga confœderatos; quàm spoliorũ ac prædæ cupiditas, ad bella plerumque pertrahit. Classe ventis vela dante, primùm ad Thoron itum, quod est terræ Madianitidis (ut creditur) opidum, in Arabiæ solitudinibus, haud procul à montibus, Orebo & Sina: quo loco tam exponendis, quàm avehendis terrâ, camelorum operâ, mercibus, Aegypti, Arabiæ felicis, Indiæ respectu commodissimum est emporium. Post aliquot inde dies adpulerunt ad urbem Giden in Arabia Petræa, (Zidẽ alii vocant) quæ ipsa quoque maritima civitas est, Turcorum imperio subiecta, nec minus nobile, quam Thoron emporium. Tandem in Arabiam felicem, & ad portum urbis Adenis perventum, circa mensem Octobrem. Est Aden primaria felicis Arabiæ civitas, non situ solùm, sed etiam opere munita. Quippè nec propugnaculis caret, & ipse locus per se tutissimus est. Ab ortu solis, adiacent ei prærupti & excelsi montes; ab occidente, clausum maris portum habet: à meridiei latere, validum in alto proximo scopulo propugnaculum eminet; in quo noctu Arabes antè, quàm à Turcis Aden caperetur, ignes excitabant: qui magno ex intervallo conspecti, Turcicæ classis adventũ indicabant vicinis Arabibus, uti scilicet urbis ad defensionem concurrerent. Substitit ibi classis, constantibus Turcis, & consilia variantibus. Rex quibusdam è numero suorum, ad eos ablegatis,

cur illuc veniſſent armati? ſcire ſe cupere, ſignificabat. Tum baſſa, perbenigno regiis dato reſponſo ac ſuis ad regem viciſſim miſſis internũtiis, cum muneribus, ne quid hoſtile moliri videretur, blanditiis & arte perſuadet, ſub prætextu comparandi pretio commeatus, ut claſſem Sultani Osmanici cum milite portum interiorem pateretur ingredi. Coherciturum ſe ſuos, ut ab omni maleficio, præſertim erga religionis conſenſu ſibi devinctos, abſtinerent. Quippè rex Adenis, universâ cum gente ſuâ, Mahumetis ſacra colebat. Intellectis hiſce poſtulatis, in portum Oſmanici admittuntur. Eodem aſtu, vafricieque beglerbegi, ad colloquia Rex, & convivia pellicitur. Quumque poſt aliquot dies, in navim prætoriam, tribus duntaxat è ſuis comitatus, veniret: peramanter ſalutatũr, excipitur blãdè, menſæ & epulis adhibetur. Sed poſt convivium, neſcio quâ occaſione captatâ, corripitur: ac tum demum ſentire miſer cepit, improborũ munera cum fucatâ blanditie, fraudis eſſe plena, prorſusque plures de induſtriâ, victus comparandi prætextu, civitatem ingrediuntur. Solent enim Turci, quod vi non poſſunt, aut abſque multâ ſanguinis effuſione, dolis & perfidiâ conſequi. Mox Soleimani baſſæ per ſecretos indices nuntiant, Arabibus reſiſti, & urbem defendi poſſe, licet adveniſſent illæ quoque copiæ, quas fama jam adventare ferebat. Tum baſſa maturandum ſtatuit, & Arabum anticipanda conſilia. Portis per abſentiam regis occupatis, miles immittitur: oppreſſisque Turcorum numero civibus, Aden in poteſtatem redigitur. Mox & ipſe Rex productus, ad malum prætoriæ navis,

in ſu-

ı ſublimi, tribus illis cum comitibus, ſuſpen-
itur; & ad terrorem, fœdo ſpectaculo, civibus
iis oſtentatur. Opidani tam indignè regi, ſibi-
ue videntes illuſum, velut in re ſubitâ trepida-
: capite deſtituti, hoſtibus impares numero,
onſilii denique inopes, nihil omninò molìri.
c in ſervitutem redactæ civitati, præſidium fir-
ium imponitur, provido ſcilicet baſſæ conſi-
o:ne, ſi quis adverſus ei caſus Indico bello ac-
deret, vicinum deeſſet perfugium. Nec enim à
rgo Turci relinquere ſolent, aliquem vel ſu-
ectum, vel adverſarium, qui quemvis in even-
ım eſſe ſibi poſſit impedimento. Quippe ge-
us hoc barbarorum, longè omnium vaferri-
ıum eſt, & tam præſentibus, quàm futuris cir-
ımſpiciundis, ac penſitandis ſollertiſſimum.
ræterea potitus Adene baſſa, ſiquidem reliqua
on ſuccederet ex animi ſententia expeditio; fe-
ſſe tamen operæ pretium videri poterat, ac viã
peruiſſe tentandis apud Indos aliquandò ma-
oribus. Captam civitatem ingreſſus Soleima-
es, dato ſigno, proclamari juſſit; ne civium bo-
a, ne ve merces diriperentur: & quendam è ſuis,
lioris hominem cõditionis, in ipsâ urbis por-
, terrendis ceteris, capite plecti juſſit. Aroma-
ım namque magna hûc copia, deferri ex India
ılet. Præterea ſinus Arabicus, ſive Perſicus heic
ıcipit, & Abyſſinorum Aethiopum, quorum
ex Præteianus vulgò nominatur, montes atq;
mites ibidem conſpiciuntur. Osmanici Adene
elictâ, quùm annonâ copiosâ naves oneraſſent;
)ceano ſe commiſerunt, ac decem novemque
ies & noctes, itinere maritimo conſumsêre.
andem ad ea, quæ petebant, loca quùm perve-
niſſent:

nissent: Bassa Lusitanos adgredi cepit, & urbem Dion sive Devon, à Lusitanis Zambrio receptam, obsidione cingi jussit. Itaque machinis bellicis, è navibus in terram expositis, oppugnata civitas, quadraginta diebus continuis, tam terrâ, quàm mari: sed irrito planè conatu. Turris duntaxat, quædam, instar castelli, seu propugnaculi facta, quæ uno ac dimidio aberat ab urbe stadio, & cui præsidii causâ, LXXX. Lusitani milites impositi fuerant, Turcorum in potestatem venit: præsidiariis ipsis sese dedentibus, & mox in naves perductis. Duobus elapsis mensibus, auditum de classe Lusitanica, quæ illis succursum veniret. Itaque territus Bassa, machinas bellicas, navibus imponi jussit, ac nocte solvens, profugit. Quam enim animosè suas in speciem instituunt, & ordiuntur expeditiones, Turci; tam levi momento territi, rebus, ex animi voto non succedentibus, honoris omni relicto postposito, ceu timidę diffugiunt damæ. Quumque jam bassa, non procul à Zebetho esset oppido, interfici captivos in littore jussit. Duravit annum integrum hæc expeditio, fuitque Zebethum etiam, Arabiæ felicis opidum, à Turcis in reditu expugnatum. Tam Adeni, quàm Zebetho, beglerbegi cum Dephterdaris, singuli singulis præfecti fuere. Describit quoque Indicum hocce Bellum, Laurentius Surius, *in commen.* ac etiam Damianus à Goes, Eques Lusitanus, *libr. sing. de Cambaico bello.*

12. Porrò Africam, Soleimanus quoque tentavit, ut & Persas: ita enim Iovius, *libr. 31. Histor.* Anno 1534. Solymannus Turcarum princeps duo ingentia, terrâ marique bella movit. impotenta

tenti quâdam arrogantiâ, totius orbis imperium sibi pollicens, si Persas & Afros sub jugum misisset. Ex Africa enim facilem se videbat aditum habiturum in Hispanias, Siciliã & Italiam. Erat tum illi Africæ invadendæ auctor, Hariadenus Mitylenæus Barbarussa: is in Numidiâ, proximâ Mauritaniæ, Algerii regnum, à fratre anteà partum, adeò frequentibus victoriis amplum clarumque reddiderat, ut nostri æquè ac finitimi Pœnorum reguli, & vagi Numidæ, eius opes atque audaciam magnoperè timerent; & Solymannus ad fortissimi viri famam, iam publicâ virtutis commendatione illustrem, frequenter excitaretur. Non alienum erit breviter recensere, quibus artibus Mithylenæi hi fratres, ab unâ tantùm prædatoriâ bireme, ad regium fastigium irrepserint; ut hinc quoque in hâc rerum humanarum varietate, colludentes Fortunæ ostenta, posteri mirentur. Igitur patre Græco, atque eo Mahometis sacra secuto, in Insulâ Lesbo geniti, quùm inopiam domi ferre non possent, arreptâ bireme, spes suas omnes, mari commiserunt; sese Camali archipiratæ, in disciplinam tradentes. Sub hoc Camale Horucius, qui uti natu major, ad se ducis nomen trahebat; cum Hariadeno, multâ prædâ, multisque servis atque navigiis adauctis, ac demùm ascitis in societatem minoribus piratis, prædabundus in Mauritaniam pervenit. Eo tempore Algerii regulus, cum fratre de Imperio contendebat: hic, quùm Numidas equites, qui hodiè Arabes appellantur, pretio sibi in auxiliũ asciviſſet; alter opportuno novæ gentis adventu magnoperè lætatus, pecuniâ cum Horucio transegit, ut se defendendum

dum susciperet: paucisque diebus, Horucius cum validâ manu sclopettariorum, quibus præcipuè Numidæ terrentur, eo impetu gessit atque confecit bellum, ut Turcarum nomen cum Numidis, tum Mauris, omnium terribile esset. His rebus gestis, uti erat ingenio validus, viribus pollens, & regni maximè cupidus, quùm eo bello comperisset Mauros per se inermes, ignarosque militiæ, ac ingenio nobiles, nullaque inter se stabili concordiâ nixos, facilè per partes opprimi, & subigi posse: Numidas verò vagos, & inter se diffidentes, vel in amicitiam trahi, vel si abnuāt, nullo nullo propè negotio sustineri, improvisò fidem abrupit, repenteque hostis factus, quos cæptis suis adversari putārat, facilè sustulit; brevique post sæviriam, liberalitatem exercendo, Algerii regno potitus est. Indè mare undique infestum reddebat, & in mediterraneis cũ expeditis cohortibus evagabatur; ita militiæ munera cum fratre alternā sorte partitus, ut nihil terrâ, maríve pacatum relinqueretur. Ab eo rerum successu, ut regni fines aliquantò latius proferrentur, Bugeam magno apparatu invasit Hispanis, qui in præsidio erant, ad summas rerū difficultates redactis: nec priùs abstitit tam forti incæpto, quàm ei dextra manus, tormenti ictu abrepta est; inde ferream sibi fecit, quâ cubitum religatâ, multis in præliis posteà feliciter est usus. Ad extremum immodicæ spei plenus, & rerum proventu factus audacior, quùm Tremisenii regem, amicum sociumque à Carolo Imp. appellatum, regno expulisset; immineretque Orano, Portuique magno, quæ Hispanorum præsidiis tenebantur, Punica simul & Christiana arma

ma, adversum se concitavit: eo bello superatum, & fugâ in solitudines evadentem, Hispani, Maurique equites consecuti, cum paucis ex familiaribus interfecerunt. Horucii caput in Hispaniã transmissum, circumlatumque in lancea, populis præsertimque maritimis, insignem attulit letitiam, quod sublato prædonũ rege, diù exoptata securitas, littoribus reddita videretur. Sed Hariadenus neque spiritu, neque bellica laude Horucio inferior, acclamantibus militibus imperium suscepit. Is non modò regni, sed virtutis & deniq; artium cogitationumque omnium quæ in fratre eximiæ fuerant, hæres factus; adoptatusq; etiam in fratris cognomen, ad imperium totius Africæ aspirare cœpit: ratus ea quæ parta essent, animo suo minora, augustioraque. Itaque arma proferre, Mauris & Numidis terrori esse, modò cum his pace ac induciis uti, modò bellum gerere; porrò aucta classe, Hispaniæ, Sardiniæ, ac Balearium oram prædari, asciscere sibi novos piratas, clarus æquè ac formidolosus finitimis esse. Hæc audentem & molientem nusquam Fortuna destituit. Quùm hâc rerum gestarũ fama floreret, Solymannus è Pannonia reversus, ad eum legatos misit, qui evocarēt, summosque honores & maris præfecturam, Byzantium venienti, pollicerentur. Itaque Sinas unus ex intimis ianitoribus ad eum legatus mittitur, advehitque eum celeri trireme, Mangalis pirata, Rhodi præfectus. Is ubi Mauritaniam pervenit, ab Hariadeno, summo cum honore susceptus est: audita legatione, Hariadenus incredibili lætitia, afficitur; indè haud inani spe concepta, potiundæ totius Africæ, si colloquendi

cum

initate, quòd nemo fuga est elapsus, quùm prætor in ea trepidatione, aversam ab hostibus portam, diligentiùs reconditis clavibus obserrâsset. Inde ingenti omnis generis, rerum ac hominum potitus prædâ, ad Citrarium contendit, ubi classem ædificari à captivis didicerat, id urbi vacuum incolarum fugâ, statim est incensum, atque eodem igne septem triremes imperfectis adhuc puppibus & foris, concrematæ. ubi verò à Capreis, supra Neapolim, universæ classis in conspectum est data, adeò terribili spectaculo totam eam oram conterruit; ut plerique affirmarent, si hostis expositis copiis ad mœnia repentè successisset, Neapolitanos in subito metu, ægrè iudem fuisse defensuros. Porrò Barbarussa, vetere consilio suo innixus quùm statim in Pontiam, aquandi causâ divertisset, in Africam traiecit tantâ usus celeritate, ut priùs eo pervenerit, quàm ab nostrá orâ discessisse crederetur; voluit enim eâ diversâ navigatione fallere Muleassem, ut imparatum opprimeret: & ipse anteà famam simulanter ediderat, evastandæ Italiæ, Liguriæque præsertim, & Hispaniæ, vindicandis scilicet iniuriis, quas Auria, Coroneis atque Patrensibus intulisset. Ad hæc quoque, Muleasses per speculatores didicerat, Koscettem fratrem, quem maximè metuebat, Byzantii in liberâ custodiâ esse relictum, veluti alienâ tum ad Africæ rebus expeditione susceptâ Neque enim ullis armis, validius se peti atque invadi posse existimabat, quàm producto regni æmulo, in quem ex conscientiâ scelerum suorum, omnes propè Pœnorum ordines & Numidas inclinaturos appareret Quæ postea in Africa subsequuti sint, nimis longum

longum esset recensere, partim etiam ad Historiam Hispanicam pertinere videntur.

13. A. C. 1534. bellum Persicum ortum est. Solemus exemplo Thucydideo, bellorum causas, ab occasionibus & prætextibus distinguere. Et magnis quidem principibus, ceteroqui bellorum adversus finitimos gerendorum avidis, nunquam prætextus desunt, quos adfectibus suis, & cupiditatibus injustis, obtendant. Ita suscipiendi contra Persas belli vera causa, Soleimanis erat in animo, decessorum suorum, Muchemetis II. proavi, Baiasitis avi, Selimisque patris æmulatio: qui cum Persarum Scachis acerrimas inimicitias exercuerant, & aliquoties æquo ferè Marte cum eis conflixerant. Sibi fortunam magis propitiam Persis opprimendis, & adjungendis imperio suo, policebatur. Hoc cum animo suo constitutum habenti, nec occasio defuit. Vlama bego, gestis bello rebus, & adfinitate Techmasis Scachi, cujus ei soror nupserat, illustri viro, ad Soleimanem à Scacho deficiente, magnosque se duce successus ei promittente: nec prætextus longè quærendus erat, quùm præ manibus esset Persarum à ceteris Mahumetanis dissidentium nova superstitio, ab Ismaile Sophino patre defensa propagataque, Techmasis etiã patrocinio subnixa. Leunclavius, *in Pan. sect. c. 210.* qui etiam capite præcedente hoc bellum ita describit. Erat inquit id temporis regulus Bitilisii Serefes begus, beneficio tamen Sultani Osmanidæ, cujus imperio parebat. Fortè verò quidam, cui nomen erat Vlama, vir usu belli maximus, quùm res insignes pro Scacho Sophino gessisset, eaque de causâ Wanum, ditionem pulcherrimam,

mam, ab eo beneficii loco (feudum vulgò vocamus & usitatæ sunt apud Persas quoque feudorum concessiones) impetrâsset: tandem in eam sententiam venit, ut deficiendum à Sophino, & Turci partes sequendas statueret. Erant tunc inter Osmanidam & Sophinum induciæ. Turcus intellectâ hominis voluntate, mox datis ad Serefem begum litteris, ei mandat, ut Vlamæ suorum aliquam manum adjungeret, quorum præsidio munitus, adversus impedimenta Sophini, securiùs ad Portam perveniret. Vlama Wano digressus, Bitilisium se contulit. Ea loca distant à se invicem dierum quatuor itinere. Sereses adventantem Vlamam corripi jussit, & vinctum Soleimani misit. Sophinus Vlamæ discessu cognito; Wanum, unâ cum conjuge ac liberis Vlamæ in potestatem redegit. Hoc initium belli fuit, inter Soleimanem & Scachum Tamasem gesti. Turcus Vlamam vinculis liberat, eique centum millia Sultaninorum reditus annui donat, atque unde venerat, remittit: Serefe bego, ceu perduellionis reo, proscripto. Simul imperat Vlamæ, captum uti Bitilisium, timarii loco sibi retineret. Hoc modo ceptum inter eos belligerari. Sereses begus sub Sophini signis militabat, Vlama sub Osmanicis. Pluribus pugnis & velitationibus commissis, tandem Vlama Serefem begum interfecit, & occisi caput Soleimani misit. Is deinde quendam ex suis ad Scachum Tamasem ablegavit, qui ab eo conjugem & liberos Vlamæ reposceret. Tamases mulierem uno cum filio remisit. Et acciderunt hæc anno Christiano 1533. Vlama cum uxore ac filio, mox intra Solemanis fines se contulit, tantumque perfecit:

ut

ut ipſius exhortatione factus animoſior Soleimanes, Ibrahimem baſſam cum exercitu Halepum ablegaret. Illic in hibernis Ibrahimes ſubſtitit, & Halepi caſtellum exſtruxit. Eodem ſe contulerunt ad Ibrahimem baſſam cæſi Serefis begi conjux & liberi, laqueum collo geſtantes, & admiſſorum veniam petentes. Is eis benigniter exceptis, ad Soleimanem litteras dedit, quid de ipſis fieri iuberet, interrogans. Reſpondit Soleimanes, adjungendos Serefis begi filio 400. Genitzaros, qui eum cum matre Bitiliſium comitarentur; ut auferre ſuos inde theſauros, & quocumque lubitum eſſet, proficiſci poſſent. Si tamen ſtare ſuis à partibus, ac ſecum manere vellent, donare ſe ipſis timarii nomine Halepū. Ex hoc Sultani reſponſo, quùm ſatis perſpiceret Serefis filius, ſuum ſe patrimonium non recuperaturum: Bitiliſium cum matre profectus, theſauros indè ſuos avexit, & ad Scachum Sophinum ſe contulit. Ibrahimes vero baſſa Carahemidam progreſſus, Vlamam cum X X X C I Ↄ. Turcorum Tauriſium miſit, intra quam urbem Muia Sultanus, Scachi Tamaſis adfinis ſe tenebat. Is quùm fugæ ſe dediſſet, deſerta, nudataque præſidiis civitas, Turcorum ſe fidei permiſit. Confeſtim per litteras Ibrahimi ſignificat Vlama, quàm celerrimo gradu ſe Tauriſium conferret. Ibrahimes Carahemidâ digreſſus, & Tauſium properans, Soleimanem litteris hortatur, uti verſus fines Perſicos maturaret. Ipſe Tauriſium quùm veniſſet, ædificium quoddam antiquum ibi reperit: quod muniturus, commodùm iſtic architectos Georgianos invenit, qui munitionem egregiam ſtruxerunt, cui tormenta bellica

lica 350 Ibrahimes imposuit. Hoc tempore Turci Taurisio potiti sex fuere mensibus, & vicinæ civitates eorum imperium acceperunt. Soleimanes etiam, quum primum ad Carahemidam accessisset, mox illinc abiit, & Taurisiũ profectus, ibidem XX. diebus hæsit. Indè relicto Taurisio, Sophinum instituit quærere. Sed is perpetuò prælium detrectans, tamdiu Soleimanem distinuit, donec hibernum frigus ingrueret. Eam ob causam Soleimanes, Bagadatim se recipere coactus fuit. Hoc autem frigus, usque adeò vehemens erat, ut neque progredi, neque regredi posset exercitus. Scachus etiam Sophinus omnem eis annonam, ab omni parte præcluserat. Vndè factũ, ut fame partim, partim frigore dimidius Turcorum exercitus periret. Absq; nonnullorum quidem Armeniorum fuisset operá, regiones illius admodùm peritorum, qui maximo pretio Turcis annonam vendebant, actum adhùc peiùs cum ipsis fuisset. Conspicatus in his constitutũ difficultatibus Osmanidam Schachus Tamases, è Corasane, cum paucioribus, quam decem suorum millibus, movens; Taurisium adiit, ubi triginta Turcorum millia, tribus sub ducibus erãt. Vlama scil. Sirvanogli, & Iadigiare bego: quorum quisque decem millibus equitum præerat. Hi quum accepissent, Sophinum Taurisii fines ingressum esse; prodierunt extra urbem, seque dimicaturos in hostem professi, Taurisio deserto fugam arripuerunt. Sophinus urbem ingressus, munitionem à Turcis fabricatam diruit, aheneisque tormentis comminutis, monetam ex ære signavit. Posteaquam Soleimanes ad Bagadatim, hiemem universam exegisset, abducti s

indè copiis, Taurisium versus abiit; & urbem ingressus, diebus ibi quindecim mansit: ac laqueo suspendi Ladigiarem, begum Eminem jussit, cujus culpâ factum fuerat, quòd à Turcis contra Persas non erat dimicatum. Hoc enim nomine accusaverat ipsum Vlama, unà cum Sirvanogli. Sophinus intellecto, Soleimanem motis Bagadate copiis, Taurisium tendere; in regionem Corasanis se recepit. Tandem Soleimanes Constantinopolim reversus est, firmo Bagadati præsidio contra Sophinum imposito, cui Soleimanem bassam cum beglerbegi titulo præfecit, Albanensem vel Epirotam natione, adjunctis ei triginta duobus Turcorum millibus. Taurisium verò, quia relictum ab eo fuerat absque præsidio, reversus Sophinus nullo negotio recuperavit. Hisce de bellis Natalis Comes *lib. 3. & 4.* Bizarus etiam *rerum Persicarum lib. 11.* multa habet; inprimis quomodo novum bellum in Turcas & Persas eâ occasione fuerit exortum, quòd Bajazethis Solymanni filius aufugerit ad Persas, (de quo infrà, Deo dante, *num. fin.* plura) quodque Turci Lusitanorum ope, à Persis fusi, & maxima clade fuerint adfecti. Addit etiam ceciderunt ex Ottomannicis copiis in eâ pugnâ, centum & triginta ferè millia hominum: complures fuerunt vulnerati: septem purpurati, inter quos & purpuratus Mesiæ, cæsi sunt, atque vel Solymanus ipse vulnus accepit. Sed neque eam cladem tantum Solymanus passus est quam ab hostibus accepit, cum multi quoque perierint in itinere redeuntes, propter famem, & omnium rerum necessariarum penuriam; quia per solitudines & devastatas à se regiones iter faciebant: ita

fame, ut equos edere pro cibariis, & sanguinem equinum bibere coacti fuerint. Hæc clades prædicta, & divinitùs significata fuerat Turcis, antequam discederent Byzantio; quippè cum crinita stella dicatur visa fuisse, penes quam erant duo jacula lignea. Luna quoque sanguinolenta, & facie cruore obductâ, per longum spatium apparuit; quæ omnia prodigia insignem calamitatem Ottomannicæ familiæ portendebant. Post exigui temporis intercapedinem, Persia plurimis domesticis seditionibus, ac intestinis discordiis atrocissimè jactata est; adeò ut Persarum Rex haud mediocre incommodum atque periculum subiret: cùm ab eo Helcas germanus frater, ad Solymanum transfugeret, à quo benignè atq; honorificè exceptus, haud multò pòst, ejus ope atque armis, justum exercitum comparavit: eoque Persarum fines populabundus invasit, ac fratri pleraque oppida & urbes, inter quas fuit Vanum, Persiæ munitissimum propugnaculum, Taurisio sex dierum itinere distans, ademit; donec tandem in quodam conflictu, habito non longè à Balzerâ Persici sinus emporio, infeliciter pugnans, captus fuit, & postquam aliquandiu in arce vulgò Kahkaha detentus esset, fratris jussu jugulatus, perfidiæ, aut stulti consilii pœnas persolvit.

14. Non reticenda hîc est perfidia nefaria, quâ Insula Chios à purpurato Piali A. C. 1566. capta fuit; quâ de re ita Thuanus *lib. 39.* Ea insula est in mari Ægeo inter Lesbum & Samū, CXXV, millium passuum, in circuitu patens: olim libera, postea sub Genuensium ditione, quibus eam Andronicus Paleologus Byzantinus imperator,

anno CIↃ CCCXLVI. ob egregiam navatam operam, ipsorum ope in regnum, undè spoliatus erat, restitutus, donaverat. Dein cum Mahumetus Turcarum imperator, cunctas Despotarũ Peloponnesi ditiones, Trapezuntem, Sinopen, ceterasque urbes, quas Christiani in Ponto tenebant, sub jugum misisset; postremò classem ad Græciæ litus reduxit, & Mitylenen, à qua insulæ hodiè nomen, oppugnavit; cujus periculum, cùm ad se pertinere Chii cognoscerent, apud quos Iustiniani rerum potiebantur, ne prorsus in servitutem redigerentur, spontè sua tributum obtulère, cujus nomine quotannis X aureorum nummum CIↃ, quos ducatos vocant, pendebantur; ac præterea in purpuratos, genus hominum rapacitatis & avaritiæ plenum, ad duo millia distribuebantur: tanti illis sua libertas constabat. Pialis igitur, post infelicem Melitensem expeditionem, (de quá mox infrà dicam) ne nihil egisse videretur, Chion in potestatem redigendam suscepit: causæ prætexebantur, quòd exploratis Turcorum consiliis, quæ ob vicinum & liberum commercium illis patebant, anno superiore Melitensibus, quæ in eos Turci molirentur, nuntiassent: deindè quòd biennii tributum, Solimano non solvissent: quod avaritiâ legati res ipsorum Byzantii apud portam procurantis, factum erat; qui etiam donanda Mechmeti purpuratorum principi, & aliis munera, in suos usus, verterat. His adjungebatur, quòd Christiana mancipia, quæ cottidiè ab urbe ad ipsos profugiebant, & indè domum ad suos remittebantur, receptarent. Et paulò antè, ferebatur Mechmetis ipsius nobile quoddam mancipium, in Chion

Chion se contulisse, cujus ille vel restitutionem, vel pretium ab eis poscebat: id verò cùm per legatum rescivisset Senatus Chiensis, qui sciret, quanti sua interesset, primarium virum placatum habere, è vestigio pecuniam mittit, quæ Mechmeti persolveretur; verùm legatus eâdem avaritiâ corruptus, eam quoque intervertit. Has ob causas, Pialis accepto à Mechmete, Chiensibus ob privatam injuriam infesto, Solimani mandato, feriis Paschalibus classem, quæ XXC. triremium erat, ad vicum in adverso Ioniæ littore, cui Passagio nomen appulit: iniecerat suspicionem infesti Turcorum animi, quòd proximo anno, cum classis ex Melita Byzantium rediret, in itinere, ut assueverat, ad insulam non appulerat; qui metus intempestivo eorumdem adventu auctus est; de quo ubi cognovit Senatus, duos è suo numero, ad Purpuratum misit, qui receptum in portu suo navigiis commeatum, & quicquid opportunum foret, benigne ac prolixe offerrent. Ille exceptis comiter legatis, summâ dissimulatione usus, propter ferias Paschaleis, quæ eo forte die, qui in X VIII. Kalend. Maij incidebat, celebrabantur, quod non eo die ad insulam appelleret, se excusavit, & nolle se ritus ac sacra eorum interpellare, respondit. Postridie summo mane classem totam instruit, & tribus locis, quoniam unus capiendæ classi satis non erat, portum prendere jussit; ipse excensióne factâ per vicinos hortos aliquantisper spatiatus, mox conscenso equo, in collem, unde arcem despicere posset, ascendit, ubi cum omnia pacata videret, in Prætorianam triremem rediit, misso nuncio ad urbis præsidem & XII. viros, urbis

ipsius præsidis ac XII. virorum familiæ, cum aliis primariis, Constantinopolim quinque navigiis mittuntur, & inde in varias regiones deportantur; donec tandem insequentibus annis Regis Galliæ interventu, miseri cives patriæ restituti sunt, iisque umbra quædam administrationis pristinæ, ac judiciorum concessa est: salva tantùm ad judicem Turcicum, provocatione; quod eo faciliùs à Solimano impetratum, ne Christianis incolis aliò migrantibus, Chios deserta, nulli Turcis in posterum esset usui. Hanc eandem Historiam, meditationibus suis historicis, inseruit Philipp. Camerarius, *Cent. 2. cap. 25.* Statumque miserrimum Insulæ huius modernū, ac quomodo Incolæ eiusdem, à Turcis hodiè tractentur, pluribus describit.

15. Feliciorem sortem obtinuit insula Melita, ab eodem Piale Bassa paulò ante Chium occupata, obsessa, oppugnata: sed ab equitibus ordinis S. Iohannis, incredibili fortitudine defensa. Rerum ibi summam gerente, Iohanne Valetta Gallo, vulgò Valetta Parisot, dicto, Magno Ordinis Magistro. Historiam descripsit Hieronym. Alexandrinus Comes, ex qua referre pauca lubet. Primò omnium arcem S. Elmi Turcæ invaserunt, spatium terræ sat exiguum continentem, nec ultra 400. defensores habentem. Turcæ parvi suorum iacturam facientes, neque tantam cladem curantes, quantam in oppugnatione arcis illius, non ita minutæ acceperant; decernunt denuò fortunam ejus belli experiri, & majoribus viribus arcem, majoribusq; conatibus rursus adoriri: tum nullo tempore intermisso, globis ferreis tormentorum frequentibus, arcem

diverberare, murorum siquid reliquum esset prosternere, propugnacula lacerare, cuncta comminuere, & in pulverem vertere. Deinde tantis viribus, tantoque conatu locum aggredi, ut nostri penè deterriti fuerint, & in fugam versi: quod etiam profectò fecissent, nisi sibi antè proposuissent, gloriosè & fortiter omnibus esse moriendum; dimicatur igitur ad quinque horas acri prælio, desiderati è nostris ducenti, ex hostibus magnus numerus. Dorgutis etiam (Piali Bassæ à Solimanno adjunctus) eodem die vulnere capto in caput, ad naves deportatur; ex quo post biduum diem suum obiit. Cùm hostes ab illa oppugnatione se recepissent, nunquam tamen sequenti nocte ab armis cessatum est: sed creberrimis tormentorum globis, nostros infra muros recedere cogebant: ita ut vix impedimēto esse possent Turcis, quò minùs scalas pluribus in partibus muris admoverent. At Bassæ, & primores exercitus hostium incredibili propè irâ exarserunt; quia tantâ vi nostrorum, tantaq; semper cum suorum clade recedere cogebantur: quare universam classem, brevi in unum cogunt, illam circa arcem collocant, decernunt totius exercitus fortunam, & omnium copiarum vires uno tempore experiri, arcem terra marique oppugnare, semper nova subsidia fessis mittere, atque his sæpiùs renovatis non priùs ab incœpto desistere, quàm vel totum exercitum amitterent, vel arce denique potirentur. Cœptum est igitur Non. Calend. Quint. media nocte, ubique arx, terrâ marique invadi, scalæ undique, undique pontes admovebantur, undique bellica instrumenta reboabant: nam triginta & duo canones,

cxi-

exiguam illam arcem diverberabant; quæ folares poterat & locum, & defensores in pulverem comminuere. Equites tamen, neque tam acri murorum pulsatione, neque tot hostium millibus, deterriti, fortissimè resistebant, atque cum optimam illam opportunitatem nacti essent, se ipsos pro defensione religionis sacrificandi, tam strenuè pugnârunt; ut non solùm clarissimum virtutis suæ specimen dederint, sed etiam demõstraverint, summam in iis esse fortitudinem, qui omni vitæ spe abjecta, tamen ne turpiter ac belluarum more morerentur, pro gloriâ, & perpetuâ virtutis suæ memoriâ decertarent. Hinc indè cædes igitur oriebantur frequentes, cùm hi ascẽdere, illi detrudere niterentur: & jam à mediâ nocte certatum erat ad tertiam diei horam, cùm hostes nullâ re adhuc erant superiores. Sed tanta vis erat tormentorum, arcem ubique verberantiũ, ut mœnia ad scopulum usq; super quo fundamenta locata erant, eversa & rasa fuerint. Turcæ arce igitur potiti, quotquot vivos adhùc invenerunt, primùm pectus singulis ferro aperuerunt, & cor vi evulserunt, ac posteà caput amputantes illos nudos apertis pectoribus, & amputatis capitibus ad triginta spectãdos nostris (unde facilè prospici possent) exposuerunt. Hos deindè Mustapha purpureis superindumentis, cum candidis crucibus indutos, in mare deiici jubet, ad obsessorum ignominiam. Tantâ verò animi acerbitate incensus est in illos Valettanus, ut neminem è Turcis captivum fieri in posterum jusserit; sed omnes tanquam pecudes trucidari, omnesque qui captivi fuerant ad id usque tempus, cæduntur: quorum capita extra mœnia, ubi

castrametati sunt hostes, deiecta fuerunt. Capta S. Elmi arce, reliqua fortalitia Insulæ illius, occupare similiter conati sunt Turcæ. Et quidem septuaginta canonibus, inter quos tres erãt maximi Basilisci, è quatuordecim partibus, oppidi S. Michaelis & Burgi muros quassabant & perfringebant, extructis aggeribus sparsim. His igitur tormentis bellicis ita erectis, dies ac noctes, nullo spatio intermisso, & oppidum & Burgum diverberantes domos devastabant, & infringebãt. Pialis commodo sibi loco, ita Burgum globis ferreis diverberavit, ut totum murum, prorsùs solo æquasset: quare in spem oppidi potiundi facilè hostes inducuntur. Veruntamen nostrorum virtute, & fortitudine denique sunt repulsi: neq; tantoperè sanè ullo certamine vel nostris, vel multis jam temporibus, obsessorum par virtus enituit: neque ullis civitatis, tam communis omnium civium fortitudo, quàm ejus populi claruit. Quippè cum vel teneri adolescentes, strictis armis in hostes impetum facerent, & armatæ mulieres, intrepidè ad mœnia defendenda accedere non dubitaverint. Sic igitur hostes, insigni clade acceptâ, recedere coacti sunt à nostris. Nec multùm sanè tempus intercessit, cum Turcæ denuò, summis viribus oppidum undique invadunt. Et cum ii iterùm magnâ clade acceptà, in castra rediissent, tantus tormentorum strepitus repentè exoritur mœnia diverberantium, ut omnia circum viderentur contremiscere. Intereà dum vires aliquantulum à recentibus semper laboribus Valettanus reficeret, ecce accurrit quidam qui exclamavit: Omnes perimus! jam enim tria signa Turcis ingressa erãt.

Eo

Eo nuntio audito, sumpta galeâ & hastâ Valettanus, suos breviter hortatus, in hostes impetum facit: quoniam armis potiùs & celeritate defendentium, quàm verbis res erat transigenda. Tum equites Melitensis militiæ, & adolescentes, & mulieres denique, Valettanum secutæ, hostes intra mœnia invadunt, omnes ingressos cædũt, ingredi volentes in fugam vertunt. Illud prælıũ od accidentem usque solem perduravit, quod & nostris & hostibus sanè fuit calamitosum: nam plures ducentis, è nostris ceciderunt in eâ pugnâ, ex hostibus ad unum cęsi sunt oppidum ingressi, & ingens præterea trucidata multitudo; quare turpiter coguntur redire in castra. Tandem Deo duce, post longas, & nonnullis suspectas moras, Melitam adpulit, Toletanus, Regis Hispaniarum Architalassus. Qui neminem per noctem descensionem facere voluit; at illucescẽte die, intra quinque horarum spatium, sine ullo strepitu 5500. Hispanorum nautæ, 300. è triremibus, invitis propè præfectis, expositi sunt. Equites militiæ Melitensis 200. reliqui pedites erant Itali; qui numerus 8300. continebat. Hostes jam quatuor dies antè cæperant sua colligere impedimenta, jam discedere decreverant: verùm cùm oppidum extremâ pugnatione essent invasuri omnibus copiis, Turca citato equo cõvolavit, qui significavit ingentia exposita esse Christianorum auxilia: eâ re audita, statim totis castris ad aram conclamatum est, omnesq; Turcæ ad aggeres accurrentes, sua impedimenta, quæ reliqua erant, collegerunt: tormenta in triremes attraxerunt, igni aggeres ipsos devastarunt. Neque ullum tormentum bellicum reli-

quum erat, præter Regium quendam canonem, cujus globi ad 120. pondo accedebant; cùm nostri ex oppido vel injussu Valettani exeunt, atque impetum in 500. Turcas, quibus ejus tormenti custodia erat permissa, facientes, illos pugnare nolentes, facile in fugam vertunt; quare tormentum in oppidum trahitur. Cum reliquæ omnes copiæ ascedissent triremes ad descensum S. Pauli, totum diem posterum ibi stationes habuerunt, deinde tormento per noctem disploso, iter orientem versus capiunt, insulam ferro ac igni devastatam, domos conquassatas, oppidorum mœnia solo æquata relinquentes: nam ictuum muralium tormentorum 78000. quibus concussa sint loca insulæ, memorantur. Narrantur in his præliis ad 5000. e nostris desiderata, inter quos Equites 240. milites ad 3060. reliqua bellis inutilis multitudo: è Turcis ceciderunt ad 23000. militum, & inter hos quos habebat Solimannus omnium præstantissimi. Eãdem hancce historiam pluribus illustrant, Thuan. *lib. 37. & seq.* Henricus Pantaleo *in Historia equitum S. Iohannis*, ut & Cœlius secundus Curio, *libr singular.* Sieur d'Aubigne, *de l'hist. univerſel. lib. 4. cap. 19.* Natalis Comes, historiarum lib. 15. & tandem eam ita concludit. Absumpta sunt & relicta in insula, partim vi ferri, partim morbo, circiter triginta Turcarum millia. Hæque tantæ mortalium calamitates, divinitùs initio ferè anni, fuerant variis in locis significatæ, per varia monstra: inprimis autem, mense Maio, non procul à Calpe, piscis admirandæ magnitudinis, inventus est in litore maris Ceutæ urbis; in quo triremes multæ quasi consultò depictæ apparebant: cum antennis, ma-
lis.

lis, velis, rudentibus, anchoris, carchesiis, bellicis tormentis, hominibus multisque aliis navigiorum generibus, cum insigniore triremi prætoria, in morem Galleoni instructa; atque aliæ triremes apparebant alias invasuræ. Hæc autem omnia cum ipso pisce (erat enim thunnus) nata & concreta videbantur, cum maxima inspectantium admiratione.

16. Extremus Solymanni conatus fuit, obsidio Zigeti, ubi etiam A. C. 1566. exspiravit, Sigethum lingua Pannonica, Insulam significat: & quidem superioribus sæculis, proavorum nostrorum memoria, Osualdus Anthemius, cujus progenitores e Græcia in Vngariam venisse dicebantur, in ea insula, quam Almus rivus stagnans & paludosus, ê proximis silvis & montibus provolutus efficit, turrim rotundam ędificavit, ac insulæ nomine vocatam, castigato & obstructo terrenis aggeribus oblongis, aquarum cursu, 40. latiore excavato alveo, lacum effecit. Eam posteri, ædificiis & propugnaculis auxerunt, ac postremò Valentinus Enningius cognomento Turcus, tolerata Iohannis regis obsidione, locum longe munitiorem reddidit: quo à Solimanno Constantinopolim abducto, & Quinqueecclesiarum urbe in Turcarum potestatem redacta, liberi eius, quod tuendæ ei, & defendendæ impares essent, Ferdinãdo cõcesserunt. Isthuanfi *lib. 19. p. 359.* Anno 1556. frustrà à Thurcis obsessa fuit, *ut ibidem Isthuanfi refert. qui idem lib. 23* ultimam expeditionem Solymanni in Vngariam, Sigetique obsidionem pluribus describit. Præerat autẽ Sigetho Nicolaus Zyrinius, Hungaricus comes: qui nova urbe incensa, veterique à Turcis sum-

mo impetu expugnatâ, in arcem se recepit: ubi summas inter difficultates, mirabili virtute, hostium numero ferè infinito, restitit. Sed quia diversis pugnis cadentes ad exiguum ferè numerum redacti erant, & ii, qui in mœnibus conspiciebantur, per Ianizeros, & magistros tormentorum certissimis ictibus sternebantur; prohiberi hostes, quin propugnaculum subirent, nequaquam potuerunt: quamquàm plurimi inter subeundum à nostris oppressi interficerentur. Cum per hunc modum, potestas consistendi in mœnibus, aut propugnandi erepta esset: Ianizeri primùm fundamenta propugnaculi, in imo ligonibus, palis, ac ferramentis suffodere, deinde robora & materiam eruere ceperunt: eoque opere, triduo assiduè facto, adeò illud perforavêre, ut aperto in ipsis terrenæ molis visceribus meatu, nostros è cuniculis conspicere, & ipsi à nostris mutuò videri possent. Quanquam autem Zirinius, animadversâ periculi magnitudine, aliquot cados minores sulphurei pulveris, ac tubos fictiles, lethiferum evomentes ignem, adferri, & in opus facientes proiici jussisset; quibus plurimi hostium partim discerpti essent, partim faucibus fumo interclusis expirâssent: subeuntibus tamen subindè aliis atque aliis, nulla diurni nocturnique temporis momenta, egerendæ humo intermittebantur. Porro maxima vis aridæ materiæ, roborumque & asserum, nocturno præsertim tempore, in eam latè patentem scrobem comportata, & posterâ die, Nonis nempè Septembris, strues ea omnis subiecto pulvere sulphureo, incēsa est; ac pars propugnaculi, magno concepto igne, ardere cepit. Quanquàm autem

tem is ipſe per ſe, obvia quæque lambendo, atq; depaſcendo vaſtabat; juvantibus tamen Auſtris, qui eo diluculo vehementiſſimè perflare ceperant, adeò ſæviebat, ut creſcente curſim incendio, robora etiam & trabes, ac virgulta, quæ ante obſidionem, ad reparandas munitiones comportata erant, ejus violentiâ corriperentur. Tum noſtri, metu ac magnitudine periculi permoti, omnes ad extinguendas flammas converti, non ſolùm milites, qui jam pauci ſupererant, ſed, & agreſtes ac fœminas & adultiores pueros, ad hauriendas aquas, quæ in foſsâ interioris arcis, ad manum habebantur, extinguendosque ignes, compellere inceperunt. Verùm quùm impotentes & immodicæ flammæ, dicto citiùs invaleſcerent, & ii, qui cupis ligneis, aut hydriis è corio bubulo factis, operi inſtabant, deſtinatis ſclopetorum ictibus, à Ianiceris ſternerentur, omnis ſuſceptus labor in irritum recidebat: furentibusque miſerabili vaſtitate incendiis, Turcæ ut metum terroremq; augerent, aſſiduis tormentorum fragoribus, in arcem detonare non intermittebant. Intereà Ianiceri, ſublatis ſignis, & ingenti edito ululatu, in Nadasdianum propugnaculum, audaciſſimè proruperunt; ſed à noſtris fortiſſimè rejecti, ac cũ incredibili ſtrage repulſi, pedem retulerunt. Nec mora, bis repetito pertinaciſſimis animis & viribus certamine, bis pari noſtrorum virtute & conſtantiâ, non ſine cruentiſſimâ cæde, victi retroceſsêre: ita ut multi eorum, per medias flammas, ſemiuſtulati evaderent; pars cædem effugere conati, acerbiori morte comburerentur. Eâ in propugnaculi defenſione, ac ancipitis pugnæ atrocitate, Zi-

rinius

rinius ipse, imperterriti ducis munere functus interfuit. Suisque non voce solum adhortator præivit, sed etiam gladio fortiter pugnans, exemplum præbuit; quùm primos hostium conscendere ausos, suâ manu obtruncâsset. Sed in acerrimo conflictu, plures ex fortissimis propugnatoribus, ex hostium autem numero, tribus his præliis, quod confertissimis & densissimis agminibus processerant, amplius septem millibus cecidisse creduntur. Sub hoc prælii eventu, Solymanus, morbis & senio gravatus, ac ad viriatæ tibiæ dolores, superveniente etiam alvi profluvio, è vivis excessit. Grassantibus interim in exteriori arce incendiis, etiam non procul ab ea munitione, interiori arci attigua, in qua magna sulphurei pulveris vis, recondita erat, horribili strage, obvia quæque absumentibus; Ziriaius cum suorum reliquiis, non hostium metu, sed incendii atrocitate, quod extingui nullis viribus poterat, in extremas angustias redactus, sese in interiorem arcem recepit: tanta connixis & sequentibus celeritate hostibus, ut vix spacium claudendæ portæ, contra irruentes habuerit: maiorem verò, quæ exterior erat, Ianiceri & alii Turcæ, protinùs occuparunt. In eadem exteriori arce, multi ex fæminis & pueris, ac promiscua turba, celeritate hostium præventi, in eorum manus inciderunt. Vbi Ianizeri, cum alterius ordinis Turcicis militibus, pro præda & captivis inter se haud mediocrem pugnam iniêre, dum quisque eam pro se rapere & vendicare contendit: âdeò ut à nostris, è fenestris & superioribus locis prospectantibus, mutuis vulneribus digladiantes, tormentis peterentur; nec parvo af-

fectâ

fecti detrimento occumberent. Sedata demùm adventu tribunorum rixa, hostes tormenta, quæ in majori arce invenerāt, in arcis interioris muniitiones diruendas, obverterunt. Nec iam exitus aut aditus in exteriorem arcem, ullus esse poterat; partim Vulcano longe lateque pervagante, cunctaq; vastante, partim hostibus acerrime incumbentibus, & si quem ex propugnatoribus conspexissent, innumerabili glandium ac sagittarum procella, ceu grandine feriētibus. Supra has extremarum difficultatum angustias, obsessi, non mediocri etiam rerum ad victum necessarium penuria premebantur: quandoquidem maximus numerus commeatus, in exteriori arce, incredibili copia & abundantia repositi, ab hostibus erat interceptus. Contrà in arce interiori, in quam nostri, suprema necessitate adacti, se reduxerant, non nisi duo tormenta majora, & quatuordecim minores colubrinæ supererant, & mille modii farinæ triticeæ, quos Comes Zunianus, e suis prædiis adferenda curaverat: ex qua tamen panes, tanto numero, ut omnibus abunde prẹberentur, ob furnorum seu clibanorum paucitatem, confici nequaquam posse videbantur. Occupato majoris, seu exterioris arcis munimento, Ianizeri multis militaribus signis in vallo collocatis, per duos dies, octavū nempe & septimum Idus Septembris, ibidem manserunt, nostris interiore in arce clausis, ultimam fatalis necessitatis horam, anxio sed forti animo expectantibus; nec ullis remediis incendia retardantibus. Sexto demum Idus, qui dies nativitati Deiparæ virginis dicatus est, Ianizeri conjectis in arcem interiorem tubis fictilibus,

ignem

ignem arte factum continentibus, quamquam flammæ per se furentes ultro debaccharentur, ædificia, in quibus Zirinius habitare consueverat, incenderunt. Et Mehemetes, à cujus nutu & imperio omnes in exercitu pendebant, viso minoris arcis incendio, summo eius diei diluculo, sine mora classicum cani, tympanisque & tubis signum invadendi dari jussit. Nec mora, magna ex castris Turcarum multitudo confluxit, adeò ut ager omnis, hostium plenus, ac equitibus pariter & peditibus refertus esset. Quod quum Zirinius vidisset, Francisco Cerenconi, cubiculario suo, vestes sericas breviores adferri jubet, iisque induitur, capitis tegumentum, ardearum pennis auro inclusis, gemmisque ornatum quali in spectaculis & nuptialibus pompis uti erat solitus, apponit: ac centeneos aureos nummos, præmiū hosti interfecturo, marsupiis, quæ utroque in latere erant, ingerit, (è quorum numero Turcicæ monetæ aureos excludit) postremò claves arcis addit. Deinde sumpto ex multis acinace paterno, quùm se eo gestato, multa adiisse, ac superasse pericula, multùm laudis & gloriæ acquisivisse, nunc jam fatis urgentibus, eodem finem, quē divini numinis voluntas attulerit, facturum præfatus, neq; donec spiritus regeret artus, se commissurum, ut collum & manus catenis onetatus, per hostium castra ductaretur, in publicum è conclavi prodiit; & ubi arcem incendio, quod jam nulla ratione extingui poterat, conflagrare, nec longus in ea ob ingentem flammarum ac fumi vim persisti posse videret, milites, qui in procinctu, ejus jussa præstolabantur, alloquutus, & ad fortiter sustinendam mortem adhorta-

tus

tus est. Fremitus extemplò militum sequutus, eundem sibi animum, eandem sententiam esse clamantium: & simul abiectis in angulo portæ clypeis, thoracibus, galeis, loricis, ac ipsis etiam, quo agiliores essent ac vulneribus oportuniores (cadere enim pulchrè, quàm fœdè vivere decreverant) gladiorum vaginis, solis vestibus, ac nudo singuli ense contenti, ad extremum finem laborum sese parant. Tum vero Zirinius, divini numinis ope invocatâ, portam aperiri, ac Marco Saraceno tormentorum magistro, qui solus è multis supererat, tormentum maius in portæ vestibulo collocatum, quod multis ferri, ac catenarum frustulis, ac plumbeis glandibus oneratum erat, displodi in hostes, qui densissimi supra pontem constiterant, jubet. Sed is, antequam disploderet, per frontem glande traiicitur, & cadit. Tum Georgio Chrovato astanti arripere accensum funiculum, eoque tormentum displodere imperat: quo solo ictu hostium plures sexcentis, partim occubuisse, partim vulnerati fuisse feruntur. Pugnatum simul est, ut in destinatâ supremi certaminis metâ fieri potuit, quàm fortissimè & constantissimè, tum à Zirinio, qui rotundâ parmâ & ense protectus, primus pugnam iniit, tum verò à militibus; sed iniquiore nostris conditione, qui, quùm ad sexcentos tantùm redacti essent, ab innumerabilibus barbaris, sagittas & glandes ac tela omnis generis, instar grandinis, in eos spargentibus, facilè superabantur. Zirinius ipse, glande dextrum pectus traiicitur, & multo effluente cruore, quùm nondum, suos, ut fidei, virtutis, constantiæque meminisset, animare desineret, altero ictu sclopeti, inter dextrũ ocu-

oculum & aurem adacto, prosternitur; quo cadente, cæteri quoque, paucis exceptis, ab Ianiceris detruncati in vestigio conciderunt. Vix tres aut quatuor, superstites, postea à Georgio Comitis Ziriniani filio redempti postliminio redierunt: cæteris ad unum omnibus, præter pueros & fæminas, ab irato hoste interfectis. Caput Zirinii paulò post pugnam, jussu Alis Ianicerorum præfecti præcisum est, (cui etiam spolia ejus cessere, simul cum equo præstantissimo, Peruani nomine appellato) illudque, in castra ad Mehemetem missum, ibique perticæ infixum, Turcis & aliis spectaculo fuit. Truncum autem, Mustapha Banialucanus, equitū ductor, cognomento Vilithus, qui ejus anteà captivus fuerat, tumultuario sepulchro composuit. Iam hostes utramque arcem, manu ceperant, & manubias prædamque omnem, & captivos longis restibus & catenis vinctos, oneratosque, in castra perduxerant, & adhùc inextincti ignes, mœnia & propugnacula, miserabili incendio populabantur; cùm ad turrim lapideam, in qua tormētarii pulveris magna copia servabatur, grassanda pervenerunt nec: mora, pulvis repentè succenditur, & non solùm fornices inferiores, in quibus conditus erat, sed totam ipsam ædificii molem, veteresque domos, quæ interiorem arcem continebant, puncto temporis evertit, atque disiecit. Cujus terribili fragore & ruinâ, innumeri Turcæ, & presertim Ianicerorum magna multitudo, qui domos singulas, & abdita quæque, curiosissimè perscrutabantur, nec alios ad prædæ societatem facilè admittebant, partim fragminibus ingentium lapidū, partim summâ pulveris vi, in sublime

lime rapti, & multipliciter discerpti periere: ut eo tantùm casu, tria aut amplius millia, omnis generis militum, desideratæ esse, vel ipsorum hostium confessione, compertum fuerit. Nam ejus cladis causa, totis castris, magnus dolor, lacrimæ, & luctus passim agitabantur: quùm pars fratrem, aut propinquum, alii extinctum parentem, aut filium, multi sanguine junctos, aut socios lugendo, & lamentis suspiriisque prosequẽdo, deplorabant. Periisse autem tota ea in obsidione, ac diversis oppugnationibus ad XX. hostium millia dicuntur: & quidem eorum, qui aut Ianiceri, & Spahoglani, in albo prætorianorum equitum descripti essent, aut in limitibus Vngariæ, ac sub Beglerbegis certa stipendia meruissent. Eandem Historiam habet etiam Natalis Comes lib 17. qui inter alia de morte Solimanni, ita scribit. Is, jam senio confectus, multisque laboribus itineri defatigatus, quo pepulerat illum regnandi cupiditas, atque irâ percitus (quòd occupatio Zigethi, non secundam spem præconceptam procederet) repentè cæpit laborare sanguinis profluvio. Idcircò in eâ ætate, nativi caloris inopiâ victus, qui totus tamen videtur esse in sanguine, brevi, vitam cum morte commutavit, sicuti sibi à Francisco Giuntino Florentino, viro rerum astronomicarum peritissimo prædictum fuerat. Mahometus vir singulari ingenio, & prudentiâ, veritus mortuo Solimano ne rumor in castra dideretur; quòd in occultatione hujusce mortis, appareret consistere salus rerum omnium præsentium, & Ottomanici Imperii conservatio: primum diligenter secum perpendit, quo pacto id consequi posset, ne rumor in

Turci-

Turcica, & inde in Cæsariana castra penetraret. Cùm solus conscius esset mortis medicus, qui astiterat Solimano, quæ repentè accidit; dedit ingentes pœnas ejus scientiæ, docuitque quàm secretæ res principum sint devitandæ. Nam Mahometus veritus, ne hic medicus rem patefaceret, illum evocat è tentorio, & jugulari in suo conspectu imperat: nam sanè in magno discrimine tantus thesaurus positus erat, qui statim direptus fuisset, si res fuisset patefacta, inter nationes præsertim avarissimas, & prædæ avidissimas. Curavit igitur Mahometus, & rem occultari, & non intermitti Zigethi expugnationem: donec Selimus imperium cepisset, ad quem perveniebat jure hereditario. Continuò itaque literas dedit ad præfectum Byzantii Scanderum, quæ illũ de rebus omnibus certiorem facerent: eumque hortatur, ut nuntium statim mitteret ad Selimum, quia negotium indigebat summâ celeritate. Sed quoniam tumultus ferè excitabatur in castris, quia per multos dies Imperator à nemine visus fuisset; Mahometus re cum quibusdam proceribus spectatę fidei communicatá, Solimanum balsamo perunctũ induit usitato more, atque in sublimi throno collocat in loco adumbrato intra tentorium, quem spectandum è longinquo cum maxima reverentiâ proponit. Ipse significationes nonnullas reverentiæ, præsentibus omnibus, & obsequia edit, tanquam cum illo loqueretur: cum nemo propiùs accedere ausus esset; propter nimiam observantiam, res credita est sine fuco & fallaciis. Tum paulo pòst, ut res magis conservaretur, accenderetque pugnantes ad Zigithi oppugnationem, & occulta-

ret

tet dolorem ac lachrymas, è morte Imperatoris perceptum; quas lachrymas continere non potuisset: egressus è tentorio, percunctantibus quid dignum lachrymis accidisset? respondit; Solimanum cum à pristinâ valetudine, quæ levissima fuit, convaluisset, juravisse magnum jusjurandum, se imperaturum omnes proceres acerbissimo mortis genere torqueri, qui Zigethum expugnandum sibi suscepissent, nisi intra biduũ illud captum sit: annon hæc justissima & maxima causa lachrymarum est, inquit, si tot viri fortes crudelissime necentur? Eandem historiam, recenset etiam Thuanus, lib. 39. Sed & memoratu dignum est, Epitaphiũ Comitis Zerini, quod refertur à M. Samuele Budina in historia Sigethi, his verbis: ILLVSTRISSIMO Comiti NICOLAO ZRINIO, Torquati ex sorore nepoti, à Carolo V. post Viennam obsidione solutam, quod in ea adolescens adhuc, & tyro, multa pręclara confecisset, equo auroque donato: ad Budam & Peschtum pulchra per facinora, summâ cum laude probato: Croatiæ, Dalmatiæ, & Sclavoniæ Bannato, Tavernicorumque Regalium in Pannonia Magisterio, singulari cum prudentia functo: copiis Cæsaris ad dextrum Danubii latus, à FERDINANDO I. & MAXIMILIANO II. Imperatoribus, præfecto: Victis sæpissime, fugatis, captis, cæsisque hostibus: Infaustissimâ postremùm, funestissimaque Sigethi expugnatione, cujus arcem contra innumerabilem Solymanni Turcarum principis exercitum, factâ eorum ingenti & memorabili strage, diutiùs quàm viribus par fuerat, defendit; defuncto ibidem Solymanno, totius orbis flagello, pulcherrime absum-

absumpto: bellicæ gloriæ fortissimo, invic-
moque Duci, de se publiceque: B. M. P. P.
annos quadraginta octo, occubuit septim
ptembris. Anno Virginei partus 1 5 6 6.

17. De Solimanno autem hæc habet d. lib
Thuanus. Princeps fuit, inter suos, pietate, ju
tiâ, magnitudine animi, & continentiâ, ac d
que fide insignis: & in quo nihil præter veri
notitiam facile desiderares. Agebat, cum mo
retur, annum ætatis LXXVI. imperium ten
annis XLVI. & VI. mensibus, eodem me
quo Carolus Cæsar à Germaniæ proceribus
claratus est, ad imperium evectus. Sic verò vi
cursum, instituerat, ut in imperio militari, quo
que pacis artes nescit, semper fere alternis a
nis, post expeditionem aliquam susceptam i
terquiesceret, prosperá fortuná fere usus, ampl
ficatis finibus & Pannoniá in Europâ, ac Arm
niâ in Asiâ, Turcici juris factis: interdum & ad
versis conflictatus. Inprimis acceptâ memora
bili ad Melitam clade, & domo duorum filio-
rum, ac tot nepotum nece funestatâ; quo pacem
in familia atque adeo in Othomanico imperio
conservaret. Tria illi ad summam felicitatem ac
votum summum defuisse memorant: quòd Vi-
ennam Germanici imperii propugnaculum, ac
veluti clavem, quam sibi deberi post Constan-
tinopolim à Muhamete proavo captam, tanquã
imperii heredi, jactabat, in potestatem redigere;
templum Byzantii, à se stupendi operis inchoa-
tum, & aquæ ductus, æmulatione Romanorum
inceptos, consummare non potuerit: quorum
votorum si compotem eum fortuna ante mor-
tem fecisset, omnium se regum fortunatissimum
existi-

existimasset. Reinerus porrò Reineccius *in append. Hey. h.* Solymannũ sæpiùs dicere solitum, refert; Romæ, ac totius occidentis imperium ad se pertinere: propterea quòd ipse Imper. Constantini, qui Byzantium imperium transtulit, legitimus successor sit. Scripsit Antonius Geufræus, singulis septimanis, ter coram Solymano historias majorum legi solitas: sic, ut non passus sit, ullũ iis inseri mendacium, ipsi quidem cognitum; sed solum verum, purum, & nudum exponi voluerit. Constat etiam Turcicam nationem sub hoc Soldano, multum barbarici exuisse. Quare hinc illa ludorum litterariorum Constantinop. frequentia, quam plerique prodierunt. Consentit Petr. Bizarus, *rerum Persicarum lib. 11.* Qui ait, fuit Solymanus, celsitudine animi, rerumq; gestarum gloriâ, & felicitate, nulli suorum prædecessorum secundus: at prudentiâ, justitiâ, fortitudine, temperantiâ, humanitate, imperii moderatione, ac cæteris heroicis virtutibus, complures eorum longo spatio post se reliquit. Quòd nisi paternas manus, primogeniti sanguine cõmaculâsset, vix omninò extaret, in quo præter puriorem fidei doctrinam, jure meritò reprehẽdi posset. Atqui major pars eorum, quos fortuna ad supremum fastigium evexit, illud sibi persuasêre; si jus violandum sit, imperii causâ violandum. Et verissimè cecinit Lucanus:

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

Staturâ fuit erectâ, oculis nigris, paulumque trucioribus: cæterùm vultu gratioso & subfusco. Ejus juramentum, hujusmodi fuisse, tradit *ibid.* Bizarus: Iuro Deum, cœli terræque auctorem,

juro Evangelicæ historiæ Chronographos, vicies quater mille prophetas lapsos è cœlo, summumq; inter hos, nostrū Mahumetem: adorandos item Manes avi patrisque, tum hoc sacrum augustūque meum imperiale caput. In suis literis & diplomatibus, hujusmodi titulos præponebat: Solymannus Tsaccus, Dei gratiâ, Rex regum, Dominus dominantium, Maximus Imperator Byzantii, & Trapezuntarum. Rex prepotentissimus Persidis, Arabiæ, Syriæ, ac Aegypti. Dominus Asiæ, & Europæ, Princeps Mechæ, Alepi, Hierosolymorum. Dominator, possessorque maris universi, &c. Ex regia nostra Constantinopoli. Ioachimus Camerarius *in Narrat. Turcic.* de eodem ita scribit. Solimani nihil aliud propositu fuisse, quàm universi nominis Christiani regna subjicere potestati suæ; quòd naturâ esset cupidissimâ gloriæ, & prosperitate fortunæ regnique sui potentiâ, animo elato ac superbo. Ferunt enim dicere solitum; pertinere ad se imperium Romanum ad occidentem, quòd esset ipse legitimus successor Constantini magni, qui sedem Imperii Romani Constantinopoli collocasset. Fabulæ etiam libenter assentiebatur; Turcas à Troianis originem ducere, & ideo præ cæteris lectitare consueverat Troianas historias, & hoc etiam nomine Romani imperii possessionem suam esse debere; qui posteritas esset eorum, à quibus descenderent conditores illius. Nō ignorabat etiam ille, in quàm multas & varias partes Christianum nomen distractum esset, neq; quo loco ipsum adoriri parabat. Fuisse autem in eo traditur animum magnum, & ingenium acre, & multorum virtutum laudes. Neque animadversa vi-

sa vitiorum insignium peccata, sicut in Selimo, Baiasseta, Mahometha, crudelitates, avaritiæ, perfidiæ; cum suę religionis exquisito cultu, munificam liberalitatem conjungebat. Quibus virtutibus duabus & existimatio præclara, & gratia singularis acquiritur. Nam religionis studium conciliat opinionem justitiæ & moderationis; liberalitas verò cùm eorum, quibus aliquid reges & principes largiuntur, voluntates mirifice devincit, tum spe beneficiorum cōplet animos cæterorum. Patientia in ipso laborum incredibilis. Atque fertur opera quædam diurna, quod nunquam otiosus esse vellet, facere consuevisse, quorum merces esset, quanti sit nummus Italicus, quem Iulium vocant. Natalis *lib. 17.* Agebat Solymannus annum septuagesimum & sextum; in omnibus ferè negotiis fortunatissimus: veruntamen non minùs prudentiâ, liberalitate, magnitudine animi, justitiâ, multarum peritiâ rerum, quàm fortunæ felicitate insignis Imperator, qui plurimùm rerum astronomicarum cognitione, & historiarū delectabatur; quare multos alebat viros doctos. Fuit in transigendis negotiis, solers ac diligens; fidei & religionis suæ observator, unum ausim dicere, Solimanum Ottomannos Imperatorēs, humanitate magnificentiâ, omnibus imperatoriis virtutibus antecelluisse. Accepit Imperium anno decimo octavo, post mille & quingentos, salutis nostræ: atque cùm ad hanc usque ætatem vixisset, non solum hæreditarium Imperium, à Selimo patre acceptum feliciter conservavit, sed etiam multis urbibus auxit: mortuus est è sanguinis profluvio, superveniēte apoplexia, ob imbecillitatem

vulgus creditum est. Hoc coloris vitium fuco, inductoque genis purpurisso, corrigere solebat. Nam Oratores, cum magna bonæ valetudinis suæ opinione, semper voluit dimissos. Quòd quidē eo pertinere putavit, ut eum externi Principes valentem, & robustum magis reformidēt. Pestilentiam dixit esse sagittas Dei, quæ à proposito scopo non aberrarent. Si quem hoc telī iactu percussurum vellet, nihil fugam, nihil latebras profuturas. Frustrà vitari, quod evitarī non posset. Revertebatur aliquandò victrix Turcica classis Constantinopolim, captivos, spoliaque & triremes Hispanas secum trahens. Ostentui erant in puppi prætoriæ triremis, Don Alvarus de Sande, Don Sanchius de Leyva, hic Siculorum, ille Neapolitanarum triremium præfectus. Remulco trahebantur captæ triremes, remigio & acrostoliis despoliatæ, ut sic præ Turcicis parvæ, deformes, contemptibilesque haberentur. Qui tum Solymani vultum vidit Augerius Busbequius, negat in eo ulla insolentis lætitiæ signa deprehendisse. Altero enim pòst die, Solymanus ad sua sacra profectus est, eodem, quo semper vultus habitu: eadem erat frontis severitas & tristitia, penè ac si nihil ad eum hæc victoria pertineret, nihil novum, aut inexpectatum contigisset. Anno 1529. Iohannem Sepusium in suum tabernaculum, cum proceribus Hungaris admissum, impensè rogavit Solymanus; ut Paulo Strigoniensi, & Petro Pereno, clementer parcere, & in pristinum gratię locum eos recipere vellet. Nam Iohannes ab eorum ingeniis amicitiaque plurimum abhorrebat: quoniā illi fluxâ fide, idem quod sibi anteà, dum coro-

naretur, officium Ferdinando præstitissent; a
tanquam desertores, oblitique Hungarici
guinis, ad Germanos defecissent. Ad id cle
tiæ munus quum duriorem se ostenderet Io
nes, ac regereret, eos nequaquam in fide
mansuros. Solimanus vocem paululùm in
dens, non barbaro, sed optimo Rege dign
An tibi, inquit, in hâc vitâ melius atque h
stius quicquam evenire posse putas, quàm
tuâ clementiâ, qui tui sint hostes, ingrati
mortales evadant, & æterno ignominiæ pr
notati; quùm in te sempiterna probi & cle
tis animi laus, mansura sit? Ea quoque in
subtilitate Solymanus fuit, ut non modò
literis, quibus superstitionis suæ leges cont
tur esset eruditus, sed Astronomiæ, Cosm
phiæque præsertim curiosè operam daret,
mone Medico, ex Bethica oriundo, perdoc
quùm vir acutus, singulas terrarum region
nusque maris, in membranis, depictisque
bus demonstraret; ut indè Regius animu
otium utili & peramœnâ delectatione ca
tur. Cum à Francisco I. Gallorum Rege,
fratrem nominare solebat, peritissimos in
genere musicæ artifices dono accepisset; ill
mò summopere delectatus fuit. Mox cùm
stantinopoli, summo studio populum ad a
dum concurrere, & earum artium discipl
affectare cerneret; veritus, ne animi civiu
fæminarentur, instrumentis omnibus co
ctis, & igni absumptis, Musicos ipsos Gal
misit. Carent enim omnino Turcæ Musi
strumentis; bellicis tantum tympanis et
nuptiis utentes. Pari odio in Christianos &

fas infensus erat. Nam sicuti Christianos continentibus armis persequi, maxumè pium rebatur: ita Ismaelis Sophi progeniem, qui novæ sectæ, perversæq; opinionis circa sacras leges authoritatem tueretur, exscindere atq; delere, honestissimum judicabat.

18. Sed non caruit domesticis calamitatibus Solymanus, quod & jam suprà monitum fuit. Eaq; de re, ita Leunclav. *in suppl. annal. Turcic.* Erat, inquit, Sultano Soleimani, filius Mustaphas, natu maximus, ex muliercula Circassâ, servilis côditionis: cui pater initiò Magnesiam, indè Amasianam provinciam dederat, ubi cum matre degeret: denique Carahemidam Mesopotamiæ, Persicos ad fines sitam, adsignârat. Erant eidem & alii liberi, quos ex feminâ, formæ (veluti quidem perhibetur) liberalis, natione Rossâ, sive Roxolanâ, sustulerat; mares quatuor, Muchemetes, Selimes, Baiasites, & Ziangir: unica femella, Chameria, quam alii Camenam vocant, Rustemis veziris uxor. Hæc Rossa, quùm præter Osmanidarum morem, Soleimani legitimè nupsisset; de filiorum in imperio successione sollicita, Rustemis generi criminationibus, & veneficiis quibusdam, ab Hebræâ strigâ subministratis, fascinatum Sultani animum, à Mustapha prorsus abalienarat. Fuerant & Bassæ cujusdam, patri exhibitæ literæ, quibus ad Rustemem scriptis continebatur; de matrimonio inter Mustapham, & filiam Scachi Persarum Techmasis, quo cum Soleimani pluribus ab annis bellum erat, tractari. Mirificè suspiciosum, ex aliis quoque delationibus, animum patris ea res perturbavit: quòd vereretur, ne Mustaphas, Techma-

fis adjutus auxiliis, imperio patrem exuere
Itaque missus fuit A. C. 1552. cum exercitu,
stemes vezir azemes; sub prætextu quidem
li Parthis inferendi: sed reapse cum secretis
tani mandatis, ut quocumque modo, Mu
pham è medio tolleret. Rustemes in Asiam
fectus, Soleimanem trepidè certiorem facit,
calumniam tamen, in magno rem versari di
mine: Genizatos, ceterosque milites ita Mu
phæ studere, de patris ut actum imperio vi
tur. Nullum aliud superesse remedium, quam
ipsemet in Syriam advolaret. Territus hoc n
tio Soleimanes, subito Chalepum cum exer
properat, quasi Parthis bellum facturus e
Arcessitur per literas filius, uti Chalepum ad
trem, sine mora se conferret. Mustaphas, lice
paternis insidiis inaudisset, monitusque sec
fuisset ab Achmete Bassâ, salutis ut suæ ra
haberet; innocentiâ tamen suâ fretus, patris
perio paret. In castra quùm venisset, ad tent
paternum rectà pergit: ubi patre mutis ali
robustis, quos Sultani Osmanigenæ in del
habere solent, minaciter innuente, prosterni
injectoque nervo, strangulatur. Nec multò
ejusdem Rossæ malis artibus, etiam unico
staphæ filio Marati, qui Brusæ apud matre
cabatur, opera Ibrahimis eunuchi bassæ, in
nervo guttur eliditur; ipsius avi jussu: quùs
periculum, quod à nepote posset imminere
jus patrem Genizari tantoperè coluissent, n
quam illa furia desineret ob oculos ponere
tigerunt hæc anno C. 1553. Secundum hæc
C. 1558. Selimes Baiasitesque fratres, Solei
nis filii, superstite patre, inter se de impe

successioneque dimicârunt: victusque Baiasites, e Caramania cum X X C I Ɔ. armatorum, & IIII. filiis, ad Schachum Persicum Techmasem profugit. Veritus autem pater Soleimanes, qui Selimis partes foverat, ne Techmasis auxilio, vel filius, vel exstincto filio nepotes, res novas molirentur: magnis pollicitationibus impetravit à Techmase, mortis ut genere, genti Osmanidarum familiari, de medio tollerentur. Ne quà tamen fraus interveniret, missus fuit ad interiorem Persæ regiam Casininû, Soleimanes Zeschniger, (sic prægustatorem Turci vocant) cui Baiasites cum filiis notus erat. Hoc præsente, pater cum filiis, adhibito nervo, suffocatus fuit; & ab eodem necatorum cadavera, Sebastiam deportata, proque more monumentis illata. Faciunt vero plerique omnes Baiasitem hunc Selime natu majorem, quod equidem non rectè fieri Leunclavius putat: per rationes, quas ibid. adducit, Thuanus verò, latiùs hæc omnia recenset: ex quo, cum scitu dignissima videantur (& humanæ vitæ iniquiorem conditionem, quæ Magnates plerunque torquere solet, demonstret abundè) sequentia adponere placet. Et quidem, is lib. 12. ita scribit. Ex Circassâ, seu Bosphoranâ concubinâ, filium sustulerat Solimanus, nomine Mustapham, ætatis flore & indole egregium, qui ob conceptam de virtute militari apud vulgus opinionem, & ob ætatis prærogativam, successor patri in imperio destinabatur. Ex Roxolana, quæ principem gratiæ locum post Circassam obtinebat, plureis liberos genuerat: Mahumetem, qui patre superstite mortuus est, Selimem, Baiazitem, & Zeangirem, gibbo-

 sum

ſum à re dictum, ac filiam unam Camænam appellatam, quæ Ruſtano nupſit. Is ſubulco patre natus, per omneis militiæ & honorum gradus, ad hoc faſtigium poſt Hebraimi purpurati mortem, evectus fuerat; homo perſpicaci & acri ingenio præditus, & ſi avaritiam excipias; ampliſſimâ illâ fortunâ ceteroqui non indignus: quæ tamen ipſa Solimano in bonum vertit; curâ fiſci & rei pecuniariæ ei commiſsâ, à quâ magnificus princeps, & longinquis ac continuis expeditionibus exhauſtus, ſæpiùs laborabat. Tantâ verò diligentiâ & parcimoniã, munus illud adminiſtravit Ruſtanus, ut cumulatis ingentibus divitiis, longo pòſt tempore regia camera in principis palatio oſtenderetur, cum hoc titulo: PECVNIÆ, RVSTANI DILIGENTIA ACQVISITAE. Hoc genero freta Roxolana, ingentis alioquin animi mulier, liberos ex ſe procreatos cùm etiam contra ſuccedendi jura evehere omni ope niteretur, ut majorem apud Solimanum dignitatis gradum adipiſceretur, à ſimulatâ religione, occaſionem ſumſit. Nam cum templum & Xenodochium, ædificare impensè percupere fingeret, hâc arte principis, qui religionis & hujusmodi operum maximè ſtudioſus erat, gratiam aucupans; ſummam legis apud ipſos ſacerdotem (is Muphtis appellatur) conſulit, quod animo deſtinaverat, ſibi ſaluti & animæ bono futurum eſſet? Cùm reſponderet ille, rem quidem Deo gratam fore, ſed neutiquam animæ ipſius bono ceſſuram, quippè quæ captiva eſſet, nec quidquid proprium ſibi, ſed domini poſſideret; adeò ut quidquid factum ſit, non ſuam, ſed Solimani domini ſalutem, ſit ceſſu-

tam iniquo animo responsum tulit, ut vitæ tædere se, omnibus manifestum faceret, eaque ratione Solimanum perpulit; qui ipsam insano amore deperibat, ut mœroris per emissarios clã ab eâ subornatos, causâ cognitâ, statim illam bono animo esset juberet: missoque nuncio per epistolam manumitteret. Postquam rem ex voto successisse videt Roxolana philtris ab Hebræa sagâ, uti iactabatur, subministratis, iam devinctum principis animum, novo astu aggreditur. Nam ab eo tempore, ut desiderium sui excitaret, à Solimani complexu, obtentu relligionis, prorsùs abstinuit; & cùm eundem Muphtim, super eâ re consuleret Solimanus, ille composito cum Roxolanâ, uti vero simile fit, dolo, citra Dei offensionem, cum liberâ rem haberi non posse respondit; proindè, si tantoperè ipsius amore ureretur, eam uxorem duceret. Ita Solimanus, Roxolanam, cum aliter eâ sine piaculo potiri non posset, legitimæ uxoris loco habuit: constituta etiam X V C I Ɔ. aureorum annuorum, propter nuptias donatione; quod nullus præter eum, ex Osmanidis à Baiazitis I. temporibus fecerat. More illo ducendi uxoris, non tam ob religionem, quod quidam falso scripsêre, quàm ex occasione in desuetudinem abeunte. Siquidem Baiazites ille, postquam prælio victus, in Tamerlanis manus venit; cùm omni contumeliarum genere affectus fuit, tum verò id admodùm indignè tulit, quòd ipsius uxor, quæ unà quoque capta fuerat, in eius oculis ad ludibriũ iniuriosè contaminaretur: propterea veriti successores, ne si similis casus incidisset, similem quoque iniuriam pati cogerentur, à ducendis

uxoribus in posterum abstinuêre; contenti concubinis & pellicibus liberos tollere: in q minùs injuriæ, quàm in legitimas uxores ca re videbatur. Cùm verò Roxolana, ex servili c ditione, jam libera, & ex pellice, principis co jux effecta; in dies majora animo conciperet, iniquè admodum ferret, ex concubinâ suscep Mustapham, ex se natis in imperio præferri, (i ex pellicibus concepti, æquè ac nati ex legitim uxoribus, in honore sunt apud Turcos; tantum que in successione ætatis prærogativa spectatur de tollendo è medio Mustapha cogitare cepit. Is ætatis opportunitate, & bellicæ laudis opinione, prætorianis summè carus, jam certâ spe imperium tenebat; sed inprimis eum liberalitas apud milites commendabat; & ex comparatione, Solimanum patrem magna invidia onerabat, qui Rustano ministro ad sordeis usque avaro usus, stipendia ipsorum cottidiè contrahebat, & ex rebus vilissimis, quæstum faciebat. Igitur Roxolana, sive ambitione incensa, sive etiam verita, ne si Mustaphas in imperio succederet, ceteros ex se natos, fati inevitabilis necessitas maneret; blanditiis & artibus apud maritum quantùm potuit, ut ejus animum, à filio natu majore alienaret: primo illũ à specie imperio dignâ, & exercitiis bellicis laudando, deindè à liberalitate, quâ non solùm prætorianos sibi devinxerat, sed ut ceteri præ se contemtui essent, effecerat. Mox ubi nutare Solimani mentem vidit, ex suspicione, eum postremò in odium adduxit, ambigua verba jaciendo, & exemplum Baiazis & Selimi patris in medium afferendo; quibus assiduis tantum apud amore sui furentem, ene

perse-

perfecit, ut cùm ille vitæ genus, & studia Mustaphæ suspecta haberet, curiosè per ministros in eum inquireret, & omnem operam daret, ut quid ille ageret, ad se diligenter perferretur; denique ab eo tempore non ut à filio, sed tanquam ab hoste sibi caveret. More in eâ gente recepto, filiis provincias distribuerat Solimanus; ac Mustaphæ quidem Magnesiam primùm, dein Amasianam, ubi cum matre degeret, postremò Carahemidam Mesopotamiæ ad Persicos fineis positam assignarat. Mahumeto primo, ex Roxolanæ genito Ciliciam, quæ hodiè Caramania appellatur; mox eo mortuo, Selimo fratri, Magnesiā Baiaziti concesserat. Rustanus gener, qui Roxolanæ negotium gerebat, ut Mustapham patri magis suspectum redderet;. Ioniæ & regionum Amasiæ vicinarum præfectis, sigillatim mandaverat, ut de Mustaphæ indole, & studiis, diligenter perscriberent: rem enim gratissimam patri facturos, qui maiorem natu filium, in virtute in dies proficere, libentissimè audiret. Illi doli ignari, crebrò scribebant, litterasque acceptas Rustanus Roxolanæ dabat; quibus Solimani animus jam semel in suspicionem adductus, magis cottidiè incendebatur: intereà nihil intermittebat noverca, quò privignum quâq; ratione, de medio tolleret; cumque venenum frustrà tentâsset, periculo à prægustatore facto, qui subitò mortuus dominum periculi admonuit, mox ad familiareis arteis confugit: & blanditiis à marito impetravit, ut contra morem, filiis suis liceret in aulam venire; rata sic sensim suorum amorem in ejus animo posse renovari & confirmari: Mustaphæ contrà odium augeri, aut certè

oblivionem induci. Postremum, ac potentissimum calumniæ telum Mustaphæ inflictum est, à literis astu Rustani confictis, quibus perscribebatur, Mustapham cum Tecmase Persarum rege, & Osmanidarum jurato hoste, clam patre de filiâ ipsius ducendâ agere: eo consilio, ut externis opibus fretus juvenis generosus, cùm jam prætorianos ob liberalitatis opinionem & successionis certam spem, sibi arctissimè devinctos haberet, festinato succedendi ordine, per scelus patrem imperio excuteret. His litteris efferatus Solimanus, in Syriam Rustanum cum exercitu misit; specie belli contra Persas gerendi; reverà ut Mustapham jam perduellionis apud se convictum, comprehenderet: quod cùm exsequi nō potuisset, quasi pacata omnia in limite ostendisset, Constantinopolim ad Solimanum rediit: novisq; denuò suspicionibus animum ejus implevit. Itaque ipse, qui à Roxolana & Rustano genero deceptus, rem præsentiâ suâ egere, nec citra periculum amplius differri posse persuasum haberet, cum exercitu, A. C. 1553. Alepum venit, evocato è Pannoniâ Achamate purpurato, obtentu belli, cum Persis gerendi. Continuò accersitur à patre Mustaphas, qui quamvis ab Achamate moneretur, sibi exitium impendere, si veniret; nihilominùs innocentiâ suâ fretus, quo jubebatur, ire decrevit; consulto tamen priùs legis Mahumedicæ doctore suo: nam singulis Sultanorum filiis, purpuratum & legis doctorem attribui moris est; à quo, cum adhûc animi dubius hæreret, quæsiverat, utrum homini optabilius esset, orbis imperium, an beatam vitam consequi; & illo respondente, fluxa esse & casibus ob-

bus obnoxia, quæ in vitâ appetant homines, ac postremò viã ad sempiternam felicitatem præcludere; ideoque vitam tranquillam, quæ solo & cœlo beet, longè optabiliorem esse, quam omnia terræ imperia; cò magis in opinione confirmatus fuit, quoquo modo vel capitis periculo paternis mandatis obsequi. Nec religione quidem somniorum, quæ plurimi apud superstitiosos Turcos fiunt, deterreri potuit, quò minùs se in viam daret. Visus enim in somnis, paulò antè auroram videre prophetam, veste candidâ & coruscantibus radiis lucenti amictum; qui se manu duceret in viridarium admodùm amœnum palatio sumtuosissimo, & horto conspicuũ; & ibi quidem puras animas, & quæ in vita à sanguine & vitiis abhorruissent, æternâ beatitudine frui diceret: contrà verò nocentum & flagitiosorum animas, duobus fluviis ferrugineas piceasque undas volventibus, quos haut procul fluere ostendebat, innatare, ac tandem mergi. Cùm quæsivisset à Doctore suo, quid istud somnii sibi portenderet? Ille & infaustum somniũ esse, & ut saluti consuleret, juvenem admonuit: nihilominùs cùm familiâ, uti statuerat apud se, ad patrem profectus, obvios prętorianos habuit, qui venientem omni honoris ac benevolentiæ significatione excepêre. Id astu Rustani, purpuratorum principis factum, qui præcipuos exercitus duces ac prætorianos, quò filium magis suspectum apud patrem redderet, ad id invitaverat, non voce sed capite innuens, rem ipsos gratissimam Solimano facturos esse: quò magis suspiciosus senex sibi festinandum existimavit, admissumque intra tentorium Mustapham, per

cunu-

eunuchos & mutos homines, qui Sultano ad nutus semper præstò sunt, comprehendi iubet. Cùm ille, ut erat robusto corpore, contrà plureis animosè colluctaretur, ut non de vitâ tantum, sed de imperio videretur contendere (quippe non dubium erat, si interfectorum manibus elapsus, ad prætorianos confugisset, quin illi rei indignatione permoti, nō solùm eum, quem summe amabant, servaturi, sed etiam Imperatorem salutaturi essent) Solimanus, qui linteis tantum parietibus à loco, in quo res gerebatur, disiungebatur, ubi moram interpositam videt; caput velo exserens, minaciter mutis innuit, & segnitiem eorum, torvum tuens, increpat: quo animadverso, illi redintegratis viribus, iam spiritu cassum Mustapham sternunt, nervoque iniecto, gulam misero frangunt; cùm ille diù frustrà signis, ut cum parente colloqui posset, etiam in ipso luctamine, ad misericordiam composito vultu, expetivisset. Quo facto, Amasiæ purpuratum, qui illi datus erat iuventutis moderator, ut consiliorum participem, quamvis eius operâ usum Rustanum quidam scribant, in fabricandis illis litteris, quæ de matrimonio cum Persa contrahendo, fidem faciebant, securi percussit; unaque Michaelium patritium Venetum, qui puer à Turcis captus, summâ cum bellicæ laudis gloriâ, apud illos adoleverat, & principis vexilli, sub Mustapha gestandi dignitatem meruerat. Occiso Mustaphâ, cū evnuchi ad demortui thesauros, ne diriperentur, capiendos Solimani iussu accurrerent; nōdùm cognitâ Mustaphæ morte, tumultus ingens inter milites exortus est: quē vix Achmatis præsentiâ, quamvis plurimùm

apud

apud eos valeret auctoritate, post IICIO. amplius hominum mutuam lanienam, sopitus est. Vbi verò cadaver in tapete porrectum, ante tentorium expositum fuit; & evulgata mortis causa, calumniæ propior, commiseratione multi, sed plures furore incensi, ad apertam seditionẽ spectare videbantur, nisi dux defuisset: nusquam maior in castris luctus, ieiuniisque continuatis, miles dolorem verum testatus est; quam ut tandem aliquandò placaret Solimanus, Rustanum, cuius impulsu & machinationibus id factũ sciebant omnes, sigillo ab administratione removit, & in ipsius locum Achamatem purpuratum, belli gloriâ quàm consilio clariorem suffecit. Id ex composito, inter Solimanum & Rustanum factum apparuit, ut ille se invidiâ exoneraret, & onus in alterum reiiceret, cùm tamen factum minimè improbaret, cuius siquidem illum serio pœnitebat, auctores & consiliarios morte multare potuisset. Certè Rustanus privati habitu, ut lateret, clam castris aufugit, & Constantinopolim citato cursu se contulit; ubi se tandiu continuit, donec Achamate, Solimani iussu interfecto, in pristinam dignitatem restitutus est. Mustaphæ crudeliter adeo interfecti casum, alterius fratris morte, fortuna cumulavit: nam pater, ut Zeangiri illuderet, quem sciebat summo amore fratrem prosequi, in tentorium eum, ut Mustapham viseret, vocari iubet, qui obviâ lætitiâ, fratrem complexurus, ut iacentem humi conspexit, adeò facti indignitate commotus est, ut deploratâ primò innocentis, iuxta ac generosi iuvenis morte, & immanitate patris, gravissimis ac contumeliosis verbis incusatâ; postre-

mò,

mò, ne tanto dolori diutius superessēt, pugione in viscera adacto, in mortui pectus incumberet: ut quos fati invidia tam citò dissociasset, mors quamlibet præmatura conjungeret. Quod graviter admodùm tulit Solimanus; quasi geminato filiorum funere impiatá familiâ: sparsaque fama, Zeangirem ex subitá infirmitate decessisse, rem dissimulari voluit. Et porrò idem Thuanus *lib.24. à princ.* Tragediam in domo Solimanni semel cæptam, continuans; ita scribit. Sublato Mustapha ac mortuo Zeangire; (nam Mahometes uxore ducta jampridem decesserat) cum superessent tantùm duo, ex Roxalana suscepti: Selimus natu major voluntate patris ad imperium destinabatur; Bajazethes, studio ac pietate matris ultrò ipsum, si suo arbitrio steṫur, fratri prælaturæ & in imperio collocaturæ sustentabatur. Et erāt quidem in eo multa, quæ illum non solùm matri sed omnibus amabilem reddebant: in ore comitas, & ad obsequium compositi mores, atque adeo animus, sicuti tūc apparebat, ad quietem & litterarum otium inclinans. His accedebat vultus, paternam imaginem referens; cùm nulla paterni oris similitudo in Selimo fratre appareret: qui multo gravis abdomine, tumentibus buccis, facie indecorâ, rubedine suffusâ, ut militari verbo, polentâ saginatus diceretur; vitâ insuper inerti, quam per vinum ac somnum ferè traducebat, cunctis fastidio & odio erat. Ad hæc, in salutando nequaquam comis, nec beneficio demerendis hominibus natus; quippè qui palam profiteretur, nolle se populari gratiâ colligendâ, animum patris offendere, & in suspicionem sui adducere. Hujus qui patri uni carus, ceteris

teris invisus erat, comparatione Baiazetes, per se cunctis acceptus, longè acceptiorem se Turcis reddiderat: qui, seu commiseratione inevitabilis exitii, quod misero à fratre impendebat, sive ob indolem & propensam de omnibus benè merendi voluntatem, ei impensè favebant. Igitur Baiazetes, matris Rustaniq; gratiâ, qui ad tempus à gubernaculis remotus, ut Mustaphæ mortis invidiam leniret, in eo erat, ut rursùs rerum summæ admoveretur, fretus; dum circumspicit, quâ ratione necessitatis vim declinare, ac certam perniciem cum imperio cõmutare posset; honestiusque existimat, de imperio contendentem cadere, quàm fratris jussu ac carnificis manu inglorium jugulari; hæc cogitanti non incommoda occasio se obtulit ista. Magnum sui desiderium reliquerat Mustaphas, ita ut multos post eum vivere tæderet: quidam ultionis studio incendebantur; plureis conscientia attonitos habebat, qui quòd rebus ejus studuissent, ut periculum averterent, rerum novarum causas quęrebant: dux tantum desiderabatur. Mustaphas in vitam revocari non poterat: vivus fingi poterat; præsertim constanti adhùc memoriâ & exemplo alterius Mustaphæ, qui ob id Dusmes, in Annalibus Turcorum, quasi suppositum dicas, appellatus, se Baiazetis Gilderunis filium, dictitans, magnos motus in imperio Turcico excitavit: ut jam suprà fol. 730. &c. dictum fuit. Ergò per Baiazetis emissarios, homo vili loco, sed promptâ ac projectâ audaciâ suscitatur, qui ob staturæ, vultus ac reliqui habitus conformationem, haud multùm à Mustapha absimilem, se Mustapham profiteri ausus; in ea parte, quæ supra

pra Byzantium est, ad Istri fauceis se ostendere cœpit. Ibi cum paucis, quos sibi adiunxerat comitibus, percunctantibus, quis esset, initio timidè Mustapham se esse respondet, qui patris iram fugiens, se astu è manibus ejus eripuerit: & ut mendacio fidem faceret, narrabat, cùm à patre accerseretur, non ausum in conspectum ejus venire, sed ex consilio amicorum quendam sui similem multis promissis oneratum, pro se misisse, cujus periculo de patris animo certior fieret: hunc, priusquam ad Solimanum admitteretur, indictâ causâ strangulatum, & ante tentorium proiectum, propter mortis acerbitatem, dum cum carnificibus colluctatur, cõfusis oris lineamentis multos fefellisse, qui Mustapham verè interfectum credidére: se verò nihil cunctatum, protinùs fugam arripuisse, & facto supra Pontum per Bosphoranos populos itinere, huc incolumem pervenisse. Hæc tum in occulto, mox ut pronis auribus ab iis populis accipi cognovit, palam concionabundus edisserebat; factum exaggerans, & invidiam in novercam derivans, ac Rustanum eius generum, qui deliri senis animum philtris excãtatum ad libidinem circumagerent. Tum fidem hominum, & opem adversus iniustam vim implorabat; & ne inani rerum suarum deploratione apud homines, qui felices potius quam calamitosos colũt, eorum animos potiùs ad fortunam suam commiseratione prosequendam, quàm auxilio sublevandam incitaret, spes suas magnifice ostentat; neque enim iustæ causæ animos neque amicos sibi defuturos, quorum ope ex hoc squallore emergat, & de inimicis pœnas reposcat: à se stare prætorianos

præcipuum imperii robur, & magnam familiæ paternæ partem;& quocunque nunc,quem mortuum falsò opinantur, lugeant, qui permulti sint,ad auxilium vivo ferendum magno concursu advolaturos. Quæ res,tanto artificio gerebatur,ut multi ob iucundam Mustaphæ memoriã facilè decepti fidem mendacio haberent: multi qui Mustapham vivum cognoverant,& mortuũ in tapete iacentem viderant, odio præsentis status fucum oculis suis fieri paterentur: plerique promissis ac donis Pseudo-Mustaphæ, nam in eam rem Baiazetes per suos emissarios pecuniã subministrandam curaverat, prensationibus denique ac blanditiis illecti, ei in occulto faveret, & palam nomen militiæ darent. Ita brevi tempore, & magni illis regionibus motus excitati & numerosæ copiæ undique collectæ, iam iusti exercitus instar, ad signa convenere. Quibus de rebus certior factus Solimanus, statim negotiũ dat provinciarum prætoribus, ut malo grassanti conveniant,& antequam vireis colligat, aut latius serpat, coniunctis copiis opprimant. Insuper ad eos, ex purpuratis Pertaum, cui maximè fidebat, mittit,cum non ita magna manu; sed ex fido quoque tribuno, centurione ac decurione collectã: veritus ne prætoriani, vel studio partium, vel donis ac largitionibus corrupti, ad eũ signa transferrent contra quem venerant. Mandatis acceptis prætores haud segniter vireis iungunt,tum superveniente Pertao, ulteriùs procedunt; & iam non multùm ab hostibus aberant, cùm, ut in tali casu solet, nondùm satis confirmatum,ac celeritate præventum Pseudo-Mustafæ militem, terror incessit; ita ut primo pauci, mox

mox omnes quasi facto agmine, promissorum immemores, posito pudore ac deserto duce, diffugerent. Captus Pseudo-Mustafas, dum postremus de fugâ cogitat, & cum eo præcipui fraudis architecti, ac sub custodiâ statim Byzantiû missi, ubi diligenti ac severâ per exquisita tormenta quæstione habitâ, de occultis Baiazetis consiliis Solimanus cognoscit. Mersi omnes mari, intempestâ nocte Solimani iussu; minimè è re suâ iudicantis, horum quidquam in vulgus efferri: nè domestica vulnera sua, principibus finitimis retegerentur; interim Baiazeti facinus auso graviter succensentis. Quod uxorem eius, sagacem feminam, minimè latuit, quæ iniectâ rei apud maritum mentione, excusatâ adulescentiæ imprudentiâ, & collectis maiorum exemplis, primo delicto ignosci petiit; & impetravit, precibus, lacrimis, ac blanditiis, remollito sene plus iusto uxori obnoxio: ita ut ille filio parcere decreverit, veniret tantùm, & sua iussa præsens acciperet. Non deest officio mater, quæ per litteras occultè Baiazetem monet, ut quàmprimùm accersitus veniat; nihil fore periculi, nam patrem operâ suâ, omnem offensionem ex animo deposuisse. Baiazetes, etsi ad Mustafæ recens exemplum respectaret; tamen matris, à quâ se nõ mediocriter diligi sentiebat, fiduciâ fretus, ad locum colloquio destinatum accedit, haut longè ab urbe. Ibi ex equo descendenti, præstò adsunt patris famuli, qui gladium & pugionem ponere iubent; quod in aliis usitatum, in filio male conscio, timorem nõ mediocriter auxit: verùm præsentis matris, ex fenestellâ linteo obductâ, præter quam venienti transeundum erat, voce confirma-

firmatus, deposito metu coram patre se sistit, in genua procumbens. Hic Solimanus, postquam assidere eum iussit, crimen ipsius multis verbis exaggerat, qui fratrem, atque adeò parentem armis petere ausus esset: neque enim stetisse per ipsum, quò minùs religionis status convelleretur, & Othomannorum familia, per domesticas dissensiones, in extremum periculum adduceretur. Tamen statuisse ei parcere, dicit: tum multa de Dei providentiâ prolocutus, monet: ut deinde rerum futurarum curam relinqueret Deo, cuius arbitrio ac nutu regna transferuntur: nam si ita fatum sit, ut post mortem suam ipse regni potiatur, id ratum fore, neque in potestate cuiusquam esse, inevitabilem fatorum ordinem turbare: sin aliter Deo visum esset, insani esse, contra divinam voluntatem obniti. Proindè tumultuari desineret, neu fratrem quietum incesseret, neu senectuti paternæ olim molestus, canos suos ante diem veluti ad tumulum deduceret. Ad hæc Baiazethes, pauca pro tempore respondet, ut magis culpam deprecaretur, quàm purgaret, seque in potestate patris futurum in posterum pollicetur: statimque parens, iam sereniore vultu, poculū afferri iubet, ac filio porrigit. Baiazethes verò, qui vereretur, ne id sibi supremum esset, tamen recusare non ausus, quamvis maluisset, paulùm ex eo hausit, verum pater statim ex eodem poculo bibens, filium animi anxium hoc metu liberavit. Ita meliore fortunâ, quàm speraverat, cum patre congressus Baiazethes & in gratiam acceptus, ad præfecturam suam remittitur. Nec multo pòst Achomatis, qui post veri Mustafæ mortem Rustano ad leniern-

niendam facti invidiam, dignitate moto, principem locum in aula obtinebat, mors secuta est. Huic crimini data, occultum enim in Mustafam studium, & nuper in Pseudo-Mustafæ, ac Baiazetis consiliis deprehendendis negligentia: quamvis non aliam ob causam eum interfectum multi existimant, quàm ut vacuus ademptæ dignitatis locus, Rustano relinqueretur: nam promisisse Achomati Solimannum, sigillum suum ab eo, dum viveret, non ablaturum: cùm autem Roxolana uxor instaret, ut id Rustano restitueretur, ne quid fieret contra promissi fidem, morte eius mendacio occurrendum fuisse. Ac ferunt tum Solimanum dixisse, mitiùs cum eo agi videri, si semel, quàm si millies moreretur; quod futurum esset, si vivus indesinenter ereptæ dignitatis, & in alium translatæ mœrore, cruciaretur. Itaque, cùm manè in Divanum, is locus consilii est, horum omnium ignarus venisset, confestim affuit, qui ei Solimani nomine mortem denuntiaret; quo nuncio, quâ erat animi magnitudine, haut valdè commotus est: tantum carnificem à se removit, manibus pollutis attrectari non ferens. Cumque ad astantes circumtulisset oculos, nihil turbato vultu, unum ex iis amicum sibi rogavit, ut hoc sibi magni ac postremi muneris loco daret, ut eius manu necaretur; cui ille tandem exoratus morem gessit, nervoque adducto, & non unâ vice astricto, sed remisso, ut semel respirare adhûc posset, sic enim mandaverat, quasi se mori sentire vellet, suffocatus est. Homo latrociniis, & vitâ nefariè anteacta infamis; sed ob fortitudinis admirationem, & rei militaris peritiam, ad summos honores evectus.
Eâ

Ea mors variè accepta, ut cuique mens erat, maximè omnium Baiazetem perculit: sed benevolentiâ matris tutus, eum dolorem dissimulavit, & à perniciosis consiliis, quàm diù illa vixit, temperavit: quâ mox post biennium exstinctâ, illa resumsit, & novam tempestatem, quæ tandē in ejus caput recidit, magno suo malo excitavit, tunc enim quasi nullâ spe reliquâ, omnibus pietatis vinculis solutis, veteres simultates cum fratre acerbiùs quàm anteà exercere cepit; modò structis ex occulto vitæ eius insidiis, modo vi apertè intentatâ, sæpè incursatis eius provinciæ finibus; nam Selimus Magnesiam, Baiazethes Chiateam conterminas provincias obtinebat: & si quos deprehendere poterat ex fratris domesticis, malè multabat, denique nihil reliqui faciebat, quò eius existimationem, quandò vitæ nocere non poterat, minui arbitraretur. Res etiam novas per emissarios; homines, sibi addictos in urbe moliebatur: quibus de rebus à Selimo æmulo, pater diligenter monebatur; curam haberet suæ salutis; nam errare eum, nisi istas Baiazetis nefariorum consiliorum prolusiones, in caput suum versuras intelligeret. His rationibus accensus Solimanus, ad Baiazetem dat litteras, & eum officii commonefacit, ac memorem esse jubet, non fore semper veniæ locum: fratrem injuriis lacessere, sibi molestiam creare desinat, cui breve tempus vitæ supersit; quo exacto fore Deo curæ, quæ sit amborum fortuna. Quæ quāvis surdis auribus canerentur, tamen ille ad paterna jussa, non incommodè respondebat: sed facta dictis non conveniebant. Itaque cum nihil de suspecto consilio remittere Baiazetem videret,

ret, prudentissimus senex, aliâ sibi ratione agendum duxit; disjungendosque invicem fratres corporibus esse, quò animis inter se conjunctiores essent, quando viciniæ, quæ inter alias personas amorem conciliat, inter eos simultates exacerbaret. Selimum ergò Iconium, Baiazetem Amasiam infausto fraternæ necis omine damnatam, migrare jubet: & quamvis nihil fecerat Selimus, propter quod patri suspectus esse posset, ne tamen causa maturaretur Baiazeti descendendi ad extrema, si solus præfecturâ moveretur; ex æquo parens æquus filios habitos videri voluit. Selimus, qui sciret hæc in gratiam suam facta, mox paruit. Baiazetes contrà, qui opportuniorem ad res moliendas præfecturam, & urbi propinquiorem mallet, tergiversabatur: modo lamentabilem fraternæ næcis memoriam causatus, modò postulabat, ut sibi saltem in iis regionibus hibernare, bonâ cum ipsius gratiâ liceret, aut in eam, ex quâ Selimus decedebat, provinciam transire. Sed cùm in sententiâ perstaret Solimanus, & de præfecturâ mutari non posse responderet; Baiazetes moras nectens, patris voluntatem eludebat: non autem in milite legendo, & armando, pecuniâ cogendâ & apparatibus faciendis, qui ad sui defensionem, & fratris oppugnationem pertinerent, tempus sibi perire patiebatur: quæ quamvis non ignoraret infelix parens, tamen cùm sciret omnium gentium oculos, in hoc filiorum dissidium versos, leniter sibi agendum existimabat; ut, si fieri posset, citra sanguinem, minimo cum strepitu, hæ turbæ componerentur. Eo consilio missi Mehemetus ad Selimum, Pertaus ad Baiazetem, præcipui ex purpu-

purpuratis, cum mandatis, ut statim eorũ uterque in provinciam sibi attributam concederet; iisque negotium datum, ne à fratrum latere priùs digrederetur, quàm illi provincias suas attigissent; ac Pertao imprimis, ut interim Baiazetis consilia ac facta observaret. Mehemeti adventu lætus Selimus, morem patri non gravatè gessit. Contrà Baiazetes, qui alienum à rerum suarum rationibus duceret, affixum habere unũ ex fidis patris ministris, simulatâ in Amasianam provinciam profectione, Pertaum frustrà renitentem dimittit, præfatus velle se patrono eo apud patrem uti; cui & referre iubetur, semper præcipuam sibi futuram mandatorum ejus auctoritatem, si per fratrem liceat, cuius injurias, & non occultas insidias amplius tolerare vix queat. Ex hoc responso, cum satis Solimano de Baiazetis mente constaret, ille confestim Græciæ prætorem, quamvis podagrâ laborantem, cum equitatu, ad Selimum festinare, & ei subsidio esset jubet; moxque reversum Mehemetum, cum fidissimis prætorianorum in Asiam transire eâdem de causâ imperat, quos & ipse subsequi statuisse videri volebat. Sed reclamabant prætoriani, & inviti ad signa conveniebant, fraterna arma, ut sceleris ac piaculi plena, abominati: bellum hoc minimè necessarium dictitantes, quo proinde supersederi possit. Nam in quẽ ferrum stringerent? Baiazetem & ipsum imperii heredem, cujus conatus necessitate defenderetur. Hæc non occulta murmura, cùm ad Solimani aures pervenissent, ut erat relligioni deditus, summum sacrorum antistitem, Mophtim vulgò vocant, consulit; quo numero habendus
 sit,

ſit, qui ſe vivo pecunias & militem cogat, oppida expugnet, & imperii quietem turbet? item qui ejus caſtra ſequuntur, & talia molienti auxilio ſunt? item ii, qui contra talia patrantes, arma capere detrectant, & nihil eum peccare defendunt? Ad hæc Mophtis, eum hominem, & qui ei favent, & auxilio ſunt, quovis ſupplicio dignos; qui autem contra eum arma ferre recuſant, tanquam relligionis deſertores, pro inteſtabilibus habendos reſpondet. Quo relligioſo reſponſo, Solimanus relligione hactenùs retardatus, abundè dubitantibus, ſatisfactum ratus, id in publicum efferri jubet, & operâ præfecti cubiculariorum ad Baiazetem perferendum curat. Sub id tempus, unum è cubiculariis Baiazethes cepit, poſteaque in urbem dimiſit patri nunciaturum; cuncta ſibi cum eo pietatis officia conſtare; & cum nulla arma contra ipſum moverit, non recuſare, quin ei in omnibus dicto audiens ſit: cum fratre ſibi de vitâ ac dignitate certamen, cujus ferro aut ſibi neceſſario cadendum ſit, aut illi ſuo. Huic diſſidio finem imponere nunc decreviſſe: proindè orare eum, ne ſe certamini huic ſuo interponat, ſed arbitrium ejus Deo relinquat. Additæ minæ, à feroci juvene, & jam viribus ex multis locis ad ſe confluentibus ſuperbo, ſi pater mare traiiceret, ut ſuppetias Selimo fratri ferret: nam ſibi exploratum perfugium eſſe; ſed non prius ex Aſia abiturum, quam ferro & flammis eam totam quaſi alter Tamerlanes vaſtarit ac deſolaverit. Quid perfugii nomine intelligeret, nimirùm ad Perſam ingratum Turcici nominis hoſtem defectionem, non latebat Solimanum; quem tamen eo tempore,

pore, quò nondùm fratres ferro rem creverant, cum incertum esset, in quem victoria inclinaret, ea cura maximè angebat, ne Baiazetes in Syriam penetraret, & inde in Aegyptum vicinam descẽderet, apertam, nec satis in obsequio confirmatam. Ex quâ, si semel pedem in illâ poneret, eum ejicere magnæ molis negotium futurum erat, tam propinquis Arabibus ad omnem motum, undè spes prædæ esset, intentis, & traiectu ex eâ in quamcunque Christianæ ditionis oram expedito. In eâ cogitatione hærenti Solimano, affertur, Axuar oppidum, cui Selimus filius prætoris titulo præerat; à Baiazete captum esse, exactaq; ingenti pecuniâ, fœdum in modum direptum: eoque sibi magis maturandum ratus, ille Selimum jubet quamprimùm Iconium occupare, & fratris consilia celeritate antevertere, castrisque ante mœnia positis, ibi parentis auxilia manere. At Baiazethes, non ignarus, quantùm operis suscepisset, ad eas, quas jam habebat, novas vires cottidiè adjungebat, ac castra, porrectis in campis ad Ancyram metatus fuerat; urbem ad omnes commoditates maximè opportunam, & pellices cum liberis in arce deposuerat. Conveniebant ad eum, qui matris, qui sororis, quæ Rustano nupserat, beneficio eminebant, denique Mustafæ & Achomatis clientes, viri fortitudine, & armorum peritiâ insignes: multos sibi egregiâ oris præsentiâ, vultus comitate, liberalitate, opinione virtutis, ac suavitate morum, ipse conciliaverat; qui commiseratione indignæ fortunæ, movebantur, & indignabantur, cur pater talem hunc suam spirantem imaginem abdicaret, & ventricosum inertem, nihilque paternæ

Bbb 3 indo-

indolis referentem ei anteponeret. Nam nullam in armis culpam esse, quæ necessitate impellente sumantur. His copiis ita animatis, subnixus Baiazethes rectà ad fratrem ducit, paternis opibus, peritis armorum ducibus, machinarum æ-nearum ingenti numero, ac omni re ad bellum necessariâ instructum: cum quo tamen non dubitavit prælii aleã subire, adhortatus antè suos, ut pugnam fortiter capesserẽt, nec numero terrerentur? nam quos viderant paternos milites illinc corporibus stare, animis secum facere. Signis mox illatis, acriter utrinque certatur. Baiazethes ipse, diu inter primos versatus & à suis conspectus, nullum non strenui ducis ac militis munus obivit: tandem machinarum opportunis locis dispositarum fulmine dissipatis suis, & à majore numero obrutis, postquam magnâ pertinaciâ & incerto diù evẽtu pugnatum est, multique ex hostibus cecidère, receptui signum dare cogitur. Sed sensim se recepit, victoriâ fratri relictâ, ceterum insigni virtutis laude etiam ab hostibus reportata; palam dictitantibus meruisse eum, ut vinceret. Figmentum adstruunt superstitiosi Turci, è vicino veteris herois sui delubro, magnam ventorum vim exortam, quæ tantùm pulverem in ora militum Baiazethis tulerit, ut pænè lucis usu privarentur; & tanquam oculis capti hûc illûc, solutis ordinibus palantes facilè ab hostibus cæsi sint. Solimanus ubi de prælii eventu accepit, statim urbe exit, & mare transmittit; haut longè à littore discedens, ut tantùm è longinquo Selimi rebus adspiraret, quem Imperii heredem destinaverat: semper fidum & obsequentem expertus; cùm contra Baiaze-

iazethem, ut contumacem & imperio etiam se vivo inhiantem, aversaretur: quem & eo maiore odio prosequebatur, quòd ex illo quamvis adverso prælio, plùs admirationis ac gratiæ, apud omnes sibi conciliasset. Itaq; tânto ad eum perdendum incitatiore animo ferebatur, ne quod Selimo parenti acciderat, formidolosior, victus evaderet, quam integer nuper fecisset. Fama illius transitus, quam ad perterrefaciendos Baiazethis amicos valituram rebatur Solimanus, effecit; ut Baiazethes, qui patris contemto imperio dolori suo & juvenili cupiditati obsecutus fuerat, consilio depulsus, & itinere, quod affectaverat, desperato, jam non falsò se Amasiam cum suis reciperet: ibi quieturus, si pater permitteret, cujus iccirco per litteras & homines idoneos animum sedulo periclitabatur, si qua ratione eum placatũ habere posset. Nec se multùm à reconciliatione alienum ostendebat pater; adeò ut fama jam totis castris spargeretur, veniam datum iri ætatis infirmitati, & patri cũ filio tandem conventurum: quod summâ dissimulatione & artificio, ab ipso & à purpuratis fiebat, ut intercà Baiazethem eâ spe lactatum, veluti indagine clausum, in potestatem redigerent. Siquidem verebatur Solimanus, ne Thamus, sive Tecmases, qui tunc Persis imperabat, memor Elcasem fratrem ad se profectum, ac suis opibus sustentatum, pernicioso bello causam dedisse; parem gratiam referre vellet, & filium, si in eius regni fines semel penetrasset, non sine magna molitione sibi extorqueri pateretur. Ideo omnem operam dabat, ut antequam eò perveniret, opprimeretur. Sed nullâ diligentiâ, aut

custodiâ, cjus celeritatem antevertere quivit. Is enim, expedito comitatu, iter inauspicatum in Persiam ingressus est; abductis secum liberis u-nico excepto, quem recens editum, ac proinde insontem, cum matre, avi clementiæ permit[illegible] quàm ærumnosæ ac miserabilis fugæ com[illegible] assumere maluit. Vbi ergò de profectione filii pater cognovit, quod prȩter opinionem accidis-set, mirum in modum commotus est; pœnam capitis prȩtoribus, præfectis ac purpuratis interminatus, nisi vivum aut exstinctum sti[illegible] Itaque illi coniunctis viribus, quam citissime possunt vestigiis fugientis inhærent; con[illegible] ille tantá celeritate utebatur, ut advētus sui famam plerisque locis anteverteret. Ac Sebastopolita-no, quidem purpurato mirâ calliditate illu[illegible] nam cùm duæ viæ essent, quarum una interclu-sa, quam purpuratus ille insederat, magnam [illegible] neri eius remoram afferebat; misit quosdam specie transfugarum, qui indicarent, jam al[illegible] viâ Baiazethem prætergressum: quod dum im-prudenti probabile sit, angustiis quas tene[illegible] protinùs relictis, copias deducit; & dum vestigia quasi antecedentis persequitur, liber[illegible] tum à tergo reliquit. Erserumensi item [illegible] rato, pasti astu imposuit. Nam præ[illegible] salutem suo nomine nunciarent, seque pr[illegible] eodem venturum significarent; ut die[illegible] quot quiete equos apud ipsum reficere[illegible] iis calceandis compararet: ipse dum [illegible] tus sui, Purpuratum aliàs impara[illegible] & [illegible] benignè respondentem pasci[illegible] in[illegible] intermisso itinere, noctem diei co[illegible] & tandem trans imperii paterni fines e[illegible]

[illegible]

tamen secus de Erserumēsi interpretatus est Solimanus, quasi ille à filii partibus non alienus, eius fugam adiuvisset; ideoque præfecturâ motus, & posteà interfectus est à Selimo cum duobus filiis detestandum in modum prius constupratis Impetus primò fuit furenti patri, cum milite prætoriano & equitatu, quem habebat, accurrere, & bellum è longinquo Persis ostentare: sed furentem retinuêre suorum monita, quantum discriminis imperio impenderet, demonstrantium, si præcipiti audaciâ, Baiazetes, supra Pontum ac Meotidem paludem reflexo itinere, se in urbem retulisset, & servitia ac tirones rerum novarum cupidos, ad libertatem vocasset; præterea metum ab infido milite, spe prædæ ac stipendiorum incitato, ingerentium. Nam quacunque iter habuerat Baiazethes, hospitiorum postibus inscriptum reliquerat, se duplex stipendium militi, qui ad se transiisset, numeraturum. Quæ res suspectos ducibus milites reddebat. Turcis autem, qui Baiazethem insequebantur, in Persici Regni penetralia ingressis, occurrere à Persa satrapæ, qui non æquum eos facere ostenderent, quòd contra fœderis leges, extra suos limites armati excurrerent. Cùm Turci factum excusarent, neque hostili animo in alienos fines, sed ut imperatoris sui transfugam filium repeterent, ingressos se dicerent; excusatione minimè acceptâ, retrò pedem vertunt, spe à Persis factâ, regem suum de Baiazethe, quod se deceret, facturum, neque officio defuturum. Ita domum remissis Turcis, proxima Thami cura fuit, ut de Baiazethis fugæ causis, ac numero sociorum, quos secum adduxerat, cognosceret. Fraternas

insidias,&injustam patris iram obtendenti,sup
plicique sibi perfugium dari obsecranti; initi
responsum, parùm eum considerate fecisse, qu
ad se venerit,cui cum patre ipsius amicitiam in
tercedere sciret;iis legibus sancitam, ut eosden
hostes, & eosdem amicos haberent. Mox addi
tum,ut quando ita casus tulisset, accederet bo
nis avibus;dextram jungeret, & hospitale tect
subiret. Ita cum Thamo congressus infelicite
Baiazethes,nulla tamen infidæ aut alienæ men
tis indicia,primò deprehendere potuit:nam sp
facta,de reconciliatione cum parente; iniecta
adfinitatis mentio: promissa Orcam Baiazeti
filio,una de Thami filiabus, reque denuò Baia
zethi confirmata,non quieturum Persam,donc
Solimanus vel Mesopotamiæ, vel Babyloniæ
aut Erserumi præfecturam ei dedisset; in qua s
ne ullo fratris metu,longè à patre summotus,a
tatem agere queat:si quid durius ingruat, à te
go habiturus asyli loco soceri fidem, cujus præ
sidio ab omni casu tutus sit. Ex iis sermonibu
passim evulgatis,tantam fiduciam ceperat Bai
zethes,ut nihil inclementiùs de Thamo suspic
retur; & cum is oratorem ad Solimanum de re
conciliatione,sicuti jactabatur,Constantinopo
lim mitteret: per illum nunciari jubet, se quid
unum illic patrem amisisse,ceterum in Persia a
terum reperisse. Dum hæc fiunt,sive iam antè d
Baiazethe perdendo cogitaverat Thamus; siv
ex suspicione,quasi Baiazethes cum suis,hosp
talis fidei immemor, insidias sibi strueret: mu
tata voluntate,tunc demum de eo in potestater
redigendo consilium inivit. Patri virtute bellic
dispar Thamus,otio & inerti vitæ deditus, intr
regi

regiæ parietes clausus cum pellicibus consenescebat, desidiosis oblectamentis tempus terens, exigua interim juris inter suos administrandi, & reipublicæ cura. Eò fiebat, ut bellicosi iuvenis virtutem reformidaret, non solùm in præsens; sed etiam in posterum, si patri in imperio succederet: ac proindè vereretur, ne serpentem in sinu aleret; denique comitum ejus consilia suspecta haberet; nam auditæ fuerant eorum plenæ sceleris voces, hæreticum interficere, sic Persam vocabant, & imperium eius occupare, fas esse blaterantium. Rem vi tentari, periculosum videbatur: pugnacium siquidem hominum, & ad quodvis facinus ex desperatione promptorum delectam manum secum adduxerat Baiazethes. Itaque id astu confieri consultiùs existimatum est; in eamque rem sermo ex compacto iniicitur, nimis angustè eam multitudinem hospitari, nec suppetere tanto numero annonam: magis è re futurum, & ad copiam commeatus, & ad alias commoditates, si per loca circumiacentia distribueretur. Cui consilio, quamvis cordatis viris, & longiùs prospicientibus suspecto, refragari non potuit Baiazethes: quippè cui parendi necessitas incumberet, nec ulla spes aliundè reliqua in eo loco esset; ubi alieno nutu de lucro vivebatur, & de hospitis fide dubitare, confessæ perfidiæ imputari poterat. Ita socii omnes in diversa loca, haut unquam pòst illa inter se visuri deducuntur, in quibus captato tempore, paucis post diebus pauci à multis circumventi, interficiuntur. Eodemque ferè momento, Baiazethi inter sacra mensæ, & hospitales epulas, vincula indita; & ejus liberi custodia inclusi: tum multi

b... nūcius etiam à Thamo quæ... titulo, ad Solimanum venit, cum ... inter quæ erat formica Indica canis ... magnitudine, animal mordax ac fæ... ponium, velle omninò Solima... do id per fœderis leges debeat Persa, ... zethes vivus tradatur: ita postquam ... ice acceptus est, dimittitur orator. Cum ... tarcaur Persa, Solimanus se ad bellum com... parat, limitem Persis vicinum, præsidio valido ... nat, Mehemetum purpuratum, & Græciæ præ... fectum, cum prætorianis ad ea loca procedere jubet. Necnon & Georgiani sollicitantur, ut ar... ma ... ungant, & Hyrcaniæ reguli, qui quin... que ex Tamerlanis posteris superabant. Ipse A... lepum Syriæ urbem, quam Berrhæam fuisse au... tumant, venire decreverat; sed aversa militum voluntas, bellum ut funesti ominis detestantiū eum deterrebat: quippè multi à signis dilapsi & injussu ducis in urbem reversi fuerant: qu... qu... nvis revocati rediissent, hoc tamen facto testatum relinquebant, quo animo futuri essen... si quis casus aut mutatio incidisset. Cùm nul... ratione, filium vivum, à Thama extorquere po... set Solimanus; ultionem quippè tam graviter offensi hominis, si quà elaberetur, metuente, s... bi sequendum, quod proximum erat, judicavi... ut illic Thami permissu necaretur. Idque ab e... impetrari posse, spem faciebat, quòd cum ad ... scriberet, semper conquestus fuerat, quòd negl... genter de eâ re, per nuncios, ac litteras tantū ... egisse, de quâ ut semel transigi posset, opus e... ... viros optimates, ac præcipuæ auctoritati... ... ueret. Additis his verbis, non sibi nihil eu...

deb...

debere, qui Baiazethem retinuerit; magno sibi detrimento illius advētum fuisse, magnos sumptus factos, quorum rationem haberi æquum sit. Cùm igitur consultiùs censeret Solimanus, cum Persa pecuniâ pugnare, quàm hoc ætatis, periculoso ac minime necessario bello se involvere: missus Hassan Aga cubiculariorum princeps, (alii Solimani prægustatorem faciunt) à primis pueritiæ annis, cum Baiazethe educatus, qui captivum videret; ne fortè alius eius loco supponeretur, eique comes additur purpuratus Massariensis, ætate emeritâ clarus. Illi cum amplissimis mandatis, mediâ ferè hieme, ac difficillimo itinere, desideratis pluribus ex suis, Casuinum ad Thamum proficiscuntur: visoque Baiazethe, situ ac pædore carceris deformato, ut nisi capillo raso, agnosci non posset; convenit, ut postquam Thamo de detrimento, ac sumptibus ab ipso factis satisfactum esset, accepto præterea munere tantâ gratia digno, facultas esset Solimano interficiendi Baiazethis. Moxque eodem difficillimo itinere, ac tempore recurrit Hassan, & quid egerit hero suo renunciat: qui primus cum pecuniâ, ad quam damna & sumtus æstimati fuerant, ad Persiæ fines sub firmo præsidio deduci curat. Cum eo remissus Hassan, infortunati Baiazethis designatus carnifex; nam ne fraus interveniret, eum ut propriis manibus strangularet, mandaverat Solimanus. Hæc ubi autem præsentem ventum est, cùm rogaret Baiazethes, ut sibi ante mortem, videndorum filiorum & dividendorum inter eos novissimi amoris osculorum gratia fieret, non impetravit; sed iussus agere quod instaret, iniecta fidicula ne-

catur;& poſt eum quatuor eius filii,quos ſecun adduxerat,quorum corpora Sebaſtiam deporta ta ſunt,atque ibi more recepto ſepulta: nam mi nimus natu, avi juſſu, qui eum,cùm adhuc in certum eſſet, quem exitum ſortituræ eſſent Ba iazethis res, Pruſiæ educari imperaverat, miſſ ad id fido ſibi evnucho, exſtinctus eſt. Accid autem, ut is, cùm teneriore eſſet animo, ſibi c ianitorum numero, quendam animi, ad quo vis facinus obfirmati adſciſceret; cuius ope uteretur. Sed ianitor ille, quantumvis ferox, a conſpectum pueri, viſo laqueo arridentis, & pertis ulnis oſculum ferre geſtientis, ita com motus eſt; ut ſtatim anima linquente concid rit; moramque admiratus evnuchus, qui fo adſtabat,cùm ſe intuliſſet,& hominem in pa mento jacentem offendiſſet, ipſe officio, qu tantopere averſabatur, functus eſt, & propr manibus infantis animulam eliſit. Multum t buunt prædeſtinationi Turci, qui res quocun conſilio inſtitutas, ſi feliciter cadant, ad Deu auctorem referunt. Iccircò non miſericordia poti, eò usque pepercerat Solimanus; ſed qu exſpectandum duceret, quorſum Baiazethis nata evaderent: ne ſi poſtmodùm res meliùs v tiſſent, Dei voluntati obniti voluiſſe videret nunc autem illo divinæ ſententiæ præjudi veluti exſtincto, nihil cauſæ eſſe putabat, cu lio parceretur, in quo indè paternæ culpæ e plum, hinc necis ultio metuebatur. Hic exi turbidorum Baiazethis conſiliorum fuit, eo tiùs in exitium præcipitati, quo magis vitat cupiebat. Ex quo apparuit, quàm non ſolùm ſario, ſed inauſpicato conſilio & exemplo,

xola

xolana, dum suis imperium parat, privigno necem maturaverit; cùm mox occultâ justi numinis ultione, capitale odium inter fratres, sublato utriusque æmulo exarserit: cujus hæc finis fuit, ut pater semel fundendo suorum sanguini assuetus, porrò in eos sævire non dubitaverit, & illum ipsum, quem mater alteri prælatum maluisset, interfecerit. Sed quantò felicior mater fuit, quæ antequam vitâ excederet, certam spem translati in suos imperii vidit, nec Baiazethis, quem tantoperè diligebat, necem morte prævenia eluxit; tanto infelicior pater censendus est, cui longa vita hanc pœnam dederit, ut duorum egregiæ indolis, ac magnæ spei filiorum, tòtq; præterea nepotum cruore, quo uxori satisfaceret, & imperium tueretur, manus commaculare coactus sit; nec aliam domi, ac foris tranquillitatis constituendæ, quàm per suorum cædes, rationem repererit. *Historia hac, recensetur etiam a Iusto Lipsio 2. Monit. cap. 5. Natal. Comite hist. lib. 7 Aubignè; del' hist universell. lib. 1. cap. 14 Busbequio in Itinerario. Reinecc. in app. ad Haython.*

Summarium rerum gestarum Solimanni. I.

Bella Christianorum promovent, & excitant Solimanni conatus. 2.

Gallorum Fœdera cum Turcis, contra Hispanos. 2.

Galli, Iohanni Vngariæ Regi, Turciarum clienti favent, contra Ferdinandum Austrium. 3.

Sine concordiâ Christianorum, Turcis frustrà inferri bellum. 3.

Lascus Polonus, auctor fuit, Vaivodæ, ut Solimanni auxilium implorârit. 4.

Belgradi occupatio, Thracum perfidiâ procuratur; sed â Turcis contra fidem datam, ipsi perfidiæ auctores trucidantur. 5.

Rho

Ru

[illegible]*a bella inter Selimum & Bajazethem, Rossa filios* [illegible]
[illegible]*a Bajazethi necem violentam procurârunt. 18.*
[illegible]*nus Roxolanæ gener, & fisci procurator. 18.*
[illegible]*pha suppositititius prodit. 18.*
[illegible]*manus cuncta Divinæ providentiæ adscribit. 18.*

Selimus II.

A. C. 1566.

SOlymanno successit filius Selymus, ejus nominis secũdus. Hic pace octen[illegible], cùm Maximiliano Imp. sancitâ, Cy[illegible]rum Venetis ademit: qui tamen sequen[illegible] Anno, Rom. Pontificis & Hispani so[illegible]cietate adjuti, victoriam navalem de Tur[illegible]cis memorabilem reportârunt.

2. Selymus nuncio de patris morte, Chiefte[illegible] loco trium dierum itinere Constantinopoli [illegible]ante, accepto; cùm omnia ad ingressum re[illegible]m necessària, per Scander Bassam, guberna[illegible]m & locum tenentem Solymanni, præpara[illegible] jussisset, Constantinopolim ingreditur: atque per Bostangi Bassam, horrulanorum atque pala[illegible] Regii præfectum, in cubiculum ab antiquo [illegible] bus Constantinopolitanis designatum, at[illegible]que preciosissimis gemmis ornatum, introduci[illegible], inque solio regali, soli Ottomannorum sedi [illegible]nato, imponitur. Eo facto, per totam urbẽ [illegible]lamationem (ut vocant) hujus tenoris pu[illegible]ar. Salutarem Paradysum teneat, & in perpe[illegible]oriâ, anima Sultani Solymanni quiescat; [illegible]multos annos vivat, inque continuo incre[illegible]to prosperi status maneat, rex Sultanus Selymus.

lymus. Ac nulla morâ interpositâ, ea proclamatio per totum Imperium Turcicum mittitur: ita ut non priùs mors Solymanni, quàm coronatio Selymi cognita fuerit. Die insequenti, ex Palatio progressus, per civitatem se ostentat populo, iter conferens ad sepulturam Giobi, qui est locus mœnibus annexus, ubi Reges & magni proceres, sacra, immolatione castratorum, aliorumque animalium, facere consuevêre: quæ postea pauperibus, in remunerationem gratiæ à Deo collatæ, distribuuntur, ac magnâ pecuniæ summâ datâ, precibusque factis, ingenti pompâ & plausu in palatium revertitur. Antequam autem hæc peragerentur, gubernator Scandes Bassa, gener Selymi, quò socer tantò tutiùs, quietiùs atque tranquilliùs, throni Solymanni patris possessionem adipisceretur, omnes Ianitscharos quotquot ibi in præsidiis fuerant, in oppidum duobus miliaribus Constantinopoli dissitum sub hoc prætextu educit; quasi 10000. Ianitscharorum, in expugnatione Zigethi amissis, ipso stipendio soluto, illic missurus sit. Quâ spe illi suspensis, ac promissioni factæ acquiescentibus interim Scander Bassa, Solymanni morte Constantinopoli publicatâ, socerum in thronum patris collocari curat. Atque deindè statim ad Ianitscharos proficiscens, ipsis Solymanni mort[e] indicatâ, militiam Hungaricam renunciat: cu[m] significatione, quandoquidem Selymus ejus f[i]lius, tanquam legitimus Imperii successor, Co[n]stantinopolim appulsus, possessionem regni o[c]cupârit, se habere in mandatis, ut ipsis 10000 ducatorum, pro visitata thesauri regii in obit[u] Imp. Ottomannici direptione solvat, eosque a[u]-

ctor

ctoratos, novo stipendio cōducat. Iis itaque ob-
lata acceptantibus, hac tamen inter cætera con-
ditione, ut militantibus stipendii accessio fieret,
& equitandi usus Constantinopoli Christianis
interdiceretur. Scander Bassa, re benè gesta, ad
Cæsarum revertitur. Is ergò Ianitscharis sibi sa-
cramento obligatis, Constantinopoli discedens,
magnis itineribus, ita ut nullibi moram trahe-
ret, Belgradum contendit. Die quo cadaver Bel-
grado inferri debebat, Selymus equo descēdens
mortuum patrem luget, & cum ipso statim o-
mnes Bassæ & Cadilischieri, (Iudices, seu Iusti-
tiæ administratores) aliique proceres, pileolis
capiti impositis. Posthæc judices constituit, &
Ianitscharis solitum donativum donat; ac ca-
daver patris, Constantinopolim, in Mausoleum
(quod ipse vivus longè splendidissimum sibi
construxerat) deduci ordinat: mandans, ut id sa-
tis valida Ianitscharorum custodia, & aliis di-
gnitate conspicuis viris, atque vexillo regio, co-
mitentur; ipse verò, cum reliquo exercitu, Bel-
gradi remanens, commodum abeundi tempus
exspectavit. *Nicol. Honiger. in Aulâ Turc. part. 2. lib. 2. &
pr. Natal. Comes. lib. 17.*

5. An. Chr. 1568. pax octavo quoque anno
renovāda, inter Maximilianum Augustum, Sul-
tanumq; Selimem coiit. Ejus quùm aliæ leges,
& conditiones erant, tum uti quisque sibi reti-
neret, quidquid eo bello cepisset. Id verò pluri-
mùm Maximiliani rebus profuit. Nam fines
suos, opera Suendii sic ampliârat, ut ad LX. mil-
liaria Germanica, cis & ultra Tibiscum, latè do-
minaretur: qua quidem in regione multæ sunt
arces, multæ munitiones insignes, partim ab ho-
ste ca-

ſte captæ, partim factæ diligentia Suendii, partim inchoatæ. Leunclav. *in ſupplem. Annal.*

4. Anno Chriſti, 1570. Nicoſia, Metropolis Cypri, à Purpurato Muſtapha, numeratis in exercitu eius ad centum millia capitibus, obſideretur: oppugnatur acriter; fortiter quoque defenditur: Vi denique expugnatur, & virtute Pretorianorum diripitur, nulla annonæ aut bellici apparatus copia deficiente: nullum genus crudelitatis, avaritiæ, ac libidinis in virorum, matronarum, virginum ac puerorum corpora, prætermiſſum eſt. Anno ſubſequēti FAMAGVSTA maximum Cypri Emporium, integrum annum obſidetur; vario fortitudinis ac fortunæ experimento. Deditur Purpurato Muſtaphæ TARDITATE AVXILIORVM; deficiente annona & pulvere. Bragadino urbis Præfecto, mutilatæ ſunt aures & nares. Suſpendebatur vinctus ad ſummam antennam: vivo denique immani carnificinâ pellis eſt detracta. *Doraavius.* Anno præcedenti, nempè 1569. Splendidiſſimum & inſtructiſſimum Venetiis navale, ſub medium mēſem Septembrem, accenſo tormentario pulvere, maximo cum reipublicæ detrimento conflagravit. Ibidem tam in urbe, quàm terra continente, diuturna & inuſitata quædam erat annonæ caritas. Quamobrem Sultanus Selimes, licet initio regni, pacem, à Soleimane patre cum Venetis initam, confirmaſſet; tamen vel ambitione propria, vel ſuorum impulſu, vel hoc Venetorū adverſo caſu permotus, bellum eis inferre ſtatuit: quæſito prætextu, quaſi Cyprum nullo jure poſſiderent, quæ ob ſucceſſionem gentis Osmanidarum in jura Sultanorum Aegypti, ad ſe

diuc-

directò pertineret. Licet enim Selimes avus & Solimanes pater, annui tributi, quod à Venetis eius regni nomine pendebatur, solutione contenti, possessionem insulæ, Venetis hactenùs reliquissent: nullum tamen hoc sibi gignere præiudicium posse dicebat, quo minus jam tributo repudiato, regnum sui juris occuparet, ac sibi retineret. Ius autem Aegypti Sultanorum, exinde descendit. Anno Christi 1423. bellum erat Iano, Petri filio, regi Cyprio, qui penultimus fuit inter legitimos reges, ex Lusignanâ familiâ, cũ Aegyptio, sive Cairensi Sultano Nelechella: quo bello captus ab hoste Cyprius, persolutis CXV CIϽ. Seraphinorum, in regnum cum pacto tributi annui restituitur. Is moriens, filium Ioannem reliquit impuberem; cui primo matrimonio, postquam adolevisset, filia Marchionis [illegible] Montisferratensis, nupsit: quâ mortuâ, Helenam Palæologam duxit. Ex eâ, nata fuit unica filia Karulota, quæ Iohanni Lusitano primùm nupsit, cui præbitum venenum mortem adtulit. Erat Karulotæ Iacobus frater, illegitimo toro natus, cui sacris initiato, pater archiepiscopatũ Nicosianum adsignârat. Is imperandi libidine ductus, ecclesiastica dignitate spretâ, regnum invadit: a quo tempore dictus à Græcis Cypriis fuit Rezages; adpellatione partim Italicâ, partim Gallicâ. Namque Italis, Rè, Rex; Gallis Iaques, Iacobus est. Karulota secundas nuptias cũ Ludovic. Sabaudi Ducis filio, contrahit. Is classem instruens, in Cyprum cum Karulotâ conjuge proficiscitur. Redeunte legitimâ regis defuncti filiâ, justaque regni herede Iacobus nothus regno pellitur. Erectus ad Sultanum Aegypti

Syriæ-

Syriæque confugit, Alesseraphum; & opem eju ad recuperandum regnum implorat. Adsensu postulatis Iacobi, Sultanus; eum pulso vicissim cum Karulota Sabaudo, in regnum reducit: & nomine restitutionis hujus ac beneficii, tribut non invito imperat. Id tributum, ex mercibu quotannis Sultano solvendis constabat; certo mercium genere, specierumpue numero expres so. Necdum id temporis uxorem Iacobus duxe rat. Itaq; Venetias profectus, Catherinam Cor naram, priùs a Senatu adoptatam, constitutâ d publico dote, matrimonio sibi copulat: ut ho adfinitatis Venetæ vinculo, potentissimæ ma reipublicæ præsidio, se, regnumque suum stabi liret. Nec multò pòst, relictâ coniuge pregnante moritur. Contigit hoc anno Christi 1470. Extincto rege, posthumum regina marem parit; qu tamen non diu superstes fuit. Tum verò Veneti viduæ persuadent, ut regno cederet, cui defendendo par ipsa non esset: annuoque reditu, 4 aut 5. millium Zecchinorum contenta, patrian immortali beneficio sibi devinciret. Hoc mod redactâ in potestatem insulâ, nihilominùs Ve neti Sultano Aegyptio, tributi eius nomine quod Iacobus rex illi pollicitus fuerat, merce in pactis conventis expressas, quotannis mitte bant. Donec A.C. 1517. Sultano & Mamelucis à Sultano Selime (eius nominis primo) deletis, & Aegypto Syriaque subjugatis conversum à Selime victore, Mamelucorumque successore, tributum hoc fuit certum in pretium; videlicet VIIICIↃ. Zecchinorum: quos Cypri nomine, Sultanis Turcicis, ex eo tempore Veneti persolverunt: quo non obstante, à Selime II. Cyprum sibi,

sibi, ceu domino directo, repetente, bellum, de quo nunc agimus, indictum Venetis fuit. Leunclav. *supplem. Annal. Turcicor.* Eâ de re, ita Natalis Comes, *hist. libr. 20.* Non solùm rumor invalescebat, Byzantii ubi classis instruebatur, Cyprum Venetis extorquendum esse; quare patres perpetuis sumptibus affligebantur instruendæ classis, & colligendarum copiarum: verùm etiam non parùm vexabantur curis; quod intelligerēt, purpuratorum quoque animos, ad illam expeditionem aspirare. Confirmabatur autem, Purpuratorum spes, crudelitate & impudentiâ Cypriorum quorundam nobilium; qui ad crudelissimæ tyrannidis modum, eius insulæ homines tractabant: cùm scirent Turcæ, & jam sæpè experti essent, nihil tantoperè conferre ad facilitatem capiendorum regnorum, quàm principum & primariorum, & omnino adversariorum dissidia, & contentiones, has verò esse ibi necessariò, ubi pro legibus avaritia, iniquitas, crudelitas dominetur. Nam tam oppressi tenebantur à nobilibus Cypriis, infimæ conditionis homines, qui Parici ab iis vocabantur, ut matrimonia, & educationes filiorum, & cætera omnia munia privatorū, pro nobilium nutu & arbitrio facere cogerentur; nihilque esset misellæ turbę proprium: quippè qui neque facultatum, neque libertatis, vel vitæ, vel honoris filiarum, vel propinquarum essent arbitri. Petiverunt Parici à Venetis magistratibus, ut manumitterentur, petitionisque rationes addebant, quòd nimis iniquum & crudele videretur, Christianos esse Christianorū mancipia: cùm Christus esset idem omnium pater, cuius non imitatores esse profitemur. Rogant,
ut

uti tantarum ærumnarum mole oppressorum, misereantur. Docent, è concordia Cypriorum, maximè pendere insulæ conservationem: quæ certè nulla esse possit, inter dominos & servos, inter opulentissimos & mendicos, inter subditos & tyrannos. Policentur in omnem opportunitatem summam alacritatem, ad eius regni defensionem: cùm arma fortiter essent laturi contra quosvis hostes; ut qui vitam, patriam, lares, dignitatem, facultates, uxores, filios, libertatem, rerum omnium dulcissimam, & omnia prorsùs bona, recuperassent per Venetam clementiam, atque æquitatem, vel dono accepissent, (nam Cyprii, cum prædiis, Paricos quoque emebant, ac vendebant.) Nullam ætatem, tantum beneficium oblivioni mandaturam, aut tantam benignitatem deleturam, per quam posteri liberi nascerentur, aut facultates per industriam partas possiderent; quæ alioquin crudelissimis & avarissimis dominis debebantur. Hisce rationibus commoti sunt patres, cæperuntque cogitare, de Paricis miseriâ sublevandis, & illâ tyrannide exterminandâ. Sed hoc non facilè fieri poterat: quamvis ægrè ferrent, & sæpius uti mitiorem in modum tractarentur, actum esset. Sed alii contradicebant, qui nobilium partes tuebantur; qui asserebant, periculosum esse, privilegia & ritus Cypriorum nobilium antiquare, insani prorsùs, & furiosi generis hominum: cùm præsertim ubique nationes, quæ sunt in finibus imperiorum, obsequio sint retinendæ, ac non injuriis irritandæ, ne facile cum hostibus conspirent. Nam tametsi plurimùm differt Turcarum finitimorum religio, à Christianis ritibus: Cypriorum tamē,

cum

sum neque Christianam, neque Turcicam, credulitatem, verè, sincereque plerique complecterentur, facilè poterant cum quibusvis conveniri. Cæterùm purpurati, qui ad hoc regnum occupandum aspirabant, primùm ad insidias & fraudes animum adjecerunt: quia non verebantur, se ab Imperatore castigatum iri, si aliena per fraudes occupâssent; sed etiam insignem laudem consecuturos. Via autem insidiarum, ut tutior, ita facilior apparebat: quia si ita capta fuisset aliqua urbs Cypria, propter vicinitatem loci, & commoditatem auxiliorum, facillimum erat, non modò illam conservare, sed etiam occupare cæteras; præsertim tantis odiis, tantisque diffidiis inter Cyprios invalescentibus. Visum est autem hoc negotium, non pessimè agi posse per Diassorinum, hominem Cyprium; qui tractandis tantis negotiis, non ineptus apparebat. Erat enim Diassorinus vir callidissimus, inter aulicos principum sæpè versatus, & plurimùm autoritate præstans inter Cyprios. Ad hanc Scander, superioris Mysiæ despotes, sive præfectus, literas humanitatis plenas dedit; cum quo & iniit, & exercuit amicitiam, paulatim multis utrinq; missis, & acceptis muneribus. Cæptum est agitari post modò inter hos, de negotio proditionis, cum Diassorinus, ingentibus pollicitationibus sollicitaretur, quem Scander ad plurimum autoritatis & existimationis se provecturum promittebat. Scribebantur literæ ad Despotem per omnes, quæ se offerebant, opportunitates; aut cùm quis accederet Byzantium: quæ partim Græco idiomate constabant, partim secretioribus notis. Sed cùm propter munera despotæ,

tia populorum, & ſubditorum benevolentia, & unanimis omnium, ad mutuam defenſionem conſpiratio. Oportebat ſanè Paricis donari libertatem, quo meliori conditione in patriâ eſſent, quàm captivi apud hoſtes, ut haberent aliquid pro quo pugnarent. Sed cum non minùs domi, quàm foris ut eſſent oppreſſi contingeret, quid opus erat illâ pugnâ, cujus omninò præmium utrinque eſſet captivitas? Erat prætereà timendum Cypriis, ne totidem hoſtes haberent in inſula, & intra mœnia: cùm eſſent circiter quinquaginta millia Paricorum, qui poterant cum Turcis conſpirare, atque ab iis conſequi, ut pro victoriâ manumitterentur. Addit & hoc Natalis: Cyprus habet duodecim urbes, pagos autem circiter mille, & multa caſalia: eſt enim Cyprus inſula perampla, quippè quæ habeat longitudinem, & quinque ducentorum & quinquaginta milliariorum: latitudo tamen amplior extenditur, ac dilatatur in ſexaginta & quinque: ambitus univerſus quingenta & quinquaginta continet milliaria. Diſtat autem Ciliciâ, quam reſpicit ad ſeptentrionem, ſexaginta millibus paſſuum, ab Oriente Syriam reſpicit, diſtantem circiter centum milliaria: ad meridiē habet Aegyptum & Alexandriam diſtantem ad trecenta milliaria; quanto ſpatio, diſtat ab alterâ parte, à Rhodo inſulâ. Sita eſt autem in ea regione ut polus illi extollatur triginta & quinq; gradus, ſupra horizontem; eſtq; optimorum vinorum mater, ubi naſcitur etiam ſaccarum, atq; omnia quæ ibi feruntur, feliciſſimè proveniunt, propter terræ fertilitatem ac bonitatem. Inſulani dicti ſunt accedere ad centum & octingenta

millia; quorum, dimidium est eorum, qui ab iis Francomatti dicuntur, qui sunt liberi agrestes. Quinquaginta sunt Paricorum millia, reliqua multitudo est urbana. Historiam autem Cyprii belli, latè describūt, Petrus Bizarus, *libro singulari.* F. Stephanus, de Lusignan, *en la description de l' Isle de Cypre.* Thuanus, *lib. hist. 49.* Aubigne, *lib. 5. cap. 29. & tomo 2. lib. 1. cap. 16.* Natalis Comes, *lib. 21. & seq.* qui item *fol. 467.* hæcce habet. Sed ne desidiâ, aut oblivione præteritarum calamitatum residerent animi mortalium; cognoscerentq; hæc divinitùs contingere, converterentur ad placandum numen per probitatem & vitæ meliorem informationē; multa horrenda prodigia variis in locis sese ostentarunt mortalibus, ad expectationemque excitarunt futurarum calamitatum: nam sanè omnium imminentium malorum ruinæ, priùs divinitùs significantur: neque temerè prodigia evenire, putandum est. Et ita tùm tacta fuit de cœlo arx Romæ, & palatium Divi Petri, cum maximo Pontificis & omnium ibi habitantium terrore. Concussa est magna pars Italiæ, motu terræ. Ferrariæ præsertim graviter commota est septies, parvo intervallo interiecto: subsecuti sunt alii motus, per quos multæ domus, cum magno fragore corruerunt. Ante hunc, factus est hiatus terræ, & aer obscuratus, & maxima vis turbinis; intra horæ spatium rediit serenitas: juxta lunam stella crinita apparuit, deinde cœlum ita fit obscurum, ut nihil proximum cerni posset. Tunc facti sunt alii terræ motus: multæ ædes, & sacra & magnifica ædificia, corruerunt: quare necesse fuit Duci Ferrariensi, cum uxore sibi tentoria erigere sub dio in pomeriis ad vitæ conser-

conservationem: cùm fœminæ passim discurrentes, ac eiulantes, extremum mundi diem adventasse crederent: intra quadraginta horarum spatium centum & quinquaginta motus terræ facti sunt. Neque Florentia caruit suo terrore & damno, cùm paulò antè, templum celeberrimũ Beatæ Virginis, ita fuisset de cœlo tactum, ut vix credi posset, quanta vi magna eius pars fuerit disrupta: neque minori tamen calamitate affecta est, cùm Arnus fluvius, cum Tiberi Romano conspirasset, ad suæ urbis uterque inundationem. Nam ita ambo excreverunt, ut magna pars Romæ & Florentiæ, lateret sub aquis: quæ stagnabant ubique Florentiæ, pontes vi rapidarum turbulentarumque aquarum sunt deiecti: domus multæ effossæ corruerunt, quod ipsum accidit etiam Pisis: præclarè igitur Aloysius Luisinus, medicus Foroiuliensis, ad tot miserias, alludens, scripsit;

Diluvium, terræ motus, contagia passim,
Bella, fames, mundi quid reliquum exitio est?
Ignis, & ipse prope est. Vndè hac? ex arce tonantis.
Tot mala quid mundo congerit? Impietas.
Anne salutis adhuc spes ulla est unica. Quis nam
Porriget hanc? pietas, hac ubi? nullus habet.
Quid stas munde? rue, ut pietas est nulla. ruentem
Iam video: auxilium numina læsa negant.

Nam eò excreverat hominum malitia per hoc

tempus, ut perfidiæ, avaritiæ, crudelitatis & mutuarum insidiarum, tum privatim tum etiam publicè magnitudo, ad summum pervenisse appareret: cùm doli, fraudes, fallaciæ, non parva laus haberentur, tanquam eximiarum virtutum decore scelestissimi insignirentur. Neque tamen Italia tantùm prodigiis, & minis Dei terrebatur; sed etiam aliæ mundi partes, significationes irati numinis ob improbitatem mortalium persenserunt; revocantis ad integritatem innocentiam. Quoniam in Wasilia Britanniæ regione, in occiduâ Cambriâ non procul à parvo foro (id est oppidi nomen) in principatu Herofordiensi, magnum spatium terræ, unà cum arboribus & stabulis, & ædificiis, vi ventorum, cū horribili mugitu translatum est, circiter quadringentos passus, atque ibi consedit: eius spatii altitudo, erat ferè quadringenta pedum, longitudo mille & trecentorum, latitudo mille & trecentorum; ut à plerisque traditum est. In Caphā urbe, Theodosiâ olim, Chersonesi coloniâ Genuensium, tres soles visi sunt, ad tertiam usque horam diei: quorum cùm duo pòst recessissent, alter ad occasum, alter ad ortum, supra hos candidus arcus apparuit: post biduum prima vigiliâ, Crux candida visa est, cum stellā quadam & lunâ; quæ Crux, ad diem usque immota perduravit. In Batavis Belgarum, & Scandinavia & Busateris, inferioribusque illis regionibus, tanta facta est inundatio; ut multa millia mortaliū necata fuerint, & pagi plures demersi. Nam cùm noctu repente per eximiam obscuritatem illud occidisset, pauci periculum devitare potuerunt.

5. Erat initio belli Cyprii, defendendæ contra

Turcorum vim, reipublicæ Christianæ causâ, percussum fœdus; inter Pium V. Pontificem maximum, Philippum regem Hispaniarum, & Senatum Venetum. Ejus fœderis copiarum omniū designatus fuit imperator, Ioan. Austrius, Karuli Augusti filius naturalis Pontifex suis triremibus, Marcum Antonium Columnam, Ducem Talliacoccianum, nobilitatis Romanæ principem, præfecit. Veneti amplissimæ, quam instruxerant, classis imperium Sebastiano Venerio, quem postea Ducem quoque suum creârunt, commisere. Hec classis, quùm mense Septembri, Messanâ Siciliæ solvisset, hostilesque navales copias ad Inebechtim subsistere (sic Turci nominant civitatem, quam nostri Lepantum adpellant, veteres dixêre Naupactum) nuntiatum esset: tandem ad portum insulæ Cephalleniæ, adpulit. Stabat haud procul à nostris, in Inebechtino sinu, qui Corinthius olim nuncupabatur, classis hostium: cui cum imperio præerant, Pertavus bassa, copiarum terrestrium, & Alis bassa sociorum navalium dux supremus. Inter hos, cognito Christianæ classis adventu, sententiarum diversitas exstitit. Pertavus abstinendum judicabat à prælio, quòd conjuncta jam Christianorū classis, unius imperio ducis regeretur: exspectandum esse per exiguum ad tempus, quo futurum sit, ut, illo præsertim anni tempore, solvatur. Ali è contrario sentiebat, omninò dimicandum. A Pertavo stabant rei navalis peritissimi veteranique duces. Sed contraria sententia tandem vicit: Vluzali jubente in medium proferri, & recitari mandatum Sultani Selimis; quo victoriā ut persequerentur, eis injuugebatur. Omnium

ergò sententiis decretum prælium, quod non minori animorum alacritate, nostris etiam expetentibus, commissum fuit ad tres exiguas insulas, vel marinos potiùs scopulos, quos Cuzolaros hodiè vocant. Periit occisus Alis bassa. Pertavus animadverso præsenti suorum interitu, nō magno navigio fugiens, ad terram evasit. Vluzalis mari profugit, cum 30. plus minusve triremibus. Cæsa fuerunt hostium ad XXV CIↃ. capta IIII CIↃ. Classis, hostibus universa, cum spoliis immensis, Christianorum in potestatem venit, iis duntaxat exceptis triremibus, ac navigiis, cum quibus Vluzalim evasisse diximus. Liberata Christiana mancipia supra XIIII CIↃ. Pugnatum die VII. mensis Octobris, A. C. 1572. *Leunclav. in supplem. annal.* Et hæc est ista Naumachia, quæ ab Augusti Imperatoris tempore, in isto mari mediterraneo, major & celerior non fuit: & fortè si quis diligenter omnes circumstantias hujus pugnæ consideret, fatebitur, nullo unquam sæculo se similem factū legisse. Hâc enim unâ victoriâ, Imperatoris Turcici potentia concidit, & V. horarum spatio, à Christianis potentissima classis, qualem nunquam Constantinopolis instruxit, aut cui similis nullo unquā sæculo illius portu educta est: partim capta, & dispersa, partim in fugam conversa: & egregio exemplo comprobatum est; Turcas, si Christianis invicem conveniret, vinci posse. *Pareus H stor Profan. Medull. fol. 1113.* Habet eandem Historiam etiam Natal. Comes, *lib. 22.* Qui post alia scribit: Vbi Turcica navigia sunt in potestatem Christianorum redacta, omnes ad spolia & prædam accurrunt; non pauci cæsi sunt, cùm deorsū de-

scend-

ſcenderent à latentibus Turcis: multæ ortæ ſunt inter Italos & Hiſpanos, de præda controverſiæ. Nam cùm nulla re inferior virtus Itala fuiſſet Hiſpanâ, pugnando & ſubjugando hoſte, nitebantur Itali ne eſſe inferiores viderentur acquirendis & diripiendis ſpoliis, ac reportandis inſignibus victoriæ. Venerius è veſtigio poſt certam cognitam victoriam, literas gratulationis plenas, exarat ad ſenatum de felicibus ſucceſſibus: quas dat Onufrio Iuſtiniano trierarcho: deindè accedit ad Auſtriacum; primùm gratias Deo agunt, deindè mutuis utuntur gratulationibus & complexibus, omniſque prioris diffidii memoria obliteratur. Duces claſſium, hanc victoriam in concione Deo acceptam referunt; & milites Dei miniſtros laudant, gratiasq; agunt pro virtute, quâ uſi ſunt in tam formidabili certamine: conſolantur mœſtos, cæde affinium & amicorum: poſtea ad vulneratos ſublevandos omni diligentia ſtudium convertitur. Deſiderata ſunt circiter tredecim millia Chriſtianorũ, qui fortiter pugnando ceciderũt. Vulnerati ſunt circiter octo millia; & ipſe Auſtriacus, quamvis levi vulnere. Inter captivos inſigniores erant, Seinus & Malemetus Alis filii, Malmetus præfectus Eubææ, & Sirochus, cum uxore, muliere venuſtiſſima. Captæ ſunt triremes centum & ſeptendecim, ac varii generis navigia complura. Idcirco quidam non inſulsè ut mihi quidem viſus eſt alludens ad belli magnitudinem, ita cecinit;

Quis furor hic? ardet ne fretum? tot fulmina cælo
An ne cadunt? dormit Iupiter, an vigilat?

An magis insanus movit temeraria bella
Aequoreo fratri, cærules que Deus?
Sic Neptunus ait, tumidâ emersurus ab undâ;
Sed non invenit quod fuit ante fretum.
Cærula navigiis velantur tergora ponti:
Et mare, Cæruleum quod fuit antè, rubet.
Fragmina remorum, tabulas, mortalia membra
Hûc illûc crebro fulmine pulsa videt.
Ambigit an vigilet vel somniet; arma ferocis
Vt novit Martis, quid tibi quæris ait?
Quisve homicida tibi imperium concessit in undas?
Cui Mars; Europa litus id, hoc Asia.
De utroque imperio pugnatur: præmia bello
Nimirùm magno grandia proposita.

Egregia virtus enituit inter ceteros Venetos proceres, Francisci Boni trierarchæ; qui tantâ animi magnitudine certavit, ut inter confertissimos hostes, cum lectissimâ triremе, irrumpere non dubitârit: atque cùm vulnus in faciem è glande plumbeâ accepisset, sanguinem angulo vexilli siccavit, neque vel tantillum eo vulnere à fortitudine est retardatus: sed cum magna vis hostiũ undique irruisset, cæsi sunt omnes ferè ejus milites, diuturno pugnæ labore potiùs & multâ cędc hostium defatigati, quàm ullâ virtute hostili superati: in qua pugna cecidit etiam ipse Bonus. At verò cum magna vis belli, eò posteà fuisset conversa, cæsis profligatisque Turcis, direptum est ab Hispanis ejus triremis vexillum, & in Siciliam Messanam comportatum: quod ubi vidisset Placitus Ragazzonus, civis gloriæ patriæ suæ

iliæ maximè cupidus, à quodam Hispano divē-ditum iri, recuperavit, & ad conjunctos Boni Venetias transmisit; tanquam monimentum ejus virtutis ac fortitudinis: cum victrices, at non victæ Venetæ fuissent triremes. Prætoria triremis Alis, & operis magnificentia, & pulchritudine longè præstabat cæteris navigiis, quæ multos iam annos conspecta sint: cùm eius puppis per ampla, è nobili materia esset cōfecta, & quasi per segmenta variis lineis, in diversas historias formabatur. Demersa sunt circiter octoginta navigia varii generis, & quæ mare non absorpsit, quædam ut inutilia deserta sunt, aut etiam succensa. Classis ubi in portum post victoriam pervenisset, magna coorta est tempestas; ut fit plerunq; post magnas clades, at sospite tamen classe universâ. Austriacus & ipse ad Philippum Regem, ad Pontificem ad Cæsarem ad Venetos etiam, eodem tempore quo Venerius, legationes misit, quæ victoriam significarent, & literas redderent, ac gratularentur pro rebus feliciter gestis. Postmodò divisa est præda, pro ratione sumptuum, singulisq; principibus fœderatis, distributa. Pontifici triremes decem & novem, biremes duæ, tormenta majora decem & novem, minora tria: duplex numerus Venetis, triplex Hispano Regi: Iustiniani triremis, summa usa diligentiâ, ad 14. Cal. Novembris, Venetias applicuit: quædam tormenta displodit, insignita captiva trahit per mare; quæ ubi visa sunt, cognitique ex habitu Turcæ remiges captivi, incredibilis fit ex omni parte urbis concursus, ubique victoria repetitur & conclamatur. Post illam victoriam, cupiebat Austriacus Naupacti expugnatio-

gnationem aggredi, sed cum censæ fuissent classicæ copiæ, non sunt invēta plura octo millibus peditum, qui exponi possent; quæ copiæ omnibus nimis parvę visæ sunt. Inde ventum est Leucadem, quæ urbs est Epiri, quæ dicebatur esse facilior ad expugnandum: sed diligētiùs re cognitâ, talis visa est, ut in opportunius tempus apparuerit reservanda: atque reditum est Corcyram, ubi redditæ sunt literæ senatui, magnitudoque victoriæ cognita, repentè ingens strepitus æris campani, ubique exoritur: vulgus insolentiâ victoriæ ubique debacchatur, ad morem lymphaticorum. Pontificis legati gratulatum senatui, Venetias accesserunt: & Principem cum paucis, in templum augustius Divi Marci, comitantur, Deoque gratias agunt pro felicitate rerum gestarum: cum uno prælio universa Italia fuisset servata. Nuntii tantæ victoriæ, mox ad alios principes mittuntur: conveniunt undique Venetias legationes gratulatum. Iustinianus, equestri dignitate, pro felici nuntio insignitur, ac dignitati adjuncta sunt munera: nocturni ignes accensi, tormentorum multorum bombo lætitia significata: temeritate vulgi effractus carcer, cū gravi multorum, quibus debebatur, jacturâ, senatus decreto quidem liberati rei variorum criminum; dimissi qui pro levioribus latrociniis in carcere detinebantur: postridiè aditur templum augustius, solenni cum pompâ: nec multò pòst, celebratæ sunt exequiæ illorum; qui fortiter in bello occubuissent: pro demortuis alii suffecti sunt trierarchi. Tammasus autem Persarū Rex, cùm fœderatorum principum navalis victoria in Perside nuntiata fuisset, multique pro-

ceres ad arma palàm capienda in Turcos, ſuum Regem adhortarentur:non priùs ſe arma capturum reſpondit,quàm vidiſſet utiliores Chriſtianorum progreſſus: parvi referre, ligneas ſcutulas demerſiſſe, dum ſunt incolumes ſylvæ, ac poſſidentur,unde poſſent aliæ excindi. *Bizarus, d. reb. Perſicis.* Hæc porrò victoria incidit in annum poſt mille & quingentos, ſeptuageſimum ſecũdum, & in ſeptimum diem Octobris, qui erat Divæ Iuſtinæ ſacer, cum præcedenti anno Selymus regnum Cyprium ſuæ ditioni adjeciſſet. Sed Victoria hæc non talem habuit effectum, quale damnum probabiliter ea intuliſſet Chriſtianis, ſi Turcæ victores extitiſſent: eò quod Monarcha,in omnibus politicis expeditionibus promptior eſt quàm confœderati; quemadmodum Renatus à Luſinga, *in tract. de increm. Imperior.* defectus fœderum, à Chriſtianis contra Turcas initorum, & nominatim huiusce præſentis, judiciosè admodum evolvit. Et de claſſis huius fœderatæ pòſt initâ expeditione, plura Natal. lib. 23. ubi inter alia. Atqui Deus idem, qui tantam victoriam ſuperiore anno conceſſerat: ita cognoſci voluit,nihil per vires humanas glorioſum poſſe comparari: cùm etiam pro gratiarum actione,multa convivia, & tripudia, & laſcivia apparuerint;cum Deus per ſolam pietatem,ſanctitatem vitæ, innocentiam, charitatem & placetur,& propitius retineatur. Inierat enim jam annus ſalutis noſtræ tertius ſupra mille quingentos & ſeptuaginta,cùm multa magis magiſque cœperunt compellere Venetos, & non ſolùm adhortari ad accipiendas pacis cõditiones, ſi modo tolerabiles offerrentur: atque præter cæ-

tera, quæ multa occurrebant, res Belgica difficiliora promittebat auxilia, in sequentem annū, cùm ibi negotia parum feliciter succederent Hispano Regi. His accedebant intolerabiles sumptus, quos Veneti vel supra vires & portionem suam, facere cogebantur. Nam tametsi Veneti amœnissimas urbes habent, è quibus magnos proventus capiunt; tamen cum ubiq; finitimas habeant variorum principum muniriones, & urbes, non mediocres sumptus facere coguntur præsidiis ubique terrâ marique alendis. Illâ de causâ, cùm multa tributa ordinaria, subditis populis necessariò imponantur, multa etiam extraordinaria injungere cogebantur. Erat itaque periculosum, ne populi desperatione capti, relictis avitis possessionibus ac laribus, diffugerent. Istud facilimè futurum erat, quòd omnis conditionis homines, ad extremam miseriam paulatim delabebantur; cùm opulenti frequentiâ decumarum, opifices, & mercatores ocio, cives caritate rerum omnium & lucri inopiâ afflictarētur: agrestes partim quia deligerentur quotidiè ad remigium, partim metu delectus, solum vertebant. Iam segniùs ager imperii Veneti coli cæperat, undè succrescebat annonę penuria. Dalmatiæ quoque urbes, & Illyrii, subditæ imperio Veneto, præter incommoda propter sublata cōmercia, mirum in modum vexabantur difficultate importandi commeatus, affligebanturque assiduis hostiū incursionibus & incendiis, quare paulatim cæperant devastari. His tot tantisque difficultatibus, nulla spes affulgebat rei præclarè gerendæ, quia magis excreverant hostium vires, quàm ut tutò armis Venetis tantùm retundi, ac

di, ac labefactari possent; aut externa auxilia & tarda præsertim expectare. Nam si tot tantosque sumptus, tot ruinas populorum, tot devastationes, Veneti solam defensionem sustinentes, diutius passi fuissent, quis non intelligat, & suam ipsorum salutem, & totius Italiæ in magno periculo versari: nam certè quidem negotia, quæ frustrà suscipiuntur, brevi defatigant: at quæ cũ aliquo detrimento, præsentes etiam facultates comminuunt, tandem Remp. subvertunt. Atqui tametsi justis necessariisque de causis Hispana classis retardabatur, metu familiarium, intimorumque bellorum: tamen cùm parùm accuratè conditiones fœderationis servarentur, res Veneta parùm his rationibus sublevabatur; quarum munitiones & insulæ, primæ se offerũt, tanquam obices exeuntibus Turcicis classibus: ac ubi armis decertandum est, ibi non sufficiunt rationes. Veneti igitur rati, suis rebus maturè consulendum esse, tanquam omnia funditus per tarditatem auxiliorum everterentur, post centum & quadraginta millia librarum auri & amplius, cum singulæ libræ cẽtum aureos nummos contineant, in bellicos sumptus inutiliter profusa, post graves suorum populationes, Cypri regni & hominũ plurimorum jacturam, per subditarum omnium civitatum lamentationes & ruinas, cum magna propè omnium, quibus invisa est Turcica tyrannis, aut certè imperitorum rerum bellicarum convitiis & contumeliis, rem cum Selimo componere coguntur. Tunc omnes de Venetis queri propter eam pacem, neque solum exteri: quia contra pactiones, conditionesque fœderum, insciis fœderatis, pacem
cum

eum communi hoſte ſoli feciſſent, quamvis ſuus eſſet locus ſociis, etiam capeſſere volentibus, intra certum tempus reſervatus: ſed etiam cives ipſi Veneti, præter paucos, ægrè ferebant illam pacem, cùm bellici apparatus, iam facti eſſent inſignes, & ſumptus bellici ſuperioribus illis præteritorum annorum, multò maiores, & omnia, quæ ſpectarent ad validiſſimum bellum jam eſſent in promptu. Sed viſum eſt, clam illud fieri oportere, ne res divulgata difficiliores conditiones faceret, excitarenturque impedimènta. Atque arripienda fuit occaſio, dum ſuſpicio rerum Perſicarum, nondum ſtabilita re, ad illud conſilium Turcas impelleret. Et Natalis lib. 24. hæc quoque habet. Quoniam intelligebant Hiſpani, poſtmodò pacatis rebus Venetorum, ſolutaq; fœderatione ac ſocietate belli, quæ communibus opibus, communique conſilio potentiſſimas claſſes tanquam firmos obices Turcicis furoribus opponeret, quò minùs ultra fauces Adriatici ſinus, & Hydruntem, Corcyramq; inſulam penetrarent; quanti referret illa conjunctio armorum; nam ſine Venetis viribus, non apparet res Turcica maritimo bello poſſe magnoperè labefactari: cœperunt illā pacem, quotidiè ferre graviùs. Nam plurimum ſanè conferebat, non Hiſpanis ſolum rebus, maritimæque ſecuritati Italiæ, tam potens illa fœderatio, ſed etiam uhiverſorum ſaluti, & cōſervationi Chriſtianorum: quoniam nihil eſt tam neceſſarium reprimendis moleſtiis Turcarum, à rebus Italicis, quàm maximam inſtructiſſimamque claſſem habere. Italia namque longiſſimis ſpatiis hinc Adriatico ſinu ab Hydrunte Anconam &

Raven-

Ravennam & Fossam Clodiam, & Venetias usq; alluitur; indè mari Tyrrheno ab Hydrunte Neapolim usque, in quo spatio longissima sunt Apuliæ, Calabriæque litora. Hispani sanè multò tutius, & minoribus sumptibus suam classem durante fœdere alebant; quàm posteà alere cogebantur: cùm classis nihilominus esset alenda, & habenda præsidia in omnibus maritimis munitionibus, & equitatus, prætereà, qui omnia littora percurrēs, protegeret à prædationibus Turcarum. Illud cum sensissent Hispani, intelligerentque, quantæ utilitatis sibi fuisset cōjunctio, & Societatis Venetorum armorum, callide rumorum dissipari procurant, quòd Selimus Turcarum Imperator, diem suum obiisset, antequā pacis conditiones subscriptione Venetis confirmasset. Sic enim terrorem Venetis iniectum iri putabant, per quem fieri posset, ut illi desperatâ concordiâ, à novo Imperatore, ob solutam iam societatem fœderatorum Christianorum, denuò compellerentur, vel ad honestiores conditiones novæ fœderationis, quæ proponebantur; vel etiam magis necessarias amplecterentur, si vellent rebus suis maritimis, quæ in magno periculo versabantur, maturè consulere, ac non tanquam à rapidissimo flumine, devolvi quocunque furor, & impetus Turcarum deferret. Veneti tamē, ut quibus cognitę vel suspectæ essent, artes mortalium, quibus plenæ sunt res Imperiorum; nullis rumoribus abduci potuerūt, quò minus promissa vel hosti servarent. Habet & hujus prælii navalis Historiam d'Aubignè *tom. 2. lib. 1. cap. 17.* ut & Thuan. *lib. 50.* Qui tamen Hispanis iniquior, & fortitudinem Christianorum, aliquātum minùs

nùs quàm alii, æstimare videtur. Dum nimirùm inter alia scribit. Tum de ratione belli inter duces agi ceptum. Cumque Venerius apud Austriũ instaret, ut omni morâ omissâ, se in viam daret, & hostem nactus, cum eo confligeret; si autem pugnam detrectaret, ad eam necessitatem quâvis ratione adigeret. Heîc rursus hæsitare Austrius, & quamvis palàm non obniteretur, re tamen in privatis consiliis sæpiùs inter suos agitatá, multùm temporis bello gerendo exemptum est. Nã affectatâ non morâ, ut anteà, sed dissensione alter non solum ab altero, sed secum ibi proceres discrepare; nihil cuiquam in tam dubiâ re, certi stabilisve constare, sed fluctuantibus huc illuc animis, modò in hanc, modò in illam sentẽtiam inclinare: quinetiam nonnulli perplexantes animi sensum, non satis nudare. Tandem Paulus Odescalcus, episcopus Pennensis, qui Pontificis (Pius V. tum erat) nomine, Austrium ac ceteros duces ad prælium hortabatur; certâ spe victoriæ factâ; sic enim spondere Christi vicarium, cujus castę menti, assiduis precibus, Dei benignitatem ac misericordiam imploranti, ea fiducia divinitùs inspiretur. Sicque pudore magis, quàm ratione ullâ, quam ipse ac ceteri, qui circa eum erant Hispani, probarent, victus Austrius; coram universo procerum ac ducum cœtu, ut omnes se ad prælium pararent, edixit. Ac tum quidem, manifesto Dei, justæ causæ aspirantis beneficio, ventus, qui huc usque adversus, & incommodus nostris fuerat, momento posuit, tantaque præter exspectationem, serenitas secuta est; ut non in mari sed in continenti æquore, consistere, sibi quisque persuaderet. Hic victoriæ ad Echinadas,

das, exitus fuit; quâ nulla maior de Turcis retrò seculis parta, nulla minus fructuosa fuit: ob ducum contentiones, & partium, non ad Dei gloriam & publicam reip. Christianæ utilitatē consilia sua referentes; sed privatum ubique commodum captantium diffidentia studia. Victoriā multa adiuverunt. Nam quamvis Turcica classis, nostrā numero superaret, quippe quæ CCLX navibus constabat, cum in nostra tantum CCV. ac VI. maioris formæ essent, major erat pugnātiū in nostrâ classe numerus; cùm singulæ Christianæ triremes, CC. minimùm CL. bellatores haberent, & præter cōductas copias ad XXVCI Ɔ non modo ordinarii navales socii, sed pars remigium nexa, saluti in spem libertatis promissæ haut segniter certarent. In Turcica, præter triremes procerum, insigne nocturni luminis præferentes, quæ XL. numero erant, & C. bellatores habebant, non plus XXX. ad summum XL. milites essent: iisque viribus parum validi, quippè exactis hoc anno laboribus fracti, ad hæc nudi & vulneribus expositi, cum nostri recentes essent, galeis & loricis plerumque tecti. Tum dispar armorum usus: nam Turci rarò scloppetis, ferè sagittis nostros incessebant; quarum ictus, & scloppetis imbecilliores sunt, & contra armatos invalidi: tum verò quater aut quinquies emissi nervis arcuum, ipso calore languidis, ita leves accidunt, ut vix summam cutem hominū perstringant, & contra loricas retusę, rarò in corpora penetrent. Accedebat pluteorum & munimentorum haut leve tutamentum, quo Turci omninò carent; tanquam liberum arcuum conixum impediente: quod contra nostris duplicē

com-

commoditatem afferebat: alteram hanc ipsam tegendi adversus hostium ictus corpora, alterã adminiculi, quo scloppeti suffulti, certiore & minùs vacillante ictu, locum destinatum peterent. Dispar & in machinarum displosione vis. Nam cùm Turcicarum triremium proræ, nullo munimento tegerentur; fiebat, ut tormentarii, ad ictus scloppetariorum toto corpore patetes, exanimarentur, neque consistere in prora, & quę sui muneris erant, administrare possent: statimque post primum ictum è lõginquo displosum, relinquere locum cogebantur; cùm contra nostræ, quater & quinquies, aut eò ampliùs, & in ipso pugnæ ardore, etiam cohærentibus inter se triremibus, ut ictus non fallerent, displosæ sint. Quâ in re & ars adhibita est; nam præciso rostro, quod resupinato mucrone, supinos quoq; ictus anteà emolliebat, machinæ jam rectâ regione displosæ, ac summum maris æquor radentes, rarò frustrabantur; fere semper cum magnâ hostiũ strage directis ictibus: cum contra Turcicarum eiaculationes, sublime petentes, nostras supervolarent, ac vanæ evaderent. Vluzalis, cùm circiter XXX. è strage reliquis triremibus, (inter omnes enim, vix ultra L. pestem vitâsse, constãs fama est) Constantinopolim postea pervenit: ubi à Selimo, qui accepto Hadrianopoli cladis nuncio, ne res per suam absentiam in urbe turbarent, citatis itineribus illuc venerat, non solùm benignè exceptus, sed etiam amplissimo honore auctus fuit; summâ maritimi imperii ad illum delatâ: præter morem Othomanicæ, in quâ etiam calamitates, nullâ hominum culpâ manifestâ cœlo immissæ, & fortunæ peccata,
tan-

tanquam propria crimina, duces ferè capite lbunt. Sed in eas anguſtias, hoc caſu res illius redactæ erant, ut ſolæ illæ triremes, quas Vluzalis, tanquam ex incendio ſervatas adduxerat, ex omni armamentario reliquæ eſſent, & amiſſis tot ducibus, Vluzali potiorem, quem Chriſtianis ſucceſſum urgentibus opponeret, non haberet. De Chriſtianis qui ceciderunt, minima pars in pugna, ſed poſt pugnam plerique omnes, ex levibus ſagittarum ictibus malè curatis interierunt: in quibus peracerba mors Auguſtini Barbarici, mirus ut ſincerum victoriæ gaudium Chriſtianis conſtaret, effecit, cũctis prudentiam in conſiliis expediendis, ſollertiam, moderationem, fortitudinem ac ceteras virtutes imperatore dignas, quæ toto eo bello maximo uſui fuiſſent & futuræ eſſent, veris lacrimis deplorantibus. Quod damnum, multis Chriſtianorum vinculis ſolutorum millibus, compenſatum eſt. Vt in prælio, ſic etiam eo patrato, magnum præſentis numinis favorem experti ſunt noſtri; cùm nocte inſequenti, ſubitò, fœdâ tempeſtate ſubortâ, portum tantæ claſſis capacem, ſub manum habuerunt; magnâ hoſtium imprudentiâ, qui cum in altum, nullâ re impediente claſſem propellere poſſent, non animadvertunt, quãtò cum periculo, ſecus amicum litus pugnam committerent: quo factum eſt, ut primo impetu, quo maximè valent Turci, ſtatim repulſi ac diſturbati, captâ fugâ in illud ſe eiecerint; quod alii à litore remotiores nõ fecère, ſubductâ in eum portum claſſe. Cumque tempeſtas deſævilſet, in locum pugnæ venêre, & jucundum ſimul ac miſerabile ſpectaculum, oculis hauſere. Poſtea re ad

conce-

concilium relatâ placuit, ut ob cæſarum ac ſauciorum numerum, annonæ defectum & anni tēpus, quod jam multùm proceſſiſſet, claſſem in hiberna maturè reducerent: undè reparatâ ac ſuppletâ claſſe, militumque animis ac corporibus à laboribus exhauſtis, per hyemis quietem refectis, vere ineunte, recentes ad perſequendas tantæ victoriæ teliquias redirent. Conſilium hoc multis improbatum, trepida omnia Conſtantinopoli, & circumjacētibus inſulis, ſi Chriſtiani victoriæ inſtitiſſent, oppreſſum iri dictitantibus. Quod Venerius, cujus magis intererat, cùm non omni ratione ac contentione impediret, à quibusdam reprehenſus fuit: qui vulnere in crure accepto curādo intentus, ac præliorum, ut Hiſpani malignè jactabant, ac telorum mentionem exhorreſcens, Auſtrio diſceſſum ſuadēti, tam facilè acquieverit. Sed Venerium excuſat perſpecta Hiſpanorum mens, ac conſiliorum ratio; qui Venetæ reipub. infeſti, iam ab initio, eos ſemper ludificati, & in tempore auxilio negato, fruſtrati fuerant: nec niſi pudore victi, & ſpe certâ, ut Turci ad manus non venirent, in pugnā conſenſerant. Maior Venerii error fuit, quòd cum Philippus Bragadinus, Hadriatici ſinus præfectus, ſub id tempus nondum pugnæ nuncio accepto, ad claſſem cùm XIII. majoris fortunæ triremibus veniſſet, ſubſidio à Senatu miſſus; & gemens ac mærens tam pulcram occaſionem ſibi ereptam, omni ratione à præfecto contenderet, ut ſaltem à L. attributis navibus, cum iis fugientes inſequi ſibi liceret: provinciasque hoſtiles, caſu attonitas adire, & ex ſucceſſu rei gerendæ conſilium capere; nihil tamen ab eo impe-

impetrare potuerit, cùm negaret se alteri, quæ sui muneris essent, delegaturum. Agit porrò de pace inter Turcas, & Venetos ob dissidia inter Hispanos & eosdem procuratâ, Gallicique legati operâ & promotione confectâ, idem Thuan. lib 54. & seq. latè.

6. Anno C. 1574. maximam in Asia cladem Hispani à Turcis acceperunt, qua de re ita Leunclavius, *in supplem. annal.* Variæ contigerunt ætate nostrâ mutationes in regno Tunisino, quo superioribus annis rex Assan, Machmetis filius, (Muleassem nostri non rectè vocârunt, quùm Mule regem, vel dominum ipsorum linguâ significare tradatur, Assan vero proprium fuerit ei nomen) excluso necatoq; maximo natu fratre Mamunâ (qui nostris est Maimon) potitus fuit. Item ceteros quoque fratres suos, quos moriens ei pater XXI. reliquerat, aut interfecit, aut ferro candenti oculis adhibito cæcavit: excepto Roscette, qui secundo loco genitus fuerat. Is in conatu pellendi fratris Assanis, re parùm feliciter gestâ, Cesairim (Algerium nostri vocant) profugit, ad Chairadinem Barbarossam: qui Rascette Constantinopolin misso, sub ejus tamen reducendi prætextu deceptis Tunisinis, Assanem expulit, urbem cum arce totoque regno cepit, ac Sultano Soleimani, se prosultanũ adpellans, subdidit: quod quidem accidit An. C. 1534. Assanem Karulus Augustus in regnum, expulso Chairadine, reduxit A.C. 1537. quod ille deinceps à nemine vexatus obtinuit, usque ad annum 1544. quo adventantis cum classe Chairadinis famâ territus, in Siciliam Neapolimque traiecit. Amida filius, Tunisin cum arce, per absentiam

ſentiam patris Aſſanis occupat; reverſumq; patrem capit, & oculorum pupillis, candenti ſcalpello læſis, viſu ſpoliat. Eadem immanitate tractati ſunt ab Amidâ fratres, Nahaſer & Abdallas, quos cum patre ceperat. Amidam, regno patruus Abdamelechus eiecit. Is enim Guletam profectus, & Franciſci Tovaris Hiſpani, Gulettæ profecti ope Tuniſim ingreſſus, mox in arcem velatâ facie pergit, eamque deceptis cuſtodibus, qui Amidam eſſe credebant, occupat. Abdamelecho poſt trigeſimum & ſextum regni diem, rebus humanis exemto; ſuccedit filius Machmetes, annos duntaxat XII. natus: quo necdum gerendæ reipublicæ per ætatem idoneo, quùm intolerabilis curatorum ejus adminiſtratio, pleriſque videretur; rediens Amida, regnum patrueli eripuit. Amidam rurſus excuſſere Turci, duce Vluzali, An. C. 1573. fuitque Sultani Selimis auctoritate, ſuffectus in ipſius locum rex alius. Amida Guletam profugiens, quæ Hiſpanorum præſidio tenebatur, privatim cum duobus filiis vitam egit. Quumque magno recuperandi regni deſiderio flagraret, ſuos ad Ioannem Auſtrium, navali de Turcis victoriâ toto iam orbe celebrem, mittit: qui opem ejus auxiliumque poſcerent, ut regno reſtitueretur. Simul habiturum ſe promittit ingentes ab amicis ſociiſq; copias, & eam annonæ abundantiam, quæ ipſius exercitui, vel maximo ſuffectura ſit. Adnuit eius poſtulatis Auſtrius, & inſigni cum claſſe, quam aliis etiam cum triremibus, Dux Sueſſanus, & Melphitanus princeps, Ioan. Andreas Doria comitabatur, in Africam tranſiicit: Tuniſim occupat, regem à Turcis datum in poteſtatem redigit, ur-

ſit, urbem captam militi ſuo diripiendam conceſſit. Quùm autem promiſſis Amidæ non ſatis faceret, fluxæque ceteroquin etiam fidei digna quædam, præberet; ſollicitatis ſecreto Turcicis auxiliis: cum duobus filiis in Siciliam, juſſu Auſtrii, transvectus fuit. Ibi quùm futurum accepiſſet, ut frater ejus Machmetes, cui maximè infeſtus erat, regno præficeretur; in eum furorem adactus eſt, ut de triremi ſe præcipitaturus, & aquis ſuffocaturus eſſet: vix Amida filio, quò minùs id faceret, impediente. Machmetes Amidæ frater, ab Auſtrio regnum impetravit, præſtito priùs in Auſtrii præſentia ſacramento, quo ſe perpetuò fidelem Hiſpano regi clientem futurum promiſit. Is proximo deindè bello, quod expoſituri ſtatim ſumus, in Turcorum poteſtatem venit, & Conſtantinopolim trans mare vectus fuit: ubi diu in arce, quæ de ſeptem turribus dicitur, ſub cuſtodiâ detinebatur. Hinc Auſtrius ſuorum concilium cogit, in quo variis doctis, examinatisque ſententiis, tandem concluſum: debere novam munitionem, inter Guletam & Tuniſim, ad interiectum utrique lacum exſtrui, quæ X. milliaribus Italicis à Guletâ, paulloque minùs à Tuniſi diſtaret. Ejus rei perficiundæ cauſa, relictus iſtìc Gabriel Serbellonius Mediolanenſis Italus, cum IIIↃ. Italorum peditû, & Salazarus Hiſpanus, cum totidem Hiſpanis: quorum uterque muniendarum urbium, & arcium peritiſſimus erat. Conſiliis totius hic erat finis & ſcopus, ut hoc modo Guleta firmior efficeretur, & tantò facilius in fide barbari continerentur, ob viciniam utriusque præſidii commoditatemque lacus; ad quem quia ſita eſſet utraque

 que

que munitio, nullo negotio alteris alteri subvenire possent. Gesta fuerunt hæc anno Chr. 1573. Aegerrimè ferebat Sultanus Selimes, hos Christianorum in Africa progressus. Itaque Sinanem bassam, virum astutum, reique militaris peritissimum, classi supremo cum imperio præficit, qua C L X. triremes, & X X X I I I diversi generis navigia continebantur. Is in Aphricam mense Iulio, A.C. 1574. adpulit. Quamqnàm verò novæ munitioni absolvendæ præfectus Serbellonius, magnâ rebus in omnibus diligētiâ fuisset usus; tamen ea necdum erat perfecta, quòd seriùs architecti, cum fabris, cæmentariis, & omni materiâ missi, tandem in Aphricam sub finem mensis Martii pervenissent: quorum adventus, Octobri mense præcedentis anni promissus fuerat, cum X L. triremibus, quarum navales socii, muros Tunisinæ urbis, ad structuram novæ munitionis demoliri debuerant: quod factum non fuit, quātumvis Austrius in vicinâ Siciliâ degeret. Erat etiam præsidiariorum militum deminutus numerus, exauctoratis temerè nonnullis, quos omnem in eventum retentos oportuit. Hoc modo, per ignaviam socordiamque factum, ut in hostium potestatem munitiones hæ nullo propè negotio venirent. Turci primum Guletam obsidere ceperunt, cui Petrus Carrera Hispanus præerat. Ei Serbellonium de subsidiis mittendis urgenti, quamquam loco munitiori esset, Serbelloniano necdum ad finem perducto; tamen D C L. pedites, partim Itali, partim Hispani fuêre missi. Hinc à Turcis etiam Serbellonius obsessus fuit: quorum exercitus novis adductis copiis auctus erat. Carrera denuò subsidium perit.

E a

Ea res anxium Serbellonii animum, non parùm torquebat. Si nullos misisset, futurū verebatur; ut in ipsum amissæ Guletæ culpa conferretur: sin autem, ut suo semet præsidio nudaret. Nihilominùs concessa Carreræ manus subsidiaria. Duobus interea navigiis, adpulerunt ex Hispania DC. milites Hispani, qui noctu per ipsas Turcorum excubias penetrantes, quùm vexillis & vestibus Turcicis uterentur, & quosdam Turcicè loquentes secum haberēt, Guletam ingressi sunt. Tādem & tertiò, Carrera militem sibi summitti à Serbellonio postulat; & quingétos beneficio noctis usus impetrat, cum egregiis præfectis: ac inter alios, Salazaro magnæ virtutis & existimationis viro. Nihilominùs arx Guletana Turcorum in potestatem venit. Neque defuere, qui Carreram proditionis insimularent. Priùs quidem certè, quàm Turci adpulissent, vel per inscitiam, vel superbiam, quingentos milites veteranos Italos, admittere noluit: quod minimè concessurum se diceret, ut in ejus gloriæ partem venirent Itali, quam Hispani Guleta defendendâ consequuturi essent. Equidem constans fama, apud ipsos Hispanos fuit; Carreram fuisse virum prorsus ignavum & formidolosum, qui pulveris tormentarii nidorem ferre non posset, nec tolerare fulmina displosarum machinarum: quæ sanè, quoties in hostem exonerabantur, ipse subterraneis se testudinibus, concameratisque locis abdebat, bombyceque suas obturabat aures. Feruntur ei Turci proditionis obtulisse præmium regni Cyprii præfecturam: neque tamen deditiicio pepercere, sed tanquam vili mancipio sunt usi. Captâ Guletâ, præter aliam prędam, po-

titus est Sinan bassa quingentis machinis bellicis, cum ingenti tormentarii pulveris, aliarumque bello necessariarum rerum, & annonæ copiâ. Nova quoque deindè munitio, à Turcis occupata fuit, non tamen multo sine sanguine: capto etiam Serbellonio, qui crudeliter à Sinane bassa tractatus fuit. Hoc modo prorsus ejecti sunt Hispani ex Aphricâ, intra trigesimum & sextum diem: amissaque per summam ignaviam ea, quæ Karulus Augustus in potestatem optimo consilio redegerat, ut securitati Siciliæ, regni Neapolitani, totiusque tum Italiæ, tum Hispaniæ consuleret. Tunc etiam Corcyræ muniendæ, Venetis occasionem præbuit exscensus crudelis in eam insulam Sinanis bassæ, redeuntis ex Aphricano bello. Nam licet ab insulanis, ei placandi hominis causâ, cujus præsertim tunc victoriis insolentiam norant, munera quædam offerrentur: tamen illis rejectis, immaniter in eos grassatus est. Missi hoc nomine fuerunt in Corcyram, quùm alii rerum militarium periti, tum etiam Sfortia Palavicinus, Marchio Curtis majoris. Horum consiliis ita tum munitæ cum opido fuerunt arces illæ præaltis in rupibus sitæ, vereque caput inter nubila (quod Maro dixit) condentes, quas ipsum mare circumfluit: nihil ut equidem videatur adversus omnem vim hostilem firmius, nihil inexpugnabilius. Eandem historiam habet etiam Natalis lib. 24. ubi tandem addit. Interea fama per universas Christianorum regiones didita fuerat, de illorum clade & captivitate, qui infeliciter in Africâ pugnaverant: quare non parùm suspicionis exortum est, quòd negligentiâ potiùs Hispanorum, quam virtute

virtute Turcarum, omnia loca Numidiæ sint amissa. Et quoniam cum rebus felicibus stat omnis honor, laus, existimatio, gloria mortaliũ: sapientesque censentur non solùm qui sapienter agant, sed multo magis quibus multa feliciter succedant, cum infortunia stultos & parùm cordatos homines videri faciant, non solum adversus Duces Numidiæ defensionis, multa parùm honorifica dicebantur; sed Philippus etiam rex accusabatur, quòd plerosque imperitos & timidos, rebus bellicis præficeret: cùm omnia quę haberet in Africa per tot majorum suorum labores, virtutemque comparata, amisisset, Austriacumque misisset ad ea capienda quæ postea per magnum Christianorum detrimentum conservare non posset: carpebatur ab aliis tarditas Hispani concilii; quòd non curasset opportunè rebus regiis providere: cùm consiliarii illius, passi sint iacturam Africanam fieri, dum consultatur in Hispania de rebus quæ fierent in Africâ: Et indè, ad eandem hancce rem capiendam, dicitur parata fuisse Parisiis scena comica; undè exiit histrio, qui pollicitus est in prologo, res admirabiles recitatũ iri. Deindè paulò pòst fit murmur ob tarditatem, exit alter, rogat ut patienter moram perferrent: nondum omnes histriones convenisse, cùm multi sint: repetito murmure ob tarditatem, nuntiatur non posse histriones de primo loco convenire; cùm omnes vellent primi recitare: missam esse legationem ad concilium in Hispaniam, quæ foret expectanda. Alii ad deplorandam & Africæ, & præsentium temporum calamitatem, cùm res Christiana ubique tantùm detrimentum capiat per dissensiones, &

ſocordiam Chriſtianorum, fœminam introdu-
ctam in ſcenam fuiſſe dixerunt, quam fidē Chri-
ſtianam appellarūt: erat ea habitu honeſto, vul-
tu venerabili, voce ſuavi; ſed tamē lacera & mœ-
ſta, quam Pietas hinc, indè Charitas ſtipabant:
ſequebantur pro ancillis Iuſtitia, Prudentia, Mi-
ſericordia, Verecundia, Fortitudo, & quædam
multitudo honeſtarum matronarum; quæ ſce-
nam ingreſſa, cæpit primum omnium vitiorum,
ocium & ignaviam deteſtari, tanquam parentes,
& fontes certiſſimos omnium ſcelerū, omnium-
que miſeriarum: undè manant omnes cogita-
tiones, quæ humana divinaq; jura proſternunt,
quibus nulla eſt illâ gravior adverſaria. His et-
iam ſubjunxit, ſe plurimas calamitates per Chri-
ſtianorum negligentiam paſſam fuiſſe; quæ ne
nimis antiqua repeteret, ſe in memoriam revo-
care dicebat recentia penè Pannoniæ exempla,
& Peloponneſi, Ciliciæ, Cappadociæ, Macedo-
niæ, Pamphyliæ, Byzantii, Rhodi, & univerſi pe-
nè orientis, & poſtremarum inſularum Cypri
& Chii: quæ reſidentibus armis Chriſtianorum
atque ad mutua excidia concitatis, in poteſta-
tem barbarorum venerunt; cùm nemo rogatus
arma auxiliaria oppreſſis oſtentaverit, aut certè
tardiùs quàm oportebat. Addebantur his varia
ſchiſmata, quæ rem Chriſtianam debilitarent:
commemorabat antiquorum, recentiumque ty-
rannorum ſupplicia, quæ ſanctis, piis, innocen-
tibus hominibus fuiſſent illata: quibus memo-
randis, ſequebatur verba non parva vis lacryma-
rum, & aliqui ſingultus: poſteà ubi paulum cō-
quieviſſet, proceſſit ſpes quæ hanc ſequebatur,
matrona & ipſa venerabilis, vultu hilari, oculis
niten-

nitenlibus, quę ſubridens ait: an neſcis honeſtiſſima, & integerrima mater, nihil eſſe verè tranquillum, aut ſincerum in rebus humanis? ignoras ne quàm multa, & mihi & cæteris his matronis, quæ te ſequuntur infeſta ſint? ac oportet cōtra difficultates fortiorem inſurgere, non convenit animum demittere, ſed erigi ad meliora expectanda; cùm virtus, & laus, & gloria, & fidei perfectio non poſſit niſi in arduis, difficillimisque rebus inveniri. Quid enim glorioſum accidit cuiquam, per fruitionem commodorū, cùm virtus in ſuperandis difficultatibus, laudabiliter conſiſtat? Oportere, inquit, Fidem Chriſtianam, ad rerum divinarum cogitationē mentem ſuam referre, non ad motiones ſenſuum, quos ſemper ſancti homines pro fide neglexerunt, hoc eſt pro credulitate Chriſtianâ: duo eſſe perfugia, & ſolatia omnium miſeriarum; alterū conſolationem aſſeclarum matronarum, cùm nihil ſit jucundius in omnibus calamitatibus, quàm recordatio & memoria rectorum conſiliorum, quæ ſola intrepidam faciant ad omnia difficilia perferenda: alterum potentiam Chriſtianorum principum, qui poſſent vel per arma, à quibusvis barbarorum injuriis protegere. Fides his auditis, ſe multò antè hæc omnia, ſed fruſtrà, tentaviſſe reſpondit; ac nuper vix per ſummam importunitatem, à cubiculariis fuiſſe ad Pontificem admiſſam; cuius cùm auxilium peteret, bonitatem, promptitudinem, pietatem mirificam cognoviſſe ex eius reſponſo, qui ſe nihil aliud curare inquit, quàm ut fidem Chriſti incontaminatam, inviolatamque conſervaret: ad quod munus, & animum & corpus, & omnes

constantiam & futurorum expectationem erigere; cùm naviculæ Petri fluctuare, at non mergi promissum sit: revocat in memoriam præteritorum temporum calamitates, ac supplicia illorum, qui primi ipsam fidem cõplexi sunt; quorum laus & gloria, non in inferendis tantùm, sed patienter ferendis suppliciis, à tyrannis iniquè illatis, consistit: cùm ipse autor salutis nostræ, frigora, calores inediam, vigilias, contumelias pro peccatis aliorum tulerit; &, quod nemo nostrum faceret, pro inimicis. Fore, cùm Deus voluerit, ut arma perfidarum nationum quiescant, aut ultrò conveniant ad Christianam fidem: vetus esse exemplum: DVM ROMÆ CONSVLTATVR, SAGVNTVM EXPVGNATVR. Hisce de rebus videri itidem potest Thuanus, *lib 55. ut & libro 58.* ubi sequentia habet. Nec obtrectatione ob eum successum apud Philippum caruit Austrius; quippè qui intempestivâ priùs susceptâ expeditione, potentissimum hostem iritâsse diceretur: quieturum, neque Guletam oppugnaturum, si ab exscensione in Africam ânno superiore abstinuisset. Hujus autem expeditionis ei auctorem fuisse ferunt Ioannem à Soto, quem Roderici Gomezii Silvæ (qui in gratiâ Regis sui præpollebat) commendatione, Austrio, ut ipsi à secretis epistolis esset, in Granatensi bello, & posteà fœderis contra Turcos initi negotio Philippus attribuerat. Is ingenti animo, & supra conditionem elato; Austrii per se securi, ac negligentis ingenium, excitatis alienæ gloriæ, neque cum ipso natæ igniculis inflammabat, & ad summa quæq;, ad quæ potiùs fortuna, quàm naturalis impetus eum rapiebat, capessenda in-

 citabat.

citabat. Itaque juveni persuaserat, ut ad Tunetanum regnum, quod Regis fratris beneficio, detestandæ superstitioni addictus princeps tenebat, animum induceret; quod citra Hispaniensis imperii imminutionem, tanquam suis meritis debitum, jure sperare posset: & tamen ut res citra ambitionis suspicionem transigeretur, sic censebat consiliarius ille; Pontificem, (Pium V.) cujus maxima apud Philippum auctoritas esset, allegari debere: qui non tanquam ab Austrio rogatus, sed solâ boni ad rem Christianam redundaturi contemplatione, eam gratiam à Philippo peteret: idque ut Pontifici persuaderetur, ipse in se onus susceperat, & eâ de causâ Romam profectus, clam cum Pontifice egerat; pioque seni, conquisitis artificiosè rationibus, recenti adhùc victoriæ apud Echinadas partæ memoriâ, facilè persuaserat, ut Philippo regni illius beneficiarii, Austrio fratri dandi auctor esset. Igitur bonus vir, in pietatis exercitiis potiùs, quàm in regnorum civili administratione versatus: qui ignoraret, quantùm istiusmodi proximorum petitiones, principibus suspectæ sint, per oratorem in Hispaniâ suum, officio defunctus est, cùm jam expeditio in Africam, post solutum fœdus à Philippo, decreta esset; datis insuper Austrio mandatis, ut Tunes urbs, si caperetur, protinùs ob easdem, propter quam antea Aphrodisium causas, à fundamentis dirueretur. At Philippus animi anxius, qui & Pontifici gratificari cuperet, neque fratrem intempestivâ repulsâ à se alienare vellet: laudato Pontificis in fratrem, ac se studio, & gratiis pro tam impensâ in utrumq; voluntate, actis, ambiguo responso, & in tempus succes-

successus suspenso, postulata eius frustratus est: nec mediocriter ob id fratri succensuit. Sic enim interpretabatur, fratrem non in Tunetano regno, immodicæ ambitioni modum facturum; sed id ei consilium esse, aut ab amicis dari, ut tentatâ per eam petitionem ipsius patientiâ, ad maiora deinceps audenda sibi viam sterneret. Quem tamen justum dolorem, summâ in præsens dissimulatione pressit. Auxit indignationem occultam, quòd captâ urbe, non eam, sicuti jussus erat, dirueris, sed novam munitionem ad illam servandã, exstrui jusserit: concessâ interim militi prædâ, quæ ipsius commodo cedere debebat, suspectâ prorsus liberalitate. Quod in causâ fuit, ut statim Ioannes à Soto, specie amplioris dignitatis (nam annonæ præfectus creatus est,) ab Austrii latere removeretur, eique Iohannes Escovedus, Iohannis à Soto æmulus, cuius delationibus, consilia occulta Austrii, ac eius consiliariorum detecta fuerant, substituitur. Verùm cùm is posteà, ingenio perindè ad vanitatem elato non minores igniculos ad incendendã Austrii torpescentem ambitionem, subjecisset: mutatam personam, non consilia interturbata apparuit, violentioraque remedia, adversus jam confirmatum malum, adhibere necesse fuit. Porrò, de infelici successu, in urbem allatum est, statim dicterium Pasquilli non sine sparsum, quo Guletæ & regni Tunetani amissi culpa, in podagram Suessani ducis, in Austrii sphæristerium, hoc est, negligentiam, in cardinalis Granvellani, Neapolitani vicarii, subligar, hoc est, libidines, reiiciebatur.

7. Sed Selimus, non diu eâ victoriâ lætatus,

in gravem lethalemque morbum incidit, quem quum superare non potuisset, quinquagesimo sexto ætatis anno; extinctus fuit: quùm octo annos imperasset, eique Murates filius, viginti septem natus annos, ex præfecturâ Amasiæ, atque Iconii, Byzantium repentè advolans, successit. *Isthuanfi lib. 25. fol. 535.* Natalis autem Comes, *ad finem libri 24.* hæc habet. Victoriâ Turcarum Byzantii nuntiatâ, per celocem, statim ad imperatorem missum; ubi classis convenisset, visis captivis vexillis, & hominibus, diffusa est undique visendi studio ingens multitudo, ad illud spectaculum: atque propinquante classe urbi, omnia bellica tormenta sunt displosa: litui, tubæ, classica, tympana cum ingenti strepitu sunt exaudita: responsum est omnibus urbanis instrumentis, ad majorem lætitiæ significationem. Selimus, ex illâ tam facili, tamque brevi partâ victoriâ, cœpit præclarè de Sinami consilio ac virtute sentire: atque in animo multa secum volutare, venireq; in spem rerum maximarum in annum sequentem. Nam persuaserat imperatori Sinamus, rebus prosperis nimiùm elatus, nullam expeditionem adversus Christianas vires esse valdè difficilem; cùm munitionem tamen cepisset imperfectam, disjunctam à Christianorum auxiliis, interiecto satis amplo mari, positam inter infestissimas & perfidas nationes, ac parum etiam præsidiis firmatam: idcircò putabat, omnia reliqua loca, eâdem facilitate captum iri; neque intelligebat, difficiliùs sanari morbos, qui procul absunt à subsidio primariarum partium, quàm qui primariis sint propinqui: jubet itaque Mahometum, & omnes primariæ autoritatis pur-

pura-

puratos, res classicas, & maritimos apparatus, quam diligentissimè curare: mittit legationem Epidaurum, quæ onerarias naves impetraret, præter Venetas; quas distineri jusserat in ver proximum, ad tela, copias, commeatum, res omnes necessarias cum classe evehendas, quomodocũque navigandum esset, quibus se naulum soluturum esse profitebatur. Epidaurii cives, cognito Selimi consilio, qui palam apparebat, exitum Christianorum saluti machinari, maritimisque locis incendia & captivitatem minitari, neque possunt, vel audent palàm adversari propter tyranni potentiam, vicinitatem, ac superbiam intolerabilem Turcarum; ne fortè libertatem amitterent si recusassent, neque rursùs possunt æquis animis arma suggerere barbaris nationibus, ad exitium & populationem Christianorũ: clam ideò legationem mittunt ad Pontificem, quæ aperiret excusationem necessitatis, ut cognosceretur Epidaurios non spontè neq; libenter illud facere, sed invitos & coactos, si modo id facere cogerentur; quæ doceret probabilem timorem Epidauriorum nisi paruissent: quæ peteret consilium, si quod appareret in tantis rerum difficultatibus, quę peteret auxilium, etiam si quod tutò juvare posset. At quoniam vana sunt omnia mortalium consilia, nullaque hu' mana felicitas est diuturna: cuius radices priu arescunt, quàm ad maturitatem perveniat, nisi divina providentia istud confirmaverit, omnes hæ in annum sequentem susceptæ cogitationes, repentè conciderunt. Nam quo tempore Selimus, se prima fundamenta satis firma felicitatis jecisse, sibi visus est; repentino propè morbo

correptus, vitam cum morte commutavit: sic numen propter nimiam arrogantiam totum negotium Turcarum subvertit, qui brevi Christianis infesti erant futuri, antequam tanti illi apparatus bellici, in unum convenissent; Deo potentiore Christianorum rebus placidiùs consulente. De eâdem re Thuanus lib. 59. Annũ 1574. clausit mors Selimi II. Turcorum imperatoris, Eidib. Xbrib. apoplexiâ extincti; qui patri Solimano virtute, moribus & diuturnitate imperii dispar: tamen Cyprum, violatis eâdem perfidiâ induciis, à Senatu Veneto repetitam, per vim juris Othomannici fecit: exiguo sacri fœderis contra ipsum initi, atque adeò insignis ad Echinadas partæ victoriæ fructu; per quam tamen retardatis tantisper ejus conatibus, egregio exemplo Christianis constitit, Turcos, si nobis invicem conveniret, vinci posse. Vino præter gentis morem, & legis suæ institutum, contraque patris exemplum usus est: quo & inebriari gaudebat, in ebrietate, quam cum jejunus esset, placatior. Exemplumque, de formosissimo puero, quẽ in deliciis habebat, affertur; qui jejuno, procacitate vernili, quod ebrio hero impunè facere consueverat, illudens, ab ipso arcu ad pulvinar dependente protinus sumpto, sagittâ lætali trãsverberatus est. Quâ re ille, tantum posteà mœrorem concepit, ut vix Mophti revocante sumptum de se interficiendo consilium, omiserit. Habet & hoc, *in append. Hayth.* Reineccius. Ferunt, nescio quos divinos, breve imperii tempus ei prædixisse. Vndè solitus est dicere, voluptatibus illud impendendum esse. Ergò vino & Venere exhaustus, febre extinguitur.

Sum-

Amurathes III.

A. C. 1574.

ANno 1574. Amurathes III. Selymi filius, fratricida, atrocissima cũ Persis, ut & Tartaris gessit bella; & tandem Persicâ pace compositâ, Hungarica bella redintegravit; ubi ferè ab initio, Raba fortissimum propugnaculum, à Turcis captum fuit.

2. Selimo successit Amurathes, grandior natu filius: qui imperium truculentum, à quatuor fratrum, se præsente strangulatorum, nefando par-

parricidio auſpicatus, ad ultimi adhûc in cunis ad fratrem homicidam, riſu puerili blandientis conſpectum, lacrymas non tenuit: cum tamen Deum teſtem appellans, ſe excuſaret, quaſi non livore, aut odio, ſed concotdiæ in familiâ Othomanicâ conſervandæ, quâ ſalus imperii Turcici contineretur, neceſſitate extremâ coactus, & exantiſtitum ſuæ legis conſilio, id faceret. Thuan. *lib. 59. ad fin.* Iſthuanfi autem, *lib. 25.* Amurathes, inquit, ſimul ac ſceptris potitus eſt, quinque fratres natu minores, Muhemetem, Aladinū, Giangirem, Abdulanem, & Sulimanum, crudeli parricidio ſtrangulatos necavit: ac deindè Spahoglanis aulæ equitibus, Ianiceriſque tumultuantibus, quòd ipſis inſciis regnum invaſiſſet, ad obſequium multâ largitione perduxit. Ita verò *lib. 11.* Bizarus. Selimi, in imperio ſucceſſit Amurathes ipſius filius, qui tunc agebat annum ætatis ſuæ viceſimum ſeptimum: cum magnâ omnium prætorianorum, Byzantinorumque civiū lætitiâ; cùm ob egregias animi dotes, quas præ ſe ferebat, non mediocris ſpes de illo fuiſſet, in animis omnium excitata. Hic, licet multos bellicos apparatus factos fuiſſe à patre, in ver proximum inveniret: tamen quia novus eſſet, & adhuc imperitus regnandi, nihilominò in primo anno ſibi innovandum eſſe cenſuit: ſed univerſum ſtudium ac diligentiam convertit ad confirmandum ſtabiliendumque imperium: atque inprimis quatuor, ſive, ut aliis placet, quinque fratres impuberes, de more Ottomannicorum Imperatorum coram ſe ſtrāgulari juſſit; ne quas inſidias domeſticas metueret: néve, ut quondam poſt Muſtaphæ interitum, fama increbeſceret,

queın-

quempiam ex illorum numero, adhuc supereſſe, unde ſibi in poſterum aliquid incommodi, ac periculi immineret. Sunt & qui dicunt, Amurathem ſuppoſititium Iudæique filium fuiſſe. Sic enim Salomon Schvveiger, in ſeiner Raiß Beſchreibung lib. 2. cap. 46. Der gemein Pöfel hält darfür/daß dieſer Sultan Murat/kein gebohrner Türck/noch von Kayſerlichem Geblüt/ſondern von ſeiner Geburt an/eines Juden Kind ſeye/vnd ſprechen: Sultan Selims Gemählin hab jhm viel Töchter nacheinander gebohrn/darob er vbel zufrieden geweſen/daß er auch damahl/als ſie mit dieſem Murath ſolt ſchwanger gangen ſein/auß Zorn geſagt hat/wo ſie jhm auff dißmahl wider ein Tochter vnd nicht ein Sohn gebähren würde/ſolt es jhr das Leben koſten. Kurtz hernach/hab ſie jhm ein Töchterlein gebohren/darüber die vnſehlig Mutter ſehr erſchrocken/es ſey aber ein Weibsperſohn/ein Judin/zugegen geweſen/die hab die Kayſerin getröſt/vnd geſagt/dieſer ſach ſey leichtlich zu helffen/dann die vorgehend Nacht/hab ein Jüdin ein Knäblein gebohrn/die werd nicht darwider ſein/jhren Sohn an diß Töchterlein zuvertauſchen. Dieſem rathſchlag hab die Kayſerin gefolgt/vnd jhr Töchterlin/an dieſen Juden Sohn Murath vertauſcht/vnnd ſey der Kayſer beredt worden/diß ſey ſein Sohn.

3. De initiis porrò Perſici belli, ita *in ſupplem. Annal.* Leunclavius. Mortuo Scacho Techmaſe, Parthico, ſucceſſit filius non primogenitus, Muchemetes Hodabendes; nec Iſmail, eius nominis in hac Sophinâ familiâ ſecundus, ſecundo loco genitus; ſed proximus ab his Haidar Miriſes: qui annis aliquot anteà, patris in regno, supremâ cum poteſtate vires geſſerat. Is tamen vix XV. dicbus

diebus regno frui potuit, occisus à Sultanis quibusdam, sive proceribus regni, qui eum oderant. Hi deinde secundogenitum Schachi Techmasis filium Ismailem, eius nominis secundum, è carcere productum regno præficiunt. Fuerat enim à patre coniectus in carcerem, propter quorundam procerum delationes, & in eo pluribus annis hæserat. Iam regno potitus, ut animos suorum exploraret, ac præsertim ut cognosceret, quinam essent illi Sultani, quorum impulsu & consilio custodiæ mancipatus à patre fuisset: secretum in locum semet abdit, & quorundam operâ, quibus maximè fidebat, mortem suam publicari curat. Ejus rei fama, diversos in hominum animis motus, prout adfectus in Ismailem quisque fuisset, excitavit: in adversariis & hostibus lætitiam, in amicis luctum. Hoc modo prodentibus semet inimicis ac delatoribus, illatum ab Ismaile mortis supplicium fuit. Idem non Sultanos duntaxat sibi suspectos, verùm etiam fratres suos omnes, quotquot nancisci potuit, è medio sustulit. Et quia deficiente tunc à Turcis sangiaco quodam Curdo, aliqui proceres Ismaili auctores erant, ut illum Turcis dederet, ne pax inter utramque gentem dudum inita servataq; violaretur: non modò consiliis eorum non obsequutus est, verùm etiam dedendi supplicis auctores, bellique Turcici dissuasores, pœnâ capitis, ut proditores, adfecit. Quâ hominis severitate nimiâ, plerique graviter offensi, sexto regni mense venenum ei, sororis operâ, propinarunt: quo hausto, vitam cum morte commutavit. Eodem anno Schachi Techmasis filius primogenitus, Muchemetes cognomine Hodabēdes, quod

Persa-

Perſarum lingua Dei ſervum ſignificat, mortuis fratribus, ſuccedens; licet à naturâ quietis cupidus eſſet, inchoatum tamen ab Iſmaele fratre, contra Turcos bellum proſequi ſtatuit: quòd ei filius eſſet Emir Cuan Miriſes, magni juvenis animi, gerendarumque rerum inprimis avidus. Hunc copiis ſuis ſupremo cum imperio præfecit. Cauſæ belli variæ fuerunt, quas paulò altiùs heîc repetemus. Iſmaile Schacho ſuperſtite, quidam ſangiacus natione Curdus, cui nomen Abdallas begus, quùm quasdam ob cauſas in ſuſpicionem veniſſet, imperante Sultano Selime II, patre Muratis III, evocatus fuerat à Sultano Selime, ſub alio prætextu, qui barbarorum mos eſt, ad Portam uti ſe conferret. Paruit Sultani mandato Curdus, nullius ſibi culpæ conſcius, & Hadrianopolim ad Sultanum Selimem venit. Mandat Selimes, ut captus in carcerem coniiceretur. Solet hoc fieri, quùm magnæ auctoritatis vel familiæ viri, adprehendendi ſunt, per Zauſiorum baſſam, qui præeſt aulicis nobilioribus, quibus Sultanus Muſulmanorum utitur, quemadmodum principes noſtri Commiſſariorum, variis in rebus expediundis operâ. Dũ Zauſiorum baſſa, ſangiacum hunc Curdum, Hadrianopoli prehendere, ſuis cum Zauſiis conatur, in Sultani Muratis II. meſſita; Curdus ſe cũ ſuis defendens, ipſum ibidem interficit, ceteris partim occiſis, partim vulneratis. Hâc de causâ Selimes ei, cum omnibus ſuis, cervices amputari juſſit. Quùm illo jugulato, fratris eius filius, ſucceſſionis jure ſangiacatum ipſius poſſideret: quidam alius adgnatus, aditâ Portâ Oſmanicâ, partim oblatis, partim promiſſis ingentibus do-

nis.

nis,tã ipsi Sultano, quàm consiliariis eius, quos Vezires adpellant, adgnati sui sangiacatum impetravit. Citatus alter ad Portam, qui rem omnē intellexisset, sibique metueret, ne absque culpâ suâ ferret eandem pœnam, quâ patruus adfectus fuerat: devitatâ profectione ad Portã, quasi de Sultani Selimis obtinendâ gratiâ desperans, in Parthiam profugit ad Schachum Ismailem secundum; qui tum rerum apud Parthos potiebatur. Sciendum verò, sangiacos illos Curdorũ, licet imperio Sultani Osmanidæ contineantur; non tamen ita præfici, quemadmodum alii sangiaci solent: sed similes esse Vaivodis, sive Palatinis, & præsidibus Trãsylvaniæ, Valachiæ, Moldaviæ; quos oportet esse filios procerum, in ipsâ regione patriâ natos, & à suis optimatibus ac populis electos. Curdi verò, haud dubiè ducunt originem à Chaldæis & Mesopotamiæ populis. Constat enim Arabes hodieque Chaldæam vocare Keldan, quam Persæ cum Osmanicis, Curdistanum, hoc est, Regnum Curdorum adpellant. Et omnes isti populi sectæ sunt Mahumetanæ. Quùm igitur ad Persas sangiacus ille Curdus, de quo diximus, se contulisset; non modò perhumaniter eum excepit Ismail Schachus, verùm etiam omnem suam opem illi ad recuperandam avitam patritamque ditionem obtul[it]. Husreves autem bassa, qui Wani finitimæque [re]gionis tum beglerbegus erat, ceterique sangi[aci] limitanei, qui ad beglerbegatum ipsius perti[ne]bant; quùm hasce res intellexissent: damn[a] Persicis finibus, per excursiones inferre cepe[runt] quòd dicerent, Ismailis Schachi culpâ mutu[am] pacem violatam esse, qui Sultani Musulma[n...]

rum fugitivos & perduelles suam in tutelam contra pacis leges recepisset, eisque decrevisset opitulari. Hoc belli gravissimi, quod hactenus inter Persas & Turcas geritur, exordium fuit. Accedebant & aliæ causæ, præsertim ex superstitionum discidiis, vanaque somniorum observatione; cui gens Turcica nimiùm quantùm obnoxia est, collectæ. Nam ante triennium, per Anatoliam passim aliquot illorum millia, qui sacris Turcicis, eorumque disciplinis ac studiis incumbunt (Schophtalarios ipsi dicunt) sese commoverant, ac Persarum sive sophinorum religione, Turcicis opinionibus anteferre se professi fuerant: adeoque longiùs ea secta cottidiè serpendo, tantùm incrementi sumserat; ut etiam Constantinopoli reperirentur, qui eam probarent. Somnia verò fuerunt hujusmodi; quamvis apud Turcos necdum certò constet, an Sultani Muratis hæc fuerint, an eius sacerdotis, quem Scheichem Turci vocant. Creditum tamen à pluribus, ipsimet Sultano Murati, oblatum fuisse somnium priùs; & alterum Muratis Scheichj: quo nomine veniunt certi sacerdotes, pro viris sanctis apud ipsos habiti. Quippè per quietem stare sibi visus est, in medio mundi, sub arbore maximâ cujus essent rami duo, longissimum ad intervallum exporrecti. Nam alter ad extremos solis orientis, alter ad occidentis fines extendebatur. Præterea sibi visus est conspicari serpentem, magnitudinis immensæ; quem ab oriente profectum, & ad se provolutum, fuste, quem manu teneret, interfecerit. Hoc somnio nonnihil commotus, & experrectus fuit. Priùs verò, quàm ad explicationem alterius somnii, accedamus, indi-

indicandum lectoris causa venit; Mahumetanos, ultra quatuor Mahumetis socios, quorum nomina sunt, Ebubekir, Omer, Osman, & Alis, (& fuere Mahumetis hi successores, ac propagatores Mahumetanæ superstitionis) alios quatuor eximios Imamos, sive Doctores venerari: quorum primum Ebubanifem, propterea quòd supremum inter hos locum obtineat, Imamum azemem, sive Doctorem summum adpellare solent: alterum vocant Imamum Malichim, tertiū Imamum Schaafim, quartum Imamum Achmetem Henbelim. Hi quatuor, sive doctores, sive sacerdotes, Persis infestissimi fuerunt: ac vicissim magno Persis est in pretio Scheichis Haidar, auctor religionis ipsorum hodiernæ, quem extremè Turci detestantur. Quùm igitur obdormiisset, videre sibi visus est propè portam paradisi Ebuhanifem, quem (uti modo dixi) summum sive sacerdotem, sive pontificem vocant. Is compellato Sultani Muratis Scheiche vel viro illo religioso: Abi, inquit, ad Chalifen terræ, (hoc est ad vicarium sive successorem prophetæ Mahumetis. Nam persuasi sunt Osmanici, principem suum, esse Chalifen hujus seculi) eique dicito: Imamum Azemem hoc ipso die, quùm egredi è paradiso vellet, Scheichem Haidarem ante paradisi fores invenisse: quem prælio adortus, non modò vicerit, verùmetiam occiderit: adeoque sectam ipsius nunc finem habituram. Hortaberis ergo Chalifen, ut adversus hæreticos arma capiat: quos auxilio divino superabit, deque facie terræ dissipabit. Recitatis duobus hisce somniis; primum Sultani Muratis Scheiche sic interpretatus est: ut diceret, medium mund

sign

significare sedem ipsius Sultani Muratis imperialem; & arborem cum duobus maximis ramis, denotare amplitudinem imperii Sultanici. Per serpentem intelligi hostem ipsius orientalem; hoc est, Schachum Persicum: quem bello superaturus sit, & occisurus, ejusque regnum adjuncturus Osmanidarum imperio. Consimiliter etiam per id, quod Imamus azemes, prælio Scheichem Haidarem adortus vicerit, futurum significari; ut Persarum hæresis una cum omnibus, qui eam sectarentur, usque adeò dissipetur, & aboleatur, nullum ut ipsorum vestigium futurum sit reliquum. Præterea Sultanum Osmanidam, futurum mundi totius Chalifen, ac dominatorem. Hoc modo, quùm utrumque somniū Scheiches interpretatus esset: voluit Sultanus Murates etiam Hoggiæ sui (sic apud ipsos vocantur, qui nostris sunt presbyteri) judicium audire: cui statim ea placuit interpretatio. Neq; defuere, qui dicerent, secretum quendam inter hunc Hoggiam, Scheichemque consensum, mutuumque de persuadendo Sultano pactum, intervenisse. Solus Mechemetes bassa, vezir azemes, (quem supra Selimis II. generum fuisse diximus, & qui deinceps An. Chr. 1579. domi suæ, quùm omnibus adeundi se factâ copiâ, jus diceret, nequiter à Dervisio quodā interfectus fuit) auctor eius belli esse noluit, quòd liberè consulenti sè Murati diceret, nequaquam Persis bellum inferendum, qui jam tot ab annis, pacem Osmanidarum cum gente coluissent. Rationibus & argumētis aliis adjungebat elegans, quod Græcis & Turcis usitatum est, proverbium: Caudam serpenti, qui dormit, non esse calcandam; cete-

ceteroqui futurum, ut excitatus, capite sursum erecto, terribiliter pungat. Ad summam, bellum hoc Mechemeres bassa modis omnibus dissuadebat. Addendum & hoc, ut odia gentis utriusque mutua, rectiùs intelligantur, Persas inimicissimos esse tribus Mahumetis prophete sociis, Ebubekiri, Omeri, & Osmani: studiosissimos autem quarti, videlicet Alis. Iidem Persæ tradunt, angelum Gabrielem, quùm è cœlis in terras portaret Alcoranum, Ali reddendum; errore quodam, eum Mahumeti obtulisse: Deumque, velut eâ re nequaquam offensum qui Mahumetem quoque tali dono gratiaque dignum videret, planè nihil obloquutum esse. Prætereà dicunt iidem Persæ, primam uxorem Mahumetis, cui nomen fuerit Aische, nunquam fuisse castã. Immò prophetam Mahumetem, qui se putaret inventurum virginem, ac pudicam, reperisse plane contrarium. Addunt etiam, quod exstincto propheta Mahumete, quùm Alis, propinquus & gener ejus, electus fuisset Chalifes, sive vicarius & successor ipsius. Ebubekir, favore malignorũ quorundam adjutus, per injuriam, contra factũ à prophetâ testamentum, se constituerit Chalifen. Idem post ipsum, reliquos etiam duos, Omerem & Osmanẽ, factitâsse. Alim intereà, quâdam in speluncâ semet abdidisse, donec omnes ordine morerentur, atque ita tandem eis successisse. Quum ergò tres isti, contra supremum elogium, præceptumque prophetæ Mahumetis, deliquerint: nullam iis Persæ fidem adhibent, quæ à tribus illis vel tradita voce, vel litterarum monumentis prodita sunt. Immò ubicunque libros ipsorum, & scripta reperiunt, confestim flammis exurunt,

exurunt, & crudeliter in eorum observatores animadvertunt. Iidem Persæ, Schachum sive regem suum adorant, & ita venerantur, ac si Deus quispiam terrenus esset. Non etiam quinquies interdiu noctuque precari solent, Osmanicorum more, sed semel duntaxat. Ad summam, sectatores sunt religionis, à doctore quodam eis traditæ, cui nomen fuit Scheiches Haidar: & quidam ex ipsis alterius quoque doctoris vestigiis insistunt; quem Imamum Harustim adpellant. Hi duo doctores, vel Imami, exstiterunt in urbe Persarum Reza, quo tempore vixerunt Erdebil, Vsumchasanis Schachi Persarum gener, & Schachus Ismail, eius nominis primus, Erdebilis filius, Vsumchasanis ex Martha filia nepos. Quũque doctores hi, tam concionando, quàm scribendo, ea proposuissent, quæ diximus: duo illi principes, Erdebil & Ismail, pater & filius, eorũ doctrinam, sectamq; probarunt & amplexi sunt. Ac filii quidem Ismailis, cognomento Sophini, ea felicitas fuit, ut novæ religionis, quam Sophinam vocarunt, famá confluentibus ad ipsum parvis initiò, deindè majoribus hominum copiis: tandem præliis victos Persarum reges, Iacupem avunculum suum, ejusque filium Alvantẽ, occiderit; ac sibi regnum subjecerit, ad posteros etiam, dignitate regia in hunc usque diem propagatâ. Nihilominus illi duo Persarum Imami, sive doctores, Haidar & Harustis, non Osmanicorum duntaxat, verumetiam aliorum Mahumetanorum exsecratione, damnantur; tam in Barbaria vel Aphrica, quàm in Keziis bassæ, latissimo imperio, qui magnus Tartarorum Chan Chitainus, vulgò dicitur. Has omnes igitur ob

causas, adeò Persis infesti sunt Osmanici, ut horum Muphtis, hoc est, patriarcha vel summus pontifex, hanc de ipsis sententiam tulerit: Gratiùs nimirum, & acceptiùs esse Deo, religionis Mahumetanæ causâ Persam unum occidi, licet professione Mahumetanus sit; quã si quis LXX. Christianos, à Mahumetanis in religione prorsus diffidentes, interficiat. Denique constat, id tempus, quùm Cæsaris Christianorum, ad Portam Osmanicam Orator, Davides Vngnadius, Baro Sonneccianus, Constantinopoli discessurus, & Sultano Musulmanorum valedicturus erat: eandem ob causam, legatum etiam Persicũ, ad Divanum se contulisse. Hunc paullò serius adveniẽs orator Cæsaris nostri, locum primum, sibi debitum occupâsse conspicatus; insalutato Sultano, discessurus erat. Sed Mechmetes bassa Vezirazemes, eâ re animadversâ; Persam, licet Mahumetanum, inferiore loco sedere jussit. Vnde patet, apud Turcos pluris Christianos religione diversos, quàm Persas Mahumetis cultores fieri. Dictum superiùs, inchoatum fuisse bellum sub Ismaile secundo, Scacho Persarum: quo non multò pòst mortuo, licet frater & successor in regno, Scachus Muchemetes Hodabendes, ceptum à fratre bellum prosequi decrevisset: tamẽ ut eo paratior accederet, aliud agendum & aliud simulandum duxit; regno præsertim non ita pridem adito, nec satis adhuc compositis rebus, quas Ismailis temeraria crudelitas, non parum perturbârat. Itaque moderationem quandam præ se ferens, quâ turbis inter utramque gentem nuper exortis remedium adferre cuperet: legatos cum literis ad Sultanum Muratem misit,

quibus

quibus significabat, numquàm se fratris in abrumpenda pace consilium probasse: sed in primis hoc semper desiderâsse, uti semel inter utrâque familiam constituta, totque iam ab annis culta pax, & amicitia mutua, perpetuò conservaretur. Ab alterâ parte Murates, qui veram crederet expositionem, ac declarationem indicatorum somniorum; & citra intermissionem, ad inferendum Persis hæreticis bellum, accenderetur à prædictis Scheiche atque Hoggia: flocci legationes ac literas Schachi Muchemetis faciebat; adeoque vix auditis legatis imperabat, ut numerosus ac præpotens cogeretur exercitus. Accedebat impulsor alius, nec minus acer, Husreves bassa Wanensis: qui cottidiè veredarios cum litteris Constantinopolim missitabat, per quas litteras Sultanum Muratem certiorem reddebat, reâpse Persas pacem non expetere: sed dicis duntaxat causa, litteras & legatos ad Portam misisse: quò scilicet moram interponeret, seque parando bello rebus ab omnibus instructiorem efficeret. De pace autem, cum Persis inita, ita Thuanus lib. 26. Fœdus à Murate cum Persis, eorumq; rege Mehemete cognomento Hodabende, ictum tandem fuit: quùm integros quindecim annos, bellum variâ utrinq; fortuna gestum esset: sic ut locorum quidem compluriùm, ac Caspini quoque, ubi interior sedes Persarum regum erat, Turcæ potirentur: extrema tamen & ferè incredibilis Turcarum strages aliquot præliis & conflictibus edita esset; eorumque exercitus (cui primùm Mustaphas purpuratus, cujus immanitas & perfidia, bello Cyprio adversus Venetos gesto nobilitata est, item Osmanes, de-

indè Sinanus. Guletâ captâ & eversâ clarus, postremò Ferhates præfuerat) sæpiùs ad internecionem fusus fugatusque esset; ipsique Turcæ ferro, fameque, & rerum omnium necessariarum inopiâ pressi, & ad contemnendam paupertatem sæpè redacti, transmarinum bellum, diris omnibus devoverent, pacemque & ocium, vel maximè præoptarent: ut post tot & tantos laboresque, rerumque omnium difficultates exantlatas, quiete & tranquillitate partâ, apud suos penates frui possent. Tentata quidem fuit sæpenumerò pax, & amicitia per legatos utriusq; gentis; sed Turcis difficiles & intolerandas conditiones postulantibus, coalescere nequaquam potuit. Postmodùm cum utrosque tædium diuturni difficilisque belli cepisset; his demùm legibus pax cōstituta, ut utraque pars quod in manu & potestate haberet, id retineret. Et Hodabendes; obsidibus, qui è regio sanguine originem ducerent, datis, de pace servanda caveret. Itaque brevi post Hodabendes, solennes legatos, simulque Haidarem puerum, Abâ fratre suo uterino genitum misit, matre illius singulari pietate filium comitante, qui obsidis loco Constantinopoli servaretur: sicque relictis, qui regiones in potestatem redactas in officio continerent, locaque bello capta munirent, præfectis, exercitus ex Asiâ deductus est. Habet autem progressum huius belli diuturni, *dicto loco* Leunclav. & inprimis Iohannes Thomas Minadous *in Histor. bellor. inter Turcas & Persas gestorum.* Natalis item Comes *lib. 28.* Thuan. *lib. 67. 73. 77. 80. & 84.* Hisce verò de rebus, ita Lazarus Soranzius, *in Ottomanno cap. 49.* Bella Amurathes, plùs religionis causâ, & ut subditos conti-

continuò in arte & diſciplinâ militari exerceret, geſſit; quàm quod ingenio bellorum avido, & pugnaci eſſet. Cum Mahumethe Qudabanda Perſarum rege (qui Tamas patrem, & Iſmaelem avum habuit) & cum Abbas, qui nunc eo Imperio potitur (quem malè quidam Mirifa vocant, quod primogenitum regis, & proximum regni ſucceſſorem, denotat) ſtrenuiſſimè per 15. vel 16. annos bella geſſit. Nec unquam pacem ſe initurum cum Perſâ jactavit, priusquam Casbin, quæ eſt ſedes regia, occupaſſet: idque duabus de cauſis, ut nimiru cineres Baiazethes filii Solymanni, recuperaret; qui parentis iram fugiens, ad Tamas regem ſe receperat, à quo in gratiam Solymanni, quem ſibi Tamas reconciliare cupiebat, interfectus fuit. Deindè ut everteret ſepulchrum Aiduelis, patris Iſmaelis illius, qui ſectæ Perſianæ primus author extitit. Amurathes verò, tandem non minùs quā eius ſubditi, diuturni iſtius belli laboribus & curis defatigatus; re cum Perſis compoſitâ pacem iniit: tum quòd regionem ampliſſimam maximâ ſuâ cum laude & gloriâ acquiſiviſſet, quâ meritò contentus eſſe debebat; tum verò ut eâ ratione, regionem bello partam componeret, tutamque pace redderet, eamque in Timarorum formam redigeret: quibus inter ſubditos, nuper ſibi ſubiectos diviſis eorum benevolentiam ſibi conciliaret, propugnacula paſſim ad limites imperii conſtrueret, quæ ſibi invicem, periculo imminente, ſubſidio & auxilio eſſe poſſint.

4. Interim autem, dum Amurathes, pace fruebatur, domi deſidebat ocioſus, & Melancholicus. Conſiliarii eius intimi, multis rationibus

ad novum bellum ſuſcipiendum ipſum pertrahere conabantur. Quod magna imperia, ſine armorum uſu diu conſiſtere non valeant: quod Reſpublica Romana, quousque cum Carthaginenſibus, & ipſi Romani Imperatores in Germania bella geſſerunt, imperium firmum & ſtabile conſervarint: quòd, qui ante ipſum regnârunt Ottomannici Imperatores, horum exempla ſecuti, nunquam belli finem pacem (ut Principes Chriſtiani, & qui ſuis viribus diffidunt, facere ſolent) ſibi propoſitam habuerint, ſed omni tempore bella foverint; quibus non modò Imperium, ad eam, in quâ nunc, magnitudinem evexerint; verùmetiam ſubditos bellis occupatos & diſtentos, à rerum novarum ſtudio & ſeditionibus, quæ ocium parere ſolent, diſtraxerint: quòd ſubditi tempore pacis, alii de bellicâ fortitudine multum remittant, alii nimis avidè mercaturæ ſe dedant, alii deprædationibus inhient. Hinc ducum atque militum, qui fortiter & audacter ſe belli periculis obiiciant, inopiam neceſſariò induci: cùm ſolius belli uſus, atque exercitatio, milites aptos & idoneos ad militiam reddat. Conſtat enim iisdem, quibus res acquiruntur mediis, ut plurimùm easdem conſervari: quod verum eſſe plurima exempla & argumenta docent. Baſſæ verò, qui, quas dixi belli movendi rationes Amurathi allegârant, maximè ſuum commodum, & utilitatem ſpectabant. Inprimis verò Sinan ille, & Feratus; inter quos perpetuâ æmulatione, uter alteri honore præcederet, concertatum eſt. Hi non ignorabant, tantâ auctoritate ſe pacis tempore frui non poſſe, quantâ in bello pollerent. Nec ad eas ſe redire divitias,

nas, quas præ nimiâ avaritiâ, immensâ libidine sitiebant. Bellum igitur mordicus suadebant, nec minus in id incumbebant Galliæ, Angliæ, & Principis in Geilan legati. Octo autem fuerũt consiliariorum Turcicorum de bello movendo opiniones. 1. Vt bellum contra Persas renovetur. 2. Vt arma inferantur Marachiensi & Fezensi regi. 3. Vt contra regem Hispaniarum bellum suscipiatur. 4. Vt Malta insula, obsideatur. 5. Vt armis petatur Veneta Respublica. 6. Vt parti alicui Italiæ, bellum moveatur. 7. Vel regi Poloniæ. 8. Vel ipsi tandem Imperatori, & Vngarorum regno. *Soranzius cap. 50. & seq. Thuenus lib. 104.* Quique octavam & ultimam dixêre sententiam; bellum nempè Romano Imperatori (quẽ Turcæ regem Viennæ, quē illis Betz dicitur, nominant) inferri debere: Causas belli movendi has profeferebant, quod Vscocchi eò insolentiæ processerint, ut terrâ marique, Turcas sine intermissione deprædarentur: undè non modò propter damna, quæ inferantur subditis, sed propter ipsam Imperii Ottomannici maiestatem & honorem, eorum audacia, diutiùs non perferenda. Horum injuriis præcipuè factum esse, quòd mercatores, privato suo cum damno, & publico Imperatoris detrimento, Narentâ seu Naronâ, Turcici Imperii oppido relicto, Emporium sibi constituerint Salonam (hodie Spalato) quæ ditionis Venetorum est. Sed ne sic quidem mercatorum securitati consultum esse; licet pax cum Imperatore & Venetis, observetur. Nam & terrâ omnia deprædationibus ipsos miscere, animalia abigere, pagos exurere, liberos è matrum complexu & sinu, abripere. Hinc quis animus ipsis sit, facilè

multis abhinc annis, Germani bella nulla gesserint, ad arma tractanda minùs eos fore idoneos, & ducibus parum obedientes. Eos nunquam non diffidere solitos Vngaris, Italis, & Hispanis; quòd hæ nationes, à Germanis parum diligantur, ne dicam odio habeantur. Qui etiam inter se, propter variarum religionum studia, non cōsentiant; & semper in eo versentur metu, ne forte Imperator, Turcam bello vicerit, religionem, quam semel receperunt, iterum eiurare, & Pontifici Rom. jugo se submittere cogantur. Hanc ob causam, à bello ipsos potius, atque auxiliis summittendis, abstenturos, quàm ut sui & Imperii defensionem, suscipere velint. Nec verendum esse, ut exteri Principes, Imperatori hoc bello occupato auxilium ferant. Polonum & Transylvanum, nunc in pace cum Turcâ vivere, nec belli tempestatem in proprias ditiones derivaturos. Tum etiam, quòd Poloni eo in metu sint positi, ne patriæ limites deserere, & versus mare glaciale se conferre cogantur. Transylvanus verò, à Turcico Imperatore, Imperium acceperit, quo rursùs ab eodem exui, & spoliari possit. Regem Hispaniarum, eâ quidem valere potentiâ, ut maxima Domus Austriacæ auxilia subministrare possit; verùm aliis in locis ipsum distineri. Pontificem Romanum, non ubivis locorum præstò futurum. Italiæ Principes, neque thesauros suos, neque subditos in alterius gratiam insumpturos. Venetam Rempublicam, nō temere Turcarum arma in se concitaturam. sed ociosè potiùs belli spectare exitum, quàm alieno periculo se immiscere, præoptaturam. *Sor. nazius cap. 55.* Non planè absimilia habet Isthuanfius

lib.27. Vbi inter alia: Pace cum Persis factâ, que obsidibus præcipuis stabilitâ, Murates ex citum tot annorum laboribus, & ærumnis sum, quietè & ocio recreare, dimissusq; ad stationes militibus, vacationem dare constit Nec deerant præcipui ex purpuratis, quor numerum auxerat, qui id imprimis necessari esse arbitrarentur, ac ut exequeretur, rectissi consiliis, suadere contendebant. Verum Si nus, qui sublato nuper è medio & strangul Ferhate æmulo, ad clavum & gubernacula perii sedebat, ac lentum & pacatum Muratis genium, fallacibus & subdolis consiliorum rum rationibus, quò volebat impellere pote bellum in Europam trãsferendum, ac Polon aut Venetos, aut certe Pannonios armis la sendos, & compescendos differebat. Quibus metsi pacem concessam esse non iret inficia la tamen, ab iis, crudelissimis in Turcicam tionem factis excursionibus, identidem viol tur, & Cæsar, ad mittendum munus honora jam à biennio intermissum, quamquàm sæ solicitatus, adduci nondum potuisset. Var tibus in hunc modum sententiis, visum Mu fuit; ut priùs quàm de summâ consultati deliberaret, Muphti summo superstitionis humetanæ antistiti, in consilium adhibito ordine referrentur; quò salvis auspiciis, & gione, maturè omnia terminari possent. quùm in Divanum (quo nomine public Turcis concilium vocatur) accessisset, alioru sententias referentibus scribis didicisset in modum loquutus esse fertur. Si principib Imperatoribus nostris, quorum opes in ex

ſunt, in uſu fuiſſet, adverſus hos, aut illos reges, aut populos, pro arbitratu & libidine, non maturo conſilio ac ratione, bellum ſuſcipere; ac fortunæ temeritati, quæ ut plurimùm vitrea, fragilisque eſt, rerum ſummam committere; ſupervacanea nunc de iis rebus diſceptatio inſtituta eſſe videretur. Verùm poſtquam conſiderandum ſemper, & prudenter dijudicandum cēſuerunt; quâ rerum opportunitate, quibusnam hoſtibus, quo ordine, quibusnam de cauſis, bella inferenda eſſent: in deliberando quidem maturis conſiliis, in aggrediendis verò expediendisque rebus, celeritate ac conſtantiâ, indomitisque viribus, arma tractarunt. Quibus etiam ſummæ prudentiæ & expediti roboris artibus, & adminiculis, ab Oriente in Occidentem, admirabili virtute, & gloriâ, innumerabilia trophæa ex diverſiſſimis orbis terrarum nationibus, & ingentes victorias, pepererunt; imperiumque longe lateque productum, poſtremò in hac urbium reginâ Conſtantinopoli, feliciſſimè condiderunt. Eorum ſequutus morem, potentiſſimus Imperator noſter, qui nunc rerum potitur (cujus ut unicus dies, concedentibus ſuperis in millenos extendatur, precor) Perſas Deo & hominibus inviſos, noſtræque religionis impios deſertores, armis perdomitos, pacem petere coegit; eamque ipſis, uti planè victis, & ſub jugum miſſis, ita conceſſit, ut conditiones vel non ſatis æquas accipere, easque obſidibus è regio ſanguine progenitis, firmare ſint coacti. Nunc utrum victori exercitui quies, & ocium detur, vel bello in Europâ, adverſus Chriſtianos tranſlato, his aut illis rationibus, regibus, aut popu-

lis, provinciisque arma inferantur? in quæſ
nem & diſceptationem vocari, animadve
Mihi quidem ſive externas, ſive domeſticas
conſidero; pace nihil æquius, nihil tutius
videtur, graviſſimis hanc in rem rationibus
junctis. Soluto verò cõcilio, Sinanus Mupht
honoris & venerationis causâ, in convivium
cavit; quod illi ſupremum fuit. Et cùm eum
ſe, uti rebatur, infenſiùs loquutum, graviter
digneque, vir ambitioſus, & crudelis tuliſſet;
profundâ ac cæcâ diſſimulatione, in præſens
voraſſet, venenum inter epulas ei clam præb
dum curavit: quo tabefactus, antequam ſua
res & auctores belli, excommunicare poſſe
medio tolleretur. Et tanta ejus, ſive de induſt
ſive caſu in eum modum temperati, eneca
facultas fuit; ut quamquàm poſt intervall
aliquod, vires & effectum exercere debebat;
men cùm poſt convivium, gravatò tormini
ſtomacho, equum popoſciſſet, quo domùm
heretur, à gradibus atrii, usque ad fores ædi
quæ in plateam aperiebantur, progredi nec
verit, quin equo decideret, & protinus exſp
ret. An autem Murati gnarum fuerit, illum
neno periiſſe, aut forſan à Sinano perſuaſus,
mio imbecillis ſenectæ vitio, repentè ex
natum fuiſſe crediderit; mihi quidem hacte
incompertum. Intereà Sinanes, uti erat inge
turbido, crudeli, & furioſo, ac Pannonici b
cupidine, quod præ aliis adminiſtrandum
creverat, æſtuanti, adeoque in rabiem quand
verſo; per litteras Haſanem Boſnæ præfectu
ſerio admonuit, ut eâ in parte, bello Cæſa
nis illato, cauſas novarum rerum quærere
in

intermitteret: sicut postea se ab iis, contra inducias armis petitum, scriptis Byzantium literis, astutâ dissimulationis ostentatione conquereretur.

5. Sed non caruit à Deo præmissis nuntiis, hocce Vngaricum bellum. Anno enim Christi 1585. Præter summam pestilentiæ vim, passim in Pannonia sævientem, prodigia multis in locis visa; curiosorum mortalium animos, haud levi pavore terruisse videbantur. Calendis enim Ianuariis, Posonii, Lagrabiæ, multisque aliis Pannoniæ Illyricique partibus, ingentes terræmotus extitisse, nunciabantur: tum verò Viennæ, adeò tremuerat, ut aliquot in urbe domus, repentino vicio facto, ruinam minarentur, & turris illa alta, ac sumptuosissimi, elegantissimique operis, non sine gravissima vicinorum formidine, collapsura crederetur: cujus aliquot turriculæ haut modicâ tectorum strage, decidissent. Apud Ovarium quoque, inter Danubium & Laitam flumina, terra ad magnum spacium, ignem concepisse visa est; ita ut trium pedum profunditate arderet, flammasque eructaret, quibus multum fœni in jumentorum usum desectum, & in cumulos coacervatum. Et quod vix sine admiratione credatur, Anno 1587. in Illyrico, ad oppidum Bihigium, quod flumine uno circumfluente, in modum insulæ cingitur, noctis silentio, ingens multitudo anatum atque anserum provolavit; ac incredibi strage, inter se depugnavit: ut nimio alarum strepitu, ac inusitato vocis clangore, milites excitati, oriente sole, in pugnæ locum exirent, & aliquot millia utriusque avium generis, mutuis vulneribus ma-

ctata colligerent; tantâ copiâ, ut supra recen obsonii lautitiam, in futuros quoque usus, f mo & sale maceratæ, reconderentur. Quæ a quandiù per ora hominum passim jactata, d mum voluntariâ oblivione obruta sunt. Sed it rum Anno 1590. terra vehementi impetu, mu tis in locis tremuit; ita ut Viennæ & Posoni Tirnaviæq;, & propinquis in locis, ac in Illyric Zagrabiæ, & non procul à mari Segniæ, non sin ingenti mortalium formidine, collapsis plerisq ædificiis, moveretur. Posonii verò, etiam fortuitus ignis, ex angiportu, in quo officinæ fabroru ferrariorum, non procul à superiore urbis portâ habentur, meridiano tempore subortus, usque adeò immani violentiâ debacchatus est; ut præter sacratarum Virginum Cænobium, templumque Divæ Claræ, eodem igne correptum ac concrematum, tota ferè urbs, paucissimis domibus exceptis, populantibus terribili velocitate, cuncta incendiis conflagraret. Mansit tamen intactum, ope numinis, templum majus Divo Martino sacrum, & Franciscanorum sodalium collegium cum templo; ac domus Archiepiscopalis, cum sacello Divi Ladislai regis, ac prætoriū urbis: cæteris omnibus, publicis privatisque ædificiis, eodem igne quàm citissime cōsumptis. Mox juvantibus ventis, suburbana etiam ædificia, sub radice montis, cui arx imposita est, & attiguas versus solis ortum domos, inflammavit; & momento temporis, miserabili vastitate, atq; strage, absumpsit. Quod si repentinum istud, atroxque incendium, nocturni temporis obscuritate erupisset; res & fortunas miserrimæ urbis, longè majore proculdubio cladis mole, afflixisset: quan-

ſet: quandò ſcilicet pervagantibus ubique ſummâ rapiditate flammis, non tam facilè, ut interdiu, remedia ad reſtinguendum adferri potuiſſent. *Iſthuanfi, lib. 26.*

6. Bellum autē hocce Vngaricum, per quindecem continuos annos, vario & ancipiti Marte, ita geſtum eſt; ut hinc diverſæ Chriſtiani nominis gentes & nationes, pro reipub. ſalute; illinc barbari, ab ultimis Aſiæ, Syriæque & Aegypti finibus exciti; adeò pertinacibus animis, armisque inter ſe contenderent, ut jam non de Pannoniæ poſſeſſione; ſed adverſus Germanos, vetere militiæ gloriâ, & præſenti libertate ſpoliandos, periculoſiſſimum certamen ſuſceptum eſſe, & ſæpè utra pars periculo propior fuerit, in dubio incertoque hærere videretur. Iſthuanffi, *lib 26.* qui bellum hocce, *in libris ſequentibus*, ſatis fide, & per omnes circumſtantias, deſcripſit. Et ferè ab initio huius belli; ſinanus Baſſa, Iaurinum obſedit. Ac ferunt Hardecum, qui Iaurienſi præſidio præerat, audito hoſtium adverſus eam urbem obſidendam propoſito, præferocem & gloriabundum, in ea verba prorupiſſe: ut ſe gratias Deo Optimo Maximo ingentes habere diceret, qui hunc hoſtibus animum indidiſſet, ut Iaurinum potiùs, quàm alium minus munitum locum, obſiderent: quòd ſe urbem, ad extremum usque ſpiritum, fortiter tuente, rebus infectis, & funeſtâ etiam, ac ignominiosâ clade acceptâ, diſceſſuros certè ſperaret. Nicolaus Perlinus Vrbinas, architectus, & oppugnandarum defendendarumque urbium, mirum artifex habitus; terrenos aggeres oblongos, & denum pedum craſſos latosque, inſtar propugnaculi extra urbem.

ex ad-

ex adverso portæ, quæ sacra vocatur, extruend
curaverat: tormentaque currulia, & aliquot c
hortes sclopetariorum, iis tuendis imposuera
è quibus hostes aliquamdiu à propiore urbis a
cessu, arceri posse censebat: Exercitus Christi
nus, satis numerosus, non procul à Iaurino ve
sabatur: transierantque jam complures dies, q
castra castris, interfluente Danubio satis propi
quá fronte, collata erant: ita ut continuis vi
liis & minutioribus prælis milites utrinq; c
pora atque arma exercerent, ac interim tor ne
tis omnia quaterentur. Intereà, Tartaroru
quoque quos Precopitas & Querceios voca
princeps Cazis nomine, cum XXV. millib
equitum suæ gentis, qui sagittarii omnium p
ritissimi habentur in castra venit; mirumque
ctu, quantum Sinani & Turcarum animos, a
ventu copiisque suis recreavit. Hunc in modu
auctis, acerrimo militum genere, ac distinend
& inquietandis nostris aptissimo, Sinani copi
ante omnia Perlinianos aggeres, pulsis nostr
rum sclopetariis, in potestatem redigere con
tuit. Igitur cohortatus Ianiceros, & quemli
militum promptissimum, eos tormentis j
anteà quassatos, invadi jubet, ac acerrimè op
gnari. Nostri, qui tuendis illis, impositi era
non diu protracto certamine, fœdo metu per
riti, terga dant. Hos fugientes, conspicatæ It
cæ cohortes, quas ex Hetruriâ Iohannes Me
cæus Florentini principis frater, adduxerat; V
ginio Vrsino duce, è statione suâ, per pont
subsidio procurrunt, ac celeriter opem fer
pulsisque magnâ virtute Turcis, aggeres re
perant. Quos tamen tormentis hostium a
di

dirutos, ut sine detrimento & periculo defensorum, diutiùs servari nequaquam posse viderentur; posteà nostri, retractis in castra tormentis, deseruerunt. Sinanus verò, aggestis novis aggeribus, propiùs urbem tormenta promoveri, ac mœnia & munitionem, quæ ad portam Sacram constructa, indesinenter verberari jussit. Quorum vi ac impetu, non mœnia duntaxat, & propugnacula; verùm etiam interiores domus & ædificia, vehemẽter infestabantur: adeo ut multi milites, ultrò citroque commeantes, quotidie perirent. Sinanus insuper, advocatis Ianicerorũ tribunis, ac magistris fabrum, quos secum adduxerat, naviculas conquiri jubet, trium aut quatuor hominum capaces, plaustrisque vectas, in fossam demitti; quibus singulis ternos fabros imponit. Ii silentio noctis, tacitè proximè oppido succedunt; ac malleis & instrumentis quibusdam ferreis, in imo acuminatis; muros, qui latericii erant, suffodiunt: ita ut uno aut altero laterculo exempto, cæteri facilè eliderentur. Quo posteà in loco, pluribus identidem operis immissis, ingens ligonibus & batillis scrobes effoditur, & pulvere sulphureo impletur. Nostri periculo animadverso, ad deturbandos eos, qui in opere erant, sine mora concurrerunt. Verùm quùm sub imâ propugnaculi patre, nec peti glandibus, nec majoribus pilis possent, & consistendi in muris facultas, fulminantibus ex aggere omnibus hostium tormentis, nequaquam esset: operæ hostium, funiculo indito ignito, quò pulvis ad certam temporis moram incenderetur, retrocessère. Paucis; qui postremi erant, nostrorum superventu, trucidatis. Nec mora, propu-

propugnaculum ingenti edito fragore, disj
concidit: sed non adeò lato hiatu, ut irru
posset; & flumen obstabat, nequaquam l
pervium. Hæc res obsessos, & maximè Har
perterruit; ita ut si hostes eiusmodi artifici
nere, pluribus locis usi, muros perfoderent, r
sitando & diversa inter se consilia miscendo
urbe retinenda desperare viderentur. Sinan
contra propositi sui tenax, quò Iaurinum in
testatem, eò commodiùs redigeret; Danub
vel invitis nostris ponte consternere, aut e
rum summâ, cum Christianorum exercitu
decernere: aut si ii vitato congressu retrò c
rent, oppidum verâ vi expugnare, aut ad
terrore, ad deditionem compellere dec
Cùm ergò, omnia ponti construendo necess
comportari jussisset, ut quod animo vol
benè verteret; succensis per omnia tentori
numeris cereorum luminibus, præcinenti
Talismanis, preces & supplicationes, plac
numini fieri instituit. Quibus peractis, tor
ta currulia maiora, minoraque, fermè X X
ripas Danubii, longâ serie, interpositis cor
terrâ repletis, collocari jussit; quæ tuend
qui pontem curarent, subsidio essent. Qu
metsi ab hostibus, maximis conatibus, p
lìm fieri duces nostros minimè latebat;
tamen quâdam negligentiâ, adeò animo
poraque laxaverant: ut nedùm maturè ob
ire contenderent; sed etiam copias auxil
quæ audito hostium adventu, in castra c
nerant, domum redire permitterent. Pulsis
nostris, (pugnâ, ab illucescente aurorâ, a
usq; occasum, protractâ) ac cauto potiùs,

honesto consilio, castris Ovarium perductis; Sinanus eo victoriæ successu, animis auctus; Iaurinum, arctiori quàm hactenùs obsidione, circũvallavit; ac aggeres in suburbio Aquilonaris plagæ, quod ab Hardeco, sub advẽtum hostium concrematum erat, constitui, ac in iis decem tormenta collocari jussit, quibus mænia verberarentur. Et quanquam id sine intermissione fieret: quia tamen firmissima, multoque repleta cespite erant, ictus omnes irriti, vanique esse videbantur. Itaque rursus ad agendos cuniculos conversus, propugnaculum aliud, quod versus meridiem, arcemque Divi Martini spectat, iisdem quibus anteà instrumentis suffossum, ac laterculis exemptis nudatum, injectoque pulvere sulphureo, in sublime jactandum decrevit: mirumque dictu, & vix credibile, tantum hostium conatum, tanto diurni nocturnique temporis labore susceptum, extremique plenum periculi, nec à Perlino, ejusmodi rerum artificiique imprimis perito, nec ab Hardeco, aliisque ducibus animadversum fuisse: ita ut pro disciplinâ, contrariis suffossis cuniculis, obviam iretur. Cùm igitur pulvis, scrobi egestæ iniectus, nemine prohibente, succensus ignem concepisset, ac muri partem satis amplo facto aditu, patefecisset; quâ tamen hostes, necdum irrumpere posse multi viderentur, extemplo turbata intus omnia, tumultuari Hardecus, milites repentino periculo perterrefieri, nec Perlino satis animi, audaciæque superesse. Itur tamen confestim ostendente Perlino, hiatus, glebâ & cespite ac trabibus, sine morâ restaurarur. Eodem die, hostes magno sublato clamore, per rudera conscendere contende-

tenderunt: Verùm obiectu fluminis, & quòd maiora fragminum frusta, non in fossam, sed interiorem propugnaculi partem, ferè fortunâ procidissent, multique ex subeuntibus tormentis petiti occubuissent; receptui cecinere plurimis suorum cadaveribus, in fossâ relictis. Secundùm hanc oppugnationem, Hardecus res suas & sociorum perditas ac profligatas existimās; nec jam salutem suam urbi duobus in locis adapertæ, committendam arbitratus: diversa degeneris animi, de urbe dedendâ, ac paciscendo cum hostibus consilia volutare, eaque cum ducibus, discrimine in maius, quàm erat antè, amplificato, communicare cepit. Tametsi autem Matthias Archidux, ex Ovario per idoneos homines, eum honoris & existimationis suæ admonuisset, ac ut omnem obsidionis fortunam, forti animo tolerando præstitæ fidei memor esse vellet, cohortatus esset: atque adeò certum esse perscripsisset, Burgaviæ Marchionis, quater millenariā exercitatissimorum militum legionem, Bohemosq; & Moravos, cum justo exercitu, jamjam affuturos, nec de suppetiis, primo quoque tempore ferendis, dubitandum esse: ipse tamen ingenti pavore, & consternatione occcupatus, nihil ejusmodi sermonibus moveri, sed in propositâ desperatione persistere. Igitur perductis in suam sententiam Perlino, & Germanorum militum tribunis, unaque ex Vngaris Ormandio, tabulas deditionis conficit, ac eorum syngraphis firmat; petitoque colloquio, & publica fide, Perlinum, qui cum Sinano de conditionibus transigat, in hostium castra emittit. Sinanus re cognitâ, sicuti suâ, & omniū opinione celeriùs

ita

[illegible] gratissimo lætissimoque animo. Perl[illegible] [illegible]onem ultrò offerentem audit, ac triduì indu[illegible] concedit: quibus & tormenta utrinque ces[illegible], & de re tota transigatur. Itaque suum, & [illegible]begi, ac Budensis purpurati legatos, in [illegible]em mittit; brevique in hunc modum conclu[illegible]ur: ut cum omnibus rebus, sarcinis, equis, ar[illegible]s, & suppellectili, arce excedatur; iisque, & [illegible]ris ægrotisque a[illegible]ehendis, naves idoneæ cõ[illegible]antur. Quibus à Sinano obsignatis, Harde[illegible] claves Beglerbego (eum enim Sinanus loco [illegible]miserat) tradit: precatus impudenter, ut oc[illegible]atâ urbe, quàm diutissime potiretur: eoque [illegible]o, nec expectatis iis, qui naves conscenduni, [illegible]antulum moræ protrahebant, urbe excessit, [illegible]taque ad Archid[illegible]em contendit: qui auditâ, [illegible] sine [illegible] intempestiva urbis de[illegible] [illegible] valido præsidio, ad Pruc[illegible], Laitæ [illegible] adjacens oppidum, sese re[illegible] Vbi Hardeccio, obloquium expetenti, [illegible] & contempto homini, denegasset; [illegible] etiam congressum Burgovius Marchio, [illegible]nius aversaricisent, Viennam se contulit: [illegible]que jussu Cæsaris, non multò pòst una cum [illegible]o custodiæ traditus fuit, ut in eos judiciis [illegible]ctos, per rerum capitalium judices lege a[illegible]ur. Sed iis, qui naves conscenderant, aut æ[illegible] per domos atque hospitia, inventi quive tar[illegible] antecedentium agmina consequuti fuerũt, [illegible] publica ita servata est; ut omnibus ferè [illegible]abilem in modum cæsis, aut captis, aut o[illegible]bus bonis & fortunis spoliatis: mirum do[illegible]mentum nos capere, Turcicæ fraudis & falla[illegible], & quæ victis à perfido hoste pertimescen da

sint;

ſint, fortuna voluiſſe videatur. Sinanus Iaurino potitus, primo urbis ingreſſu, gratiis Deo actis, captivos Turcas, ad XX. qui juxta pacta ibi erant relicti, ad ſe vocat; deindè vinculis ſolutos, quòd pro ſacris Mahumetanis, crudeles carceris, & compedum ærumnas & vitæ pericula, forti & conſtanti animo, pertuliſſent, collaudavit; pedesque eorum aquâ calefactâ, ſpectante exercitu, ſuis manibus lavit, ſingulosque denis aureis numis donatos, ut in iis perpetuâ fide permanerent, cohortatos dimiſit. Iſthuanffi, lib. 28
Cæſar autem, adverſus Ferdinandum Comitem Hardecum, ac Nicolaum Perlinum Vrbinatem qui Iaurinum, ut diximus, puſillanimitate, a proditione incertum (utrumque enim vulgò d ctum fuit) Turcis tradiderant, lege agi juſſit; de iis jure militari convictis, in foro, ſubli ni l co è tabulis erecto, extremum ſupplicium ſu ptum fuit; ita ut ambo, truncatis cervicibus terirent: ſed Hardeco dextra quoque manus, dem ferè alterius carnificis ictu, præcideret Cæteris tribunis, Cæſar ignovit, ita ut inter giones Carolo Burgoviæ regulo ſubjectas, di buti: ſuis ſumptibus, ad certum tempus mil rent. Iſthuanffi lib. 29. Habet eandē Hiſt. Th lib. 110. Cujus ſequentia ſunt verba. Non q Ardecus & Roſſius, qui ſolus in opido cum lis remanſerat, ſibi deerant ducto intùs val egregiè firmato. Sed rursùs continuis vig anguſtiâ annonæ, aſſiduo militiæ labore f morbis ac vulneribus debilitari; Itali, ut lo ab domo, dedecoris aſſerendi in alieno cu durabant: Germani contrà, ut in proximo ptum habentes, tutiora conſilia malebant

cc

cedebat potentissimum inter eos discordiæ telum, religionis dissidium; quod utrosque inter se invisos reddebat. Itali Germanos pravitatis sectariæ incusantes; & Germanis vicissim, vitia Italis sua exprobrantibus. Eoque res devenit, ut Itali scripserint, ipsis dùm contra Turcos pugnarent, à tergo perfidiosè inflictos scloppetorum à Germanis ictus. Quod de fide Germanicâ, adversus auxiliares, in tam justâ præsertim, ac necessariâ belli causâ, vix plerique crediderint. Porrò Matthias, apud quem Ardecus se statim post deditionem, purgare per litteras nequicquam voluerat, eum ad se venientem, nec alloquio, nec cõspectu dignatus est. Eandem repulsam à Tieffenbacho & Serinio passus; cùm à nemine audiretur, Viennam ire perrexit: ubi jussu Cæsaris in custodiam datus est, delegatique judices ei dati, qui eum interrogarent. Capti & Posonii quidã ex domesticis, & in domini caput torti. Scrutati sunt & Ardeci arcem primariam delegati, Krentzensteiniam nomine: descriptione diligenti facta suppellectilis & litterarum, quæ in eâ repertę sunt. Proditionis autem is insimulatus est, his argumentis: quòd ab indice transfugâ monitus est Matthias, multos in ipsius castris esse, qui arcana ejus evulgent, & secreta cum Turcis consilia agitet. Index in Quadis natus, & puer captus; detestandæ sectæ nomen dederat, ac Sinani cubicularius fuerat: à quo se nuper, duos sacculos aureis plenos, accepisse dicebat, & duobus Christianis eos, heri sui jussu donâsse, quorum alter cicatrice faciem notatam habebat: eum autem Ardecii famulum esse, ex notâ nemo ignorabat. Augebant suspicionem scalæ, intùs post oppugnatio-

gnationem reperit; & quod Ardecius, cùm cunei ab hostibus agebantur, tympana pulsari jussisset, & annonam parciùs militi, quàm posset, distribuisse dicebatur; ut eum facilius ad deditionem inclinaret. Addebant ad invidiam, ex fama, & cum dono pallium, exquisitissimis Zibellinis pellibus fartum, & variis ingentis pretii gemmis ornatum à Sinane accepisse. Quâ de re etiam, lib. 114. Idem Thuanus.

7. Iaurino, Sinanus, promotis castris, ad dextrum Danubii latus, versus Comaronium iter tenuit: gloriabundus & iactitans, se uti ab Hispanis in Africâ munitissimum Guletæ præsidium verâ vi ac virtute expugnâsset, nunc vero Germanos & Vngaros, extorto ab eis Iaurino, perdomuisset: ita etiam tertiam Comaronii munitionem, quam Christiani inexpugnabilem putent, brevi captam cæteris suis victoriis superadditurum, quod si Murati principi suo, omnium potentissimo videatur, idque sibi exequendum committat, etiam Corcyræ, maris Adriatici insulæ arcem, à Venetis, nullâ arte, nullâ vi expugnari posse arbitrantibus possessam, duorum mensium labore in potestatem redacturum. Hec ab iis, qui sermoni interfuerũt, ad nos transfugerunt, didicimus. Igitur quùm ad IIII. Nonas Octobris, die Divo Francisco dicatâ, Comaronium pervenisset, primùm quidẽ ex dextra Danubii ripâ, tormentis arcem quassari: sed quùm parùm id proficeret, quod fluminis latissimi, & amplissimi interfluentis obiectu, vanos conatus esse cognosceret, post irritam aliquot dierum oppugnationem, expediri naves pluteosque, & in insulâ Danubii bipartito supra oppidum decurren-

currentis, pontem construi iussit. Qui dùm construitur, Matthias Archidux qui hostem iam appetente hieme, obsidionem tam munitæ arcis tentaturum, minimè crediderat, è Prucco Posonium cum exercitu contendit; ac cum Palfio & aliis, communicato consilio, cum cohortes Burgavianas, quæ iam Posonium pervenerant, dimidiam nimirum legionis partem, Comaroniũ, priusquam hostis pōte facto traiiciet, perducere iubet. Palffius quamquã nondũ ex vulnere satis convaluisset, id tamen impigrè, neq; cunctanter, exequẽdũ suscepit. Sed cohortes sese nō ad tuendas ab hostib. arces, ac tolerãda obsidionũ incōmoda, periculaque, sed ad pugnas campestriaq; prælia, stipendio conductas causando, id militię genus detrectare ac subterfugere videbãtur. verũ Palffio cohortante, & earum præfectos ac centuriones, promissis ingentibus onerante, naves conscendere: & eos secundo Danubio, Gutam, quod oppidum inter Novam arcem & Comaronium iacet, deductos, exposuit: additisque viarum peritis, Comaronium feliciter introduxit, simulque obsessis commeatum, cuius penuriam iam sentire ceperant, & res necessarias subministravit. Quæ dum in hunc modum geruntur, & Sinanus frustrà tormentis laborat; ad agendos in medio murorum cuniculos, quibus Hardecum in obsidione Iaurini perterruerat, animũ adiecit: ac fabros & Ianiceros eius rei peritos navigiis impositos, quid fieri velit, edocuit. Nec mora, iisdem instrumentis, quibus Iaurini usi erant, latera & lapides, quibus murus constabat, eximebant; ut scrobibus brevi effectis, pulverem sulphureum immitterent, eoque incenso

mænia disturbarent. Non tulit immoderatam hostium insolentiam Starcitius; sed sociorum, tam Vngarorum, quàm Germanorum promptissimos cohortatus, ut se adversus hostes vadentem, intrepidè sequerētur; sub vesperam erupit, contractoque cum hostibus acri certamine, eos ab opere, scloperis & glandibus, summâ vi, ac fortitudine submovit: cæsisque & interfectis fabris, ac Ianiceris, instrumenta, quibus opus faciebant, ademit, ac navigia frustulatim securibus dissecta, inutilia reddidit, incolumisque in arcem est reversus. Intereà Matthias, periculo Comariensium permotus, per celerrimos cursores, mandata ad Bohemos dat, ut venire in castra maturent. Iamque fere ad XL. millia armatorū, in stativis haberi existimabantur; quorum virtute plerisque arceri hostes, aut certe sustineri posse, haud insulso judicio videbatur. Sed ubi virtutes Imperatoriæ, ac felicitas deest, casuque magis & fortunâ, quàm virtute & consilio, res geruntur; magnæ copiæ, oneri magis, quam auxilio sunt, & frustrà suscipi omnē laborem oportet. Confluentibus in hunc modum undique nostrorum copiis, Matthias concilium denuo cogit, ut à ducibus, quidnam, quod è repub. sit, faciundum putent, deliberetur. Disputatur ab iis variè, utrum sociis laborantibus succurrendum, castraque promovenda sint; an maiorum auxiliorum adventus, ex Austriacis provinciis præstolandus. Cæterùm omnem moram, non inutilem duntaxat, sed summi etiam periculi plenam esse judicans, ea consilia, quæ protrahēdi tempore amittendæque occasioni causas adferre viderentur, abiecit, & castra plenis passibus

versus

versus Comaronium promovit: itumque est ad Niarasdum pagum, duobus Pispeco milliaribus dissitum; eo proposito, ut castris ibi collocatis, valloque & fossâ munitis, hostium consilia certiùs explorarentur. Quo cum secundis castris, ad vesperum sequentis diei perventum esset, cognitum est; Bohemos Posonium venisse, & dum exiguam militi quietem concessissent, in castra festinaturos. Nec mora, Palffius cum toto Vngarico exercitu, ac iis, quæ ex superiori Vngariâ accitæ erant, auxiliaribus copiis, ac equitibus M. Comaronium versus missus fuit. Is non procul Comaronio substitit, & validam equestrem alam, quæ hostium castra specularetur, ac aliquos è numero hostium castris egressos interciperet, à quibus hostilia consilia sciri possent, præmisit. Sed mox, Sinanum solutâ obsidione exercitum reduxisse cognovit. Postquam enim Archiducem, in insulam, cum Germanicis & Italicis legionibus, traiecisse, Vngariæque superioris auxiliis, quorum apud hostes, magna virtutis & fortitudinis opinio erat, auctum esse; Bohemos etiam & Moravos adventare didicisset, quorum omnium numerum vulgaris rumor supra veri fidem auxerat: tantum mox timorem concepit, ut nequaquam planè collectis vasis, effugere cogitaret; ægreque & difficulter, tormenta ex aggeribus in castra pertrahi possent: tanta omnium Ianicerorum & aliorum Turcarum celeritate & consternatione, ut præter pulveris, & pilarum magnam copiam, unum etiam ex majoribus inusitatæ magnitudinis tormentis, Arabicis insculptum literis, erumpentibus Starcitio, & Vngaris ac Germanis, qui intus

 erant,

erant, relinquerent; & multis suorum amissis, effusâ per pontem fugâ, saluti suæ consulere cogerentur: moxque rescissis repente succensisq; navigiis, & tabulatis, quibus pons constabat, ne nostri per ardentes pluteorum & asserum flammas, insequi posset, Tatam versus perculsis metu totis castris & dissipatis sine ordine agminibus, profugerent. Quâ hostium fugâ, & discessu, ii qui obsessi erant, mirum in modum exhilarati, gratiis Deo actis, tormenta omnia, audiente Sinano exploserunt. Nec multò post, quod hibernæ tempestates, bello gerendo maximè adversæ ingruerent, & Bohemi voluntariæ ipsorum militiæ præfixum tempus præteriisse dicerent, nec Vngaris discedente ad hiberna hoste quicquam amplius incommodo frigidoq; tempore, quod utile fructuosumque foret, geri posse videretur; princeps eos ad sua loca redire permisit, & ipse cum suo comitatu equestri, ac prætorianis cohortibus Viennam reversus est. Cum autem copias omnes, mercede ex Germania conductos, per eam insulam, amnicarum quę in Danubio sunt, maximam, per oppida & pagos, non sine incomparabili miserorū incolarum damno & detrimento distribuisset, donec eis de merito stipendio satisfactum foret. Ii tam anteà in castris, quam deindè per stationes, ex præda victitando, fertilissimarum & amœnissimarum regionum vicos, vexatis & direptis agricolarum fortunis, atrociter planeque hostiliter pervastabant: adeo immani licentiá, peccandique impunitate, ut ex militibus immanissimi latrones effecti, miserorum hospitum pecora, quibus se. & parvos liberos sustentare, variaque onera, ad

varias

varias publicas, privatasque necessitates obire solebant; non quotidianâ duntaxat ingluvie mactata vorare & consumere, sed rapta & in longinquas terras abacta, divendere consuevissent: & reconditas cellis & penuariis, fruges & vina, & quicquid esset ejus generis obsonii, è faucibus complorantium, crudeliter extorquere: desectas verò tempore messis, & in acervos compositas, in suos & equorum usus exponere non vererentur: & denique freti nimiâ impunitate, miseris hominibus, si qui facultatum suarum rapinis prohibēdis paulò contentiosiùs restitissent; impias & crudeles manus inferrent. Nec eâ, quam obtinebant, regione contenti, in remotas etiam partes sæviendo, & abditissima quæq; loca perscrutando, rapiendoque truculentissimè grassarentur: postremò segniter imperata facientibus, nisi notabili tributi pecuniâ, sese, & pauculas substantiæ reliquias, redemissent, omnem cædis & incendiorum cladem, denunciare, atque inferre non dubitarent; adeò ut uno ejusmodi grassantium prædonum agmine discedente, alii æquè crudeles, & flagitiosi, nullo miseriarum fine, subindè succederent. Quibus immanium scelerum irritamentis, DEVM OPT. MAX. Divosque omnes offensos, atque iratos, credibile sanè est. Ducibus atque exercitibus nostris, felices & prosperos rerum gerendarum, ad decumanam victoriam successus, haud immeritò eripuisse: erepturosque etiam deinceps, nisi eorundem Superum benignitate, aliquis gloriosi nominis, & summæ pietatis Imperator, exoriatur: qui revocatâ veteris & incorruptæ militiæ disciplinâ, & immanibus militum flagitiis coercitis & ca-
 stiga-

ſtigatis, placatoque numine, miſeram & innoxiam plebem, immunem ab injuriâ, indemnemque conſervare, conſulendoque & benè agendo, avaritiâ atque ambitione procul habitis, ad ſolius tantummodo victoriæ de barbaris hoſtibus reportandæ, immortalem laudem flagrantiſſimo ſtudio, & ardore pugnacis animi, contendere velle videatur. Iſthuanffi *lib. 28. in fin.*

7. Liberato acri Chriſtianorum Strigonio, ac rapto inſuper ſub jugum Iaurino; redeuntem Sinanum, magnâ domi foriſque, partâ gloriâ, domeſticiſque opibus, & potentiâ adverſus æmulos ſtabilita: Murates congratulabundus, magno ſtudio & benevolentia excepit: tanta ejus virtutis, ac militaris ſcientię, excitata ubique fama, & opinione; ut quamcunq; ſe in partem vertiſſet, aut certam ſecum ſalutem, aut perniciem haud dubiam, allaturus putaretur: atque ipſi ambo, mutuis cõſiliis, ſibi blandiendo; Cæſarem veluti poſt detractum Iaurinum, & vicinas Viennę munitiones amiſſas, animo viribusque fractum, ad extremam neceſſitatem, in reliquum tempus, quærendæ pacis potiùs, quàm inſtaurandi belli, conjectum prædicabant. Sinanusque, niſi id fieret, ſe, qui non hoc duntaxat bello, ſed etiam ſuperioribus in Africa atque Aſia, feliciter geſtis, nomen cunctà expugnantis, eſſet conſequutus, denuò egreſſurum cum exercitu; & Viennam, quæ Iaurino non multò munitior, aut expugnatu difficilior foret, in poteſtatem redacturum, ſumma vanitate, & jactantia gloriando dictitabat. Verùm ſecùs, quàm ipſe, & multò maxima pars hominum exiſtimabat, Cæſarem neque fuſi aut fugati exercitus, neque amiſſi Iaurini incommo-

commoda, adeò perturbaverant; quin eâdem infracti ardentisque animi magnitudine, quâ bellum ab initio susceperat, generosissimo conatu, in utramque fortis aleam, finire deliberatum haberet. Et quidem, primùm omnium, institutam paulo antè interventu Summi pontificis, cum Sigismundo Bathorio, Christophori filio, Transsilvaniæ principe, amicitiam, novo icto fœdere confirmandam decernit. Sinanus cùm alias sæpè, tum verò non ita pridem, Georgio Ravasdio, qui legatus, annuum Transsylvaniæ censum, Byzantium detulerat, apertum se inimicum, & hostem declarasset, ac cuncta humanitatis, amicitiæ, ac deniq; pristinæ etiam clientelæ jura, insolenti fastu subvertisset. Petentem enim Ravasdium, ne majoribus tributi oneribus, provincia gravaretur, quàm Ioan. Sigismũdi, qui Ioannis regis filius, Transsylvaniam possedit, tempore factum fuisset; ille intolerandâ superbiâ, eum conviciosè canem appellatum, ut sileret, interpellaverat: & Iohan. Sigismundum, ab Sulymano potentissimo principe, filii loco habitum fuisse: eum verò, qui nunc provinciæ præesset, imperatorium servum, & mancipium esse; idque, si per se stet, brevi, redactis in servitutem provincialibus, reipsâ, quid & quantùm inter illum, & hunc intersit, demonstraturum, illoto ore palàm addiderat. Auxerant formidine mandata Sinani, præter morem iniquissima, & inprimis factu difficillima. Quæ res manifesti plena periculi, non secus, quàm si ab ipso Murate principe profectæ fuissent, ingentem omnibus, sed ipsi potissimum Bathorio juveni formidinem incussisse videbantur. Itaque sibi & pro-

vinciæ consultum cupiens, comitia, in queis de asserendâ publicâ libertate deliberaretur, ad oppidum Sassebessum, uno ab Alba milliari dissitum, indicit. Vbi quùm magnitudinem periculi, perfidiam Turcarum, insidias Sinani, ac viā, quâ illæ caverentur, solam esse defectionem ab impia barbarorum societate, disseruisset; ac vires & arma cum Cæsare, ac cæteris Christianæ religionis principibus conjungenda suasisset; non tantùm proceres & populum, sed eos etiam, quorum consiliis utebatur, & quos se iam in suam sententiam pertraxisse putabat, longè diversa sentire animadvertit, & simul maximū sentiens dolorem, nova animo consilia volvere cepit. Isthuanffi lib. 29. Ac tandem, ubi bellum inter Amurathem & Cæsarem, recruduit, Batherius Turcis adversari, & Cæsaris partes sequi cæpit: quod ut illis præter spem, & omnem expectationem evenit; ita neque ab his, qui factum hoc politico more (quem Ragion Distato appellant) examinarunt, approbari potuit. Soli igitur Divinæ providētiæ Divinæ, Lazarus Soranzius adscribit: cap. 64. putatque, quòd hinc dubio procul, & Germaniæ & Italiæ nata sit salus atque securitas, quodq; Turcarum machinationes, quas contra Christianos principes intendere voluerunt, ut plurimùm declinatæ & aversæ sint, singulari ad hanc diem exemplo. De Sigismundo itidem Bathorio eiusq; secessione à Turcis multa habet Thuanus lib. 110. ubi inter alia. Sigismundi parens Christophorus, aliique decessores olim Pannoniæ regibus addicti, posteà labefactatâ eorum majestate, & Turcorum se latè effundente potentiâ, fortunæ cessere; tributi pa-
ctione,

ctione, quod annuatim Othomannicis Sultanis pendebant, suæ saluti consulentes. Id indignè, cum ferret Sigismundus, contra Stephani Poloniæ regis, patrui præceptum; à quibusdam, quos circa se habebat, Patribus religiosis persuasus de jugo Turcico excutiendo cogitare cepit. Id clam initio agebatur. Sed mox consilia ejus hosti patuerunt; postquam quosdam è sodalitio Iesuitico, quibus plurimùm fidebat, Romam misit, ut Pontificē consulerent, an salvâ conscientiâ Turco, cui fide datâ obstrictus erat, tributum negare posset, ac postremo bellum facere. Nam cùm diplomate Pontificio, à fide datâ solutus esset; additis insuper hortatibus, ut bellū adversus Turcum strenuè capesseret, tā gloriosum sibi, quàm decessoribus suis dedecorosum fuisset, turpissimam servitutem, sub dirissimo tyranno servire: ex eo nihil aliud, quàm libertatem in ore habere; alteri militandi necessitatem deprecari, miserери vicem Christianorum, qui Turco servirent, ac denique omnia dicere ac facere, quæ alienum eum à fædere cum Turcis, pro Transsylvaniæ salute inito, esse ostenderent. Id plerique è nobilitate prudentiores, ac gentiles ipsi ejus, minimè probabant; hinc patriæ cladem, & funestum ipsi exitum ominantes; frustraque eum à pernicioso consilio revocare conati: cùm viderent adversus Patrum illorum hortatus, & Romæ monita, nihil valere suas, quantumvis justas preces; occultum de ipso ditione exuendo, eique alio ex Amurathis voluntate sufficiendo, consilium iniisse, dicuntur. Vbique à Patribus Iesuitici Sodalitii, & passim etiam à Sigismundo jactabatur hactenùs graviter ea in re peccatum esse, dū qui:

ſummæ rerum præerant, præſentis & ad paucos duraturæ dies, tranquillitatis potiùs rationem habuerunt; quàm ad Dei gloriam reſpexerunt: cui accepta ferre debemus omnia, & ſine cujus gratiâ nihil in hâc vitâ ſtabile, nihil verè glorioſum ſperare poſſumus. Quid enim pace cum Turcis in hunc diem profectum, niſi ut miſeri Transſylvani, ſenſim cervices in diriſſimum ſervitutis jugum induerent? quin potius illud excuterent, & icto cum Cæſare, ac vicinis principibus Chriſtianis fœdere, alteri probroſo & ad ſalutem ſempiternam damnoſo quamprimum renuntiarent. Sic præſens ac propitium rebus ſuis numen experturos, ſic certam victoriam de hoſte impio (tantùm audeant) ſemper reportaturos. Et quoque ex nobilitate egentiores, nec uſu rerum experti, facilè id ſibi perſuaderi paſſi ſunt, in ſpem opimioris fortunæ per bellũ erecti, nec reputantes, tantæ molis bellum facilius ſuſcipi, quàm deponi. Raſciani pariter, populi bellicoſi, exemplo Coſacorum ex alieno diteſcentium, invitati, arma quàm quietem malebant. Reclamabant proceres, experimento meliùs edocti, & cõtra maiorum inſtitutum, id fieri arguebant; qui omnem de rep. cõſultationem, pacis cum Turco colendæ commendationem, eſſe dicebant. Id ex Stephani ore, prudentiſſimi principis, cum Trãsſylvaniæ præeſſet, & poſteà quàm Poloniæ Rex creatus eſt, ſæpiùs exceptum; cujus præceptis acquieſcere, quàm vanis novorum hominum promiſſis auſcultare, tutius ſit. Belli ſemper prima initia arridere; ſed mox ſecuturos triſteis exitus, & cùm tantus hoſtis ad portas, ac in viſceribus ipſis provinciæ tentoria fixerit, feras è longinquo

quo suppetias fore. His ita utriusque disputatis, tandem saniora consulentes, à majore numero victi sunt: accedente præsertim principis auctoritate, de ultione ex patruelibus sumenda cogitantis, & in Cæsaris adfinitate & amicitiâ, à quo ad bellum Turcicum incitabatur, præsiduum omne suum reponentis. Id interventu Alfonsi Carilli Hispani, è sodalitio illo agebatur; qui ad crudelis juvenis aures assiduè excubās, hinc Austriacæ domus potentia, hinc proprio, quod à patruelibus impendebat, ostentato periculo, eū tandem ad belli consilia præcipitavit. Quæsitus armis color, fidei defensio, & patriæ libertas neutrum sive ex consilio sive ex eventu verum: cum indè mox omnis juris divini perturbatio, & durissimum bellum intestinum secutum sit. Quin & mox, Comitiis peractis, proceres convivio à principe, excepti, & in iis conjurationis suspecti, primusque inter sacra mensæ comprehensus est Balthazar Bathorius; Sigismundo, si ab imperio depositus fuisset, successor, sicuti ferebatur, designatus: & cum eo, XIIII. in diversos carceres distributi, ex quib. V. postridiè supplicio affecti sunt: reliqui mox capite luerunt. Balthazar in carcere strangulatus est. Quem verò porrò successum habuerit, hicce Transsylvani conatus, prolixè recēset Isthuanfi, *passim in subsequentib. libris*, ac etiam Thuanus.

9. Anno 1595. Murates Byzantii Nonis Ian. nephriticis doloribus extinctus, è vivis excessit, cum imperasset annos XX. & vixisset XLVI. Isthuanfi, lib. 29. De eo ita Thuanus lib. 114. In Imperio Turcico aliqua mutatio initio anni fuit morte Amurathis III. XV. Kalend. Febr.

Fff 6 anno

anno ætatis XLVIII. ex calculi doloribus: quibus totos XX. dies graviter adflictatus fuerat, postremò vitâ functi: cùm ex eorum violentiâ enato carbone, nihil præter aquam frigidam, & glaciem parti adfectæ, spretis ceteris remediis adhibuisset. Fuit mediocri staturâ, colore candido, adeoque obeso corpore, ut caput ejus vix humeris exstaret; de cetero, liberali facie, ac specie imperio dignâ, barbâ flavâ, prolixâ, ac ipissa. Letus naturâ, à sanguine fundendo alienus: sive ita à Sultanâ parente institutus, sive quod benignis esset moribus, & ad gratiam faciendam, quam ad severitatem propior. Cùm naturâ minimè bellicosus putaretur: tamen ut dignitatem impe ii, armis fundati, tueretur; bellum per duces to.o imperii tempore, magno successu in Persia, & postremò in Pannonia gessit. Lectione librorum, ac præcipue historiarum delectabatur; quid ubique apud cunctos orbis principes agereiur, scire cupidus: etiam poëticâ, si quis ejus inter Turcos usus aut sollertia, gaudebat. Ingenteis opes, qualeis nullus antea decessorum congessit, largus earum inter notos ac dilectos dispensator, ac præcipuè inter mulieres, quarum numerum immensum habuisse dicitur. Nam postquam castissimè cũ primâ Vxore totos XXXII. annos vixit: ita ut cum aliâ per illud spatium, rem non habuisse credatur, à matre Sultanâ, & sorore Mehemetis primarii purpurati uxore, admonitus, ad imperii securitatem pertinere, ut pluribus filiis maribus subnixũ illud relinqueret; plures mulieres habuit, ac CC. quidam recensent, in quarum aliir enta & ornatum, liberosque ex iis procreatos, nutrices, pædagogos,

immen-

immensam pecuniæ vim expendebat. Cur autem nuptias, avi Solimani, patrisque Selimi exemplo cum primâ illâ dilectissimâ tot annorum vitæ sociâ, non contraxerit; sed eam captivæ loco habuerit, legitimæ uxoris loco minimè eam dignatus; in causâ putatur fuisse, quòd ipsi prædictum esset, fore, si eam in uxorem acciperet, ut idem quod patri Selimo, ei accideret, nimirùm ut paulò pòst, ipse moreretur. Post ejus mortem, quæ ab uxore, matre ac primariis Purpuratis, diligenter celata est, ne qui motus per successoris absentiam, in exercitu suboriretur, aut prætoriani, ut fieri assolet, ad prædam verterentur; missus hortorum præfectus, qui Mahometem filium, tesseris à Sultanâ matre allatis, de morte patris certiorem faceret, & eum ad capessendum imperium ut quamprimùm veniret, hortaretur. Eum pater, naturâ mitis, in Magnesiam relegaverat, insito genti livore, & suspicione, à qua ne patres quidem erga filios, vacui sunt. Thuanus lib. 114. Hisce verè consimilia habet Schvveigger, in seiner Raißbeschreibung/ lib. 2. cap. 46. De eodem ita Soranzius, cap. 49. Amurathes Turcarum Imperator, Mahumetis pater, moderatè satis & modeste quatenùs Turca & infidelis fuit, regnavit. Librum quem Mutchaphum nominant, in magno precio habuit. Nã is leges Mahumetis continet, & Arabibus Alkoran dicitur. Historias majorum suorum, libenter legit, Selimum I. imitatus; qui lectione historiarum Alexandri Magni & Iulii Cæsaris, mirè delectatus est. Philosophiæ quoque studuit, undè per ludibrium, Bongi fuit adpellatus, quo nomine quõdam Baiazethes II. fuit insignitus. A vini potu abstinuit, secus quã

Selimus ejus pater fecerat. Voluptates si spectes, inprimis vero abominandam illam luxuriam, quæ Turcis alias familiaris esse solet, continentem se præbuit; maximè vero annis aliquot, qui proximè ipsius mortem antecesserunt. Iuris & æqui (quoad in hominem barbarum, eumq; sordidè avarum cadere potuit) fuit observantissimus. In eo valdè solicitum se gessit, ut omnia Principum aliorum secreta pernosceret. Ante omnia vero statum Imperii sui, sibi quam perspectissimum esse volebat; & in hunc finē proprios commentarios omnium negociorum, quæ occurrebant, omnium redituum, qui quovis modo ad ipsum perveniebāt, & sumptuum, qui diebus singulis expendebantur, penes se in mensâ quadam repositos habebat: qui post ejus mortē in filii manus pervenerunt, qui eos diligenter asservat: sicuti Tiberium, Augusti similes commentarios diligenter legisse historici tradunt. Hic negociis aliquantùm gravioribus districtus & detentus, vel naturæ inclinatione ductus, plerumque valde fuit, Melancholicus, taciturnus, & in omnibus rebus suspicacissimus: Vt igitur per vices animum ad hilaritatē traduceret, Oppio uti solebat: de quo Turcarum est illa opinio, quòd colorem faciei egregiam inducat, hominis animum recreet, quique semel eo usus fuerit, nunquam eo non delectetur. Alebat quoque in aulâ suâ, certum pygmæorum, & mutorum numerum, quos sæpius inter se committebat, quò se tam ludicro & inani spectaculo oblectaret. Déniq; Soranzius, cap. 104. Regnante Amurathe, factum est, quòd qui tunc Constantinopoli fuerunt Christiani, vitæ periculum adierint, accu-

accusati videlicet, quòd in aliquas urbis plateas, ignem immisissent : quo flagitii genere, falsò quondam sub Nerone, Christiani quoque incusati fuerunt. Iusserat igitur Amurathes, ut passim nullo habito personæ respectu, in frusta eos dissecarent Ianizari. Sed horum Aga, Turcico Imperatori quantum periculum, propter eorum multitudinem, sententiæ hujus executio adlatura esset, demonstravit; tum etiam quòd tributa imminuerentur, & jus gentium violaretur. In Christianorum ergò vicem, mulieres quædam Hebrææ, quæ Amurathi hoc consilium dederant occisæ fuerunt.

De ea diversa Italorum & Gallorum judicia: & exemplum, contrariarum partium, ubi ex unà religio prætenditur; ex altera, ratio Status inspicitur. 8.
Amurathis mors: & mores. 9.

Mahometes III.

A. C. 1595.

Mahumet III. Amurathis filius, Imperium à crudeli novendecim suorum fratrum cæde auspicatur: & licet ventri, Venerique deditus esset, bella tamẽ Hungarica continuavit; ubi Agria à Turcis capta, & Canisium etiam iisdem deditum; Raaba tamen à nostratibus recuperata fuit, virtute & ingenio Comitis Schvvarzenbergij Adolphi.

2. Hicque est ille Mahumetes, qui anno 1582. XVI. plus minus annorum adolescens, sollemni ritu circumcidendus erat. Aderant Rudolphi Cæsaris, Regis Galliarum, Poloniæ, Senatus Veneti, Persicus, Marochensis, Fessanus, Tartaricus, Transsylvaniæ, Moldaviæ, & Valachiæ principum legati. sed Gallicus non interfuit, quod obtinere non potuisset, ut legati Poloniæ Regis excluderentur; quem pro Rege non adgnoscebat. Nam hos titulos Rex Galliarum sibi sumebat. Falsumque est (censente Thuano) quod nonnulli scribunt, Gallicum legatum, quòd secundo post legatos Cæsareos loco, sedere jussus esset, spectaculo abstinuisse. Nam quamvis Galliæ Rex, ubique in orbe Christiano, primas Cæsari concedat; quia tamen ad Portam Othomanicam

nicam Cæsaris legati, non tanquam Cæsaris, sed ut Hungariæ Regis, qui tributum Turco pendit, legati comparent: (quâ simulatione, utcunque Imperii majestati principes & ordines consultū existimant) iccirco eo in loco, nunquam controversus fuit Regi primarius locus, quem inter reges principem locum tenere, extra controversiam est. Spectacula autem tunc, totos XI. dies, interdiu noctuque continuata, perguâ is in hippodromo CIƆICCCC. passus longo, & CIƆ CC lato, & pyramidibus admirandi operis Constātini & Theodosii Imperatorū, distincto, utrinq; dispositis: in quibus in dextrâ purpurati, & ceteri Portę proceres, in læva principum legati stabant, sejunctis veluti diversoriis. Ipse Amurathes in medio, cum filio, uxore ac sorore, loco commodiore tētorium habebat, ex quo omnia, quæ in theatro agerentur, spectare, & à nemine spectari poterat. Quo omni tempore, epulum de publico innumeris hominibus, qui aderant, singillatim præbitum, majore largitate, quàm sumptu ac luxu; qui ferè in conviviis hactenùs Turcis incognitus est. Nam tantum vervecina & gallinæ appositæ, cum pisis, iusculis, & vili paratu bellariis, & pro potu aqua, saccharo dilura propinabatur: vinum quippè inter Turcos prohibitum est, rixarum & tumultuum in publicis lætitiis, fomes & incentivum. Itaq; summa modestia, & sine strepitu, in tanta hominum multitudine, quanta nunquam ad ullum spectaculum confluxerat, res peractæ sunt Celebritati V. Kal. Iun. initium factum, quo die Amurathes, ingenti pompa & comitatu è Palatio prodiit, præcedente delirorum & lymphaticorum agmi-

cham Constantinopolitanum, qui mox cum toto sacro ordine sequebatur, & post eum Antiochiæ itidem Patriarcham, palliis sacris indutos, cum muneribus in scenam prodire; & fausta omnia imperio Sultani precari; renovata per id spectaculum, in piorum animis calamitosorum temporum memoria, quibus post Babylonicam migrationem, electus Dei populus miseram servitutem Assyriorum regibus serviebat. Ponè sequebatur innumera ariolorum, circulatorum, agyrtarum, morionum, inconditæ modulationis symphoniacorum colluvies; qui voce & distorto ore, gestu scurrili, risum spectãtibus movebant. Quidam ex iis præstigiatores, à viperis & aliis serpentibus morderi se patiebantur; & mox, tanquam alteri Psylli, sanabantur. Hæc antemeridianis horis acta. Pomeridianis exhibitæ castrorum oppugnationes, tanto numero armatorum, tanquam seriò pugnantium, ut multi utrinque caderent. Producti dein pugiles, athletæ, qui oleo uncti, & pulvere conspersi, lucta certabant; sagittarii equites, qui exstructis tumultuario opere, ex arena in hippodromo metis, inter discurrendum, à tergo & à fronte scopum, mira felicitate petebant. Post eos veniebant andabatæ, qui magno astantium stupore, inter currendum equos permutabant: & modò desiliebant, modò in sellam insiliebant, plerumque bini, nunc in pedes ex sella erigebantur, nunc inverso corpore pendebant, & lunatis arcubus, in equorum currentium soleas, ictus dirigebant. Funambuli quoque producti, cum grallis sacco induti; & acinacibus strictis ad pedes affixis, per funeis saltantes: quod non solùm admirationem,

bant, quod impudicè de se sensisse, eos persuasum haberet, immanitate barbarâ, necâsse dicebatur: eoque suspiciones occultæ evaserunt, ut pater de filio è medio tollendo cogitaret. Quod verita mater ejus, consilium filio dederat, ut Venereis voluptatibus, à quibus se alienum huc usque ostenderat, deinceps se dederet; & ita conceptam de se, tanquam ambitioso & bellicoso suspicionem, apud patrem purgaret. Consilium matris, magna in Mahometis moribus mutatio secuta est; per assiduum voluptatum usum hebetatâ ingenii acie, & ferociâ bellicosâ multum infractâ. Igitur de patris morte certior. Mahometes XI, postquam obiit, die ad urbem venit. Mox triremem, quâ vectus erat, conservari jussit, ita ut deinceps nullus eius in mari usus esset, remigesq; Christianos solvit, & libertati restituit, ac præfectum triremis Cypri Regem creavit. Inde ad matrem salutandam pergit, ante XII. annos sibi non visam, eamque insigni pietatis & liberalitatis exemplo, amplissimis Alcairi vectigalibus, quæ IO C. aureorum CIↃ. superare dicuntur, muneravit; posteà sollemni ritu, ad solium paternum deductus, imperii possessionem sumpsit: admissis ad manus osculum purpuratis, largóque donativa prætorianos, & alias aulæ militareis ac domesticos ministros, sibi devinxit. Cuncta patris debita, præsenti pecuniâ dissolvit, atque ut direptionem domorum impediret; custodias per urbem, locis publicis disposuit. Tum exequiæ patri paratæ, quæ usitatis inter eos ceremoniis, magnâ põpâ peractæ sunt. Postremò fratres novi imperatoris, coram eo sistuntur, numero XIX. ex variis feminis cõcepti; quos

Iuvenis adhuc valdè, in aula (quā illi Senalium, hoc est, claustrum vocant) de more gentis, inclusus teneretur, Nanun Nauf Agam, acerrimè odisse cœpit: quod in favore & gratiâ patris Amurathes, plus ipsum quàm quemvis alium positū esse, cerneret. Indagandis eius actionibus diligenter incubuit, sensitque quotidie, calathum floribus refertum, ab eo, ex aulâ emitti, unde dubio procul aliud quippiam magis preciosum, sub istis floribus latere, suspicatus est. Die igitur quodam, cùm summo manè, de more calathum efferri videret, illum, qui gestavit, consistere coegit; & inverso calatho, floribusque in terram effusis, auri copiam magnam absconditam reperit: qua de causâ, irâ & indignatione percitus, graviss. mè cum patre expostulavit, quòd mancipia in maiori ab eo precio & favore haberentur, quàm filius; cui plerumque illud ipsum denegatum sit, quo illi abundent, eo nomine patris accusans avaritiam, quam minimè probabat. Præterea tam elato & superbo erga suos fuit animo ut ferre nequiverit, quod avia ipsius, (quę, si modo vera sunt, quæ vulgò dicuntur, nobilis Veneta ex familia Baffforum fuit) in aula dominaretur; neque reginæ ea illud, propriæ matri; quæ è pago quodam, Rezi nomine (qui est in Albaniâ, ad montes Ducaginos) oriunda erat, concedere voluit. Cum his de causis, patri lites moveret crebriores, & maiores indies causas, & occasiones, sinistri quippiā de se suspicandi daret, iramque paternam magis, magisque in se concitaret (ea enim æmulatione, Imperatores Turcici de suâ salute sunt solliciti: inducti videlicet humanâ ambitione, & efferatâ immanitate, quæ ipsis
ferè

ferè propria est, ut ne liberis quidem à se p
gnatis parcant) tandem circumcisione eju
lege Mahumetana perfectâ, à patre in Mag
siam, ubi domicilium suum haberet, ableg
est. Quò cum pervenisset, tantùm abfuit, ut
suâ crudelitate, & immanitate aliquid remit
ret, ut specimina ejus singulis diebus ederet e
dentiora. Nunc indignatione, nunc alio per
so animi impetu raptus : forcipib. ignitis ma
mas fœminis eruere ; ad 2000. Scholasticoru
(qui Softi ipsorum lingua vocantur) morte cr
delissimâ mulctavit: propter nullam gravior
momenti causam, quàm quòd erga eum, signi
cationem aliquam cogitationis minùs pudic
edidissent. Plurimos alios, ob quamvis levi
mam causam trucidavit : & ut breviter dicam
alienum se prorsùs à Venereis delitiis, & volu
ptatibus ; unicis verò bellicis studiis, & Mar
actionibus, animo deditum esse manifestè de
monstravit. Hâc suâ vivendi ratione, patris di
dentiam erga se confirmavit ; quam auxere no
léves quædam suspiciones secretæ cujusdam
spirationis, quam in aula cum Sinano Bassâ
qui Iaurinum occupavit) sub specie amicitiæ
ctioris, conflavisse verebatur : unde ipsum no
modo septum arctiori custodiâ tenere, sed vit
etiam privare, nisi protinùs animum mutaret,
Amurathes planè constituerat. Quâ de re, cu
sæpius à matre certior factus, & admonitus e
set ; ut suspiciones ejusmodi, patris animo e
meret, mentemque ad voluptates, & delectatio-
nes adplicaret, assensit tandem & parere mon
decrevit. Ab eo tempore omni illecebrarum ge-
nere ita fuit irretitus, ut naturâ ipsa vel mut
vo

vel obducta, in Principem luxoriosissimũ subitò evaserit. Idq; vel ex habitu quodam, crebro usu comparato: vel arte quadam adjutus (ut quidam putant) cujus Græcæ, Hebraicæ, & Turcicæ mulieres peritissimæ habentur. Ipsa quoque vita injucunda ipsi solebat esse, nisi Veneris affluerent deliciæ, etiam in ipsis castris & militia. Res quoq; & consilia maxime secreta suis communicabat pellicibus, & amasiis; qua re, nihil quicquam est principe viro indignius, nihilque perniciosius. Vt primùm regnum est auspicatus, opes ejus & vires cognoscere voluit; non latebāt ipsum simultates & contentiones mutuæ, quæ in Bassis vigebant, in Sinano & Ferato præcipuè: qui tunc regni gubernacula ferè soli tractabant. Constantinopolim urgebat annonæ, & rerum omnium ad victum pertinentium, frumenti inprimis, & panis extrema caritas. Intelligebat subditos minimè contentos, propter plurima debita, à patre nondũ soluta; quibus ipse posteà satisfecit. Quid Persarum Rex, Mehemet Qudabunda, moliturus esset, cùm non ita pridẽ, ipsius ex filio Emiro Hampsa, nepos, Haidazus nomine, quem obsidis loco ad Turcas miserat, obiisset, certò non constabat: inprimis cùm oblati veneni suspicio, ad eam mortem accederet. Præterea ipsi Duces præcipui, & insigniores, belli confectionem ipso Mahumete etiam absente, promittebant; quod eo ab ipsis fiebat animo, ut propriis emolumentis & commodis, tanto melius consulere possent. Credebat præ omnibus aliis Sinani Bassæ consiliis, qui, ut quàm diutissimè Imperio Reipublicæ supremo præesset, & nomen suum illustrius redderet; non modo per-

facilem Transsylvaniæ Principis eversionem, sed ipsius etiam Cæsaris Romani ruinam illi pollicebatur. Illud porrò verum est, à pacis studio & tractatione, etiam tunc ipsum non fuisse alienū. Quæ enim natura ipsi insita erat ferocia, deliciarum & voluptatum velut ignibus emollita paulatim diminuta, & confecta fuit; ut nunc verius animi Tyrannici impetus, quàm viri militaris fortitudo dici mereatur. Quod tunc maximè testatum fecit, cum à quadam sua pellice, quæ ipsi charissima erat, multis precibus & lachrymis rogatus esset, ne proficiscendo in bellum periculis sese obiiceret; propter somnium infaustum & prodigiosum, quod nocte præcedenti habuerat. Ille iratus, quòd gloria, quam sibi promittebat, hoc modo se privari, & ipsiusmet Imperii Turcici stabilitatem & firmamentum in dubiū vocari crederet; nulla interposita mora, propria manu eam occidit. Idemq; supplicii genus, matri sæpius minatus est: licet aliis in rebus, maxima apud illum polleat autoritate & gratia.

4. In Hungarico autem à Mahomete III. gesto bello, eminet in primis Agriæ der Statt und Vestung Erla / obsidio; ac mox cum Christianis commissum atrox prælium, de quibus Thuanus, lib. 115. & Isthuanfi lib. 30 Vbi ait An 1596. ad XXVII. diem Septembris, ingens hostium multitudo, ac tormentorum & tentoriorum apparatus, qualem à XXX. annis, qui iam indè ab obitu Sulymani effluxerant, nostra ætas non viderat, ad Agriæ vicina loca pervenit. Dicebantur enim, in castris ad CC. armatorum millia reperiri: idque hostes non solùm affirmare non dubitabant, sed etiam longè aucto numero, am-

plificare

plificare non erubescebant; quùm tamen vix eo-rum dimidia pars bello apta esset, cæterâ multitudine, servilibus castrorum ministeriis dicatâ. Eâdem nocte, multo servorum & agricolarum labore, quatuor in locis aggeres sunt constituti, ac in iis tormenta collocata; inprimis autem, unius prægrandis tormenti pilis, ac duabus colubrinis, tribus insuper inusitatæ magnitudinis basiliscis, mœnia quatebantur. A septentrione in locum sedis regiæ; quatuor mediocria tormenta, & ad jugũ montis, ubi vineta olim erant, arci importunè supereminentis, alia quatuor attracta fuere, quibus murorum latera indesinenter tunderentur. Erant in arce & oppido militum præsidiariorum quatuor millia, & quingenti, quorum major pars, ex variis nationibus, non ita pridem, post ortam nimirùm futuræ obsidionis famam, erat introducta. Quorum tanta virtus initio apparuit, ut neque portas urbis claudere; nec quicquam formidini præ se ferre viderentur: sæpeque cum hostibus, facto haud improsperè virium periculo, minutioribus præliis congredi non dubitarent. Sed demùm, cum hostes oppido quoque tormenta admovere cepissent, qui intùs erant, tam arci, quàm oppido tuẽdo, sese impares fores rati; post septimum diem, incenso oppido, in arcem se receperunt. Cum enim hostes, tam ex oppido, quàm ab jugo mõtis, propugnacula adeò diruissent, ut nõ parvam animo spem capiendæ arcis concepisse viderentur; jussu Mehemetis Imper. Chausij per castra obequitantes, duplicem in crastinum irruptionem, qui erat decimus Octobris, publicavere. Quæ tam pertinaci utrinque studio, ac conten-

ductis, nec seditione quicquam remittente, Michael Balogus ex Vngaris, in muri ruinas injussu progressus, de deditione cum hostibus colloqui cepit: cui statim Vallones & Germani, omissis in præsens ducibus, catervatim sese aggregavere. Hunc Balogum posteà, aliam ob seditionē Fileci concitatam, Georgius Turzo, Palffii successor, capitis supplicio affecit: Diis immortalibus proculdubio, hoc dirum ejus scelus, simul nec serò vindicātibus. Nec mora hostes, propius arcem concursu facto, purpuratorum atq; ipsius principis fidem inconditis clamoribus ingeminare, securitatem omnibus polliceri, tutum abitum cum rebus & sarcinis offerre. Mox crescente proditione, tumultuque, spretis ducibus; multi ex Germanis & Vngaris, unum è collegio sacerdotum, ac Georgium Bessenianum deligunt, qui ad Mehemetem & Ibraimū purpuratum egressi, certis liberè exeundi, & recedendi cōditionibus transigant. Quibus extemplo diploma fidei, aureis descriptum characteribus, nomine Mehemetis datur: confestimque Turcæ & Tartari, in arcem irrumpunt, Christophorum Corlatum, qui arcis custodiæ præerat, exutum vestibus, ac flagellis cæsum, per portam eiiciunt; Duces reliquos, vel invitos & reluctantes, ad Mehemetem perducunt. Eos omnes Mehemetes, fidei servandæ admonitus, amoveri, & de salute ac libertate benè sperare jussit. Sed partim in liberà habiti, partim compedibus vincti, Belgradum perducti, ubi post fuerunt longi tēporis captivitatem, alii postliminio domum redierunt: alii partim mærore animi, partim morbo ibi contracto, & rerū necessariarum defectu, in custodia periêre. Famâ

amiſſæ Agriæ, ad Maxæmilianũ Archiducē, qui copiis Cæſarianis campeſtribus præerat) perlatā, cum hoſte manu confligere decrevit. Alterâ ex parte, hoſtes haud diſſimili pugnæ aviditate ducti, quòd noſtros adeo contemnerent, ut ſuum adventum, nè expectaturos quidem, ſummâ vanitate credidiſſent; paludem ibi proximam, de nocte magno numero tranſierunt, & tam citra vada; quàm ultrà, inſtructis aciebus ſtabant; ita ut omnis moles ac robur exercitus, in modum creſcentis Lunæ, validis agminibus expanſa ac parata; confligendi poteſtatem tympanis, & aſſiduo tubarum & buccinarum ſono, ac clangore offerre videretur. Omnes etiã purpurati, ac ipſe Ibraimus eorum princeps, eiusque legatus, magni vir nominis Mehemetes, ac Giaferes, & Cicala, ac Sinanus, multique alii, præter Chauſios, & minores præfectos in acie obequitantes, multo ſermone ſuos ad prælium accendebant; ut ad victoriam omni ope contenderent, eamque inſignem, & toto ævo memorabilem, Mehemeti novo & juveni imperatori, invictis dextris & armĩs pararent. Maximilianus contra, obeundo ordines, & quemque præfectorum ſingillatim compellando, ut fortĩter Chriſtianam rempubl. cuius ſalus & incolumitas in eorum dextris ſita eſſet, tuendam, defendendamq; ſuſciperent. Primum agmen noſtrorum, duobus in locis in hoſtes irrupit, & ſtatim absque acriorĩ certamine, in fugam vertit: ita ut qui lacunam tranſierant, multâ cum ſtrage, ultra eam fugati, ſocios qui ex ulteriore ripâ tranſire parabant, magnâ ordinum confuſione perturbarent, plurimosque ſociorum præcipui nominis & dignitatis, cæſos amit-

amitterent: simul cum XLIII. tormentis, quæ secum transvexerant, ac quinque carris, quæ batillis & ligonibus, ac aliis effodiendo solo instrumentis, onerata erant, ac decem, in quibus pulvis sulphureus & pilæ ferreæ erant, in castra nostrorum perductis. Partâ feliciter hâc victoriâ, fusis & fugatis hostibus, Maximilianus, uti erat, ante pugnæ initium, in consilio deliberatum; suos paludem transire nequaquam concedebat, cùm potissimum solem jam inclinare ad vesperum videret: verùm non solùm princeps Transsylvanus, sed etiam Palffius, ac alii plures, tam Germani quàm Vngari, Italique, ut exorientem victoriam, Deo auspice, prosequi maturaret, nec hosti perterrito & fugienti, spacium respirandi concederet, orare atque obiestari ceperunt. Victus tandem eorum precibus, ne cunctatione suâ, tantam rei benè gerendæ occasionem amittere, ac ignaviæ notam subire videretur; quod Deus Opt. Max. secundare vellet, macte virtute viri, ite, inquit, mecum unà, & hosti fractis viribus fugienti, ad plenum victoriæ cumulum incumbite. Tũ copias, bono servato ordine, transjicere, jubet. Dum hæc fiunt, Mehemetes extra sua castra, sub tentoriolo, quod ad eius usum, uno Càmelo clitellario gestari solet, complicatis cruribus, humiliore plicatili scabello, cogitabundus, exitumque pugnæ expectans sedebat: ac sonipes albi coloris, caudam & summos supra ungulam pedes, croceo colore tinctus, juxta servabatur. Ad eum citato equi cursu, Cicala, luto fædatus, amisso capitis tegumento, veniens presto fuit, & hostes paludem transjisse nunciavit. Tum ipse conscenso equo, cum prætoriano suo

comitatu, qui ad ſex millia equitum, armis, ve-
ſtitus, equis ſplendidiſſimè inſtructi erant, reli-
ctis aliis omnibus profugit; adeo extento curſu,
ut eam noctem nusquam ſubſiſtendo, alterius
diei medio, ad Solnocum perveniret: ibiq; eum
Prætor, & nonnulli Segedini cives, conſpicere
poſſent; ac ab Ibraimo, qui unà fugę comes erat,
ut illi recenter coctos panes, vuasque & ſimiles
fructus adferrent, admonerentur. Ejus exemplũ
ſequuti ſunt omnes alii, quotquot elabi paſſim
potuêre; ſimul cum Ricardo, Reginæ Angliæ
Eliſabetæ legato, qui caſtra ſequebatur: ita ut
diverſis viis, pars Agriam, pars Solnocum, multi
Peſtum & Budam palantes pervenirent. Ante-
quam totus exercitus noſtrorum trajiceret, mul-
ti ex Germanorum æque ac Vngarorum nume-
ro, vado traiecto, cum Turcis manus injuſſu cõ-
ſerebant; hos alii ſuppetias laturi catervatim
ſubſequebantur: ita ut magna manus utriusque
gentis, ex ulteriore parte, cum hoſtibus pugnãs
conſpiceretur. Quos quum Maximilianus retrò
ad ſua ſigna revocari, & eis, ne prędæ causâ quiſ-
piam acie atque ordine excederet aut ſigna de-
ſereret, feriò interdici juſſiſſet: noſtri hoſtium
nimis avidi, mandatis obauditis, in hoſtes eo
magis ferri, nonnulli cum Tartaris congredi &
præliari, & diſcurrendo ordines perturbare, &
qui in poſtremo agmine locati erant; quisque
ad primos provolare, imperia ducum ſurdis au-
ribus excipere, nec iis parere: poſtremò pedites
palantes, ac anhelantes, ruptis ordinibus, ad ſo-
cios properare. Qua in rerum perturbatione, us-
que adeò noſtri, unanimi temeritate, ſine ordi-
ne, ſine ducibus hoſti incubuêre; ut non ſolùm
totis

totis castris, sed etiam tabernaculis ipsius principis Mehemetis, & tormentis, quæ ibi penes tētorium, catenis ferreis connexæ erant, potirentur: ac multi ex Germanis, tentoria egregii operis & splendida, variarumque rerum plena, fixis ante ostia hastis, ad tribunorum & ducum suorū usus certatim occuparent. Alii hostē fugientem insectando, cùm in castrorum marginem pervenissent, omisso hoste, ad prædam conversi, tabernacula spoliare, cistas securib. perfringere; multi funibus tentoriorum, qui inter se arcte connexi & illigati erant, irretiti: ac à Turcis custodibus, partim gladiis, partim sudibus & lignis, aut semiambustis titionibus, è foro arreptis submoveri. Sed & iis fugatis, aut interfectis, jam ad diripiēda prætoriana tabernacula, processum erat multique è spadonibus pueris, ac mutis, quos elingues, ac per quædam signa animi conceptu sedentes, Turcarum principes ad varios usus, & ad illidendas fratrum ac purpuratorum fauces alere solent, cæsi atque interfecti passim iacebāt: adeo ut etiam ipsi Talismani, Hogiæ, & Dervisi, quæ sunt sacerdotum apud illos nomina, rebus desperati flere, eiulari, barbas sibi ipsis evellere, elatis in cœlum oculis Deum incusare; qui sacrum religionis Mahumetanæ nomen, impiorum pedibus proculcari permisisset: imperioq; quod tot annis retróactis invictum, florens ac insuperabile steterat, tristissimum & luctuosissimum finem imposuisse videretur. Hæc mora & nostrorum inhiandæ prædæ aviditas, Turcis fugientibus saluti fuit: quùm ex adverso nostris, nè pleniore victoriâ potirentur, importunè retardatis, præclaram delendi hostis occasionem

nec unquam fortassis offerendam, proculdu
eripuisset. Imò nonnulli præfecti, qui alio
agendâ prædâ arcere debuerant; dum villas
reis nummis & pecuniâ plenas effringunt, à su
venientibus Turcis trucidati, temeritatis suæ p
nas dederunt. Intereà Turcæ, non magno nu
ro, qui ad custodiam castrorum relicti erant,
teris abeuntibus, (qui tamen nequaquam u
quingentos fuisse visi sunt) resumptis anin
pedites nostros, rapinis onustos, in turpem
gam coniecerunt. Tum Maximilianus, suis
borantibus, cum turma prætoriana adcurren
ipso progressu obvios habuit equites Germa
pariter, & Vngaros; tanto pavore & formidi
se & suam turmam prætervolantes, ut eti
proximos pedites protererent: & multos p
terrore, post se trahere viderentur. Igitur co
tato, quantùm potuit, equo ad vadum prope
vit, & non tantùm verbis, sed & iurgiis & stri
gladio fugientes retentare conatus, tantùm e
cit, ut nonnulli falcones currules in hostes
ploderentur, ac Bernardus princeps Anhaltin
qui equitibus superioris Saxoniæ præfuit, d
equitum vexilla sisteret, & in hostem forti
duceret, isque ab equitibus pulsus fortiter fu
retur. Sed quùm cæteros cuiusvis nationis, n
fugam sistere, nec dicto audientes esse appar
quin abiectis signis, non victoriæ consulere,
urgendo calcaribus, equos ignominiosè & tu
piter cursum intendere videret, iamque nox
grueret; neque illis, qui trepidè fugiebant, n
ullus ad castra se recipiendi animus esset: i
quoque consilio ex re capto, cum paucis Misc
cium sese proripuit. Vbi illûc perventum e
tu

tum etiam Transſylvanos, & Vallones, ac Germanorum equitum plurimos, jam Caſſoviam aut Sendronem, procurriſſe cognovit: indeque etiam ipſe, lentiori gradu Caſſoviam ire perrexit. Palffius & Burgoviæ Marchio, eum paulo poſt ſequuti ſunt. Solus Tiffenbachius, cùm ſuos fugientes ſiſtere nequiviſſet, nec à quo fugaretur, quemquam hoſtem videret, in caſtris cœnavit; totamque noctem in iis transegit, ac manè facto, tutus & intactus, cum ſuis impedimentis, Caſſoviam appulit: quùm reliqui omnes, omnia plauſtra oneraria, currusque & ſarcinas, ac tentoria pavidi deſeruiſſent; aut iniecto igne ne hoſtibus cederent, concremâſſent. Transſylvanus Tocaium, ac deindè Varadinum, & poſteà in ſuã provinciam diſceſſit. Turcæ etiam omnes, fugæ ſeſe committentes, deſertis caſtris & tormentis, omnibusque impedimentis; quà quisq; potuit, dilapſi ſunt. Eorumque tabernacula, & res, Tartaris, ac vagis è confinio equitibus, noſtrorum verò Coſacis, Haidonibus, & agricolis ceſsêre. In hoc prælio, quo nullũ acriùs, ac magis cruentum, noſtrâ tempeſtate fuit; tam aperto in campo, quam hoſtium caſtris: interiere ex noſtris, quinque aut ſex millia equitum, ac totidem peditum; inter quos non pauci, clari nominis præfecti, ac equitum magiſtri, tribunique & centuriones. Ex hoſtium numero, tribus in præliis, XX. millia promptiſſimorum occubuiſſe fama fuit, eaque conſtans & ſimilis vero. Certumque eſt, purpuratos & præfectos, ac plurimos celeberrimi nominis & dignitatis viros, tam prætorianos, quàm finitimis in locis ſtipendia merentes, ingenti numero interiiſſe. Ac quoque

colligendam militibus, victoriæ iam ferè in manibus habitæ exitum, corrupisse existimetur: si quis ea omnia, quæ in huius totius prælii progressu, ac reb. quæ illud circumstabant, acta sunt, æquo iudicio ponderanda arbitretur, legitimâ ac iustâ necessitatis excusatione facile calumniæ eximi, iureque defendi posse videtur. Nisi enim Transsilvano & Palffio, cæterisque multis hortantibus, ac partæ victoriæ gratulantibus, ac ad eam totis viribus prosequendam suadentibus paruisset, vitare nullo unquam tempore, vel ignaviæ vel cessationis crimen potuisset, quòd tali tamque insigni occasione hostibus profligatis, & ad internecionem deletis, in resp. Christianâ perpetuo metu ac periculo liberandâ, segniùs, ac flagitiosiùs, quàm virum principem deceret, processisse videretur. Neque verò credendum est, Mehemetem anxio animo pugnæ exitum pro castris expectantem, in fugam coniici potuisse; nisi suis fusis & fugatis, nostros cæca paludis vada toto victore exercitu superasse, sibique præsens imminere salutis discrimen, intellexisset. Quo animadverso, constat tandem eum, metu haud inani perculsum, equum poposcisse, & fugam arripuisse: minimè id facturũ, si nostros adhuc trans paludem hærere sensisset: & forsitan extrema etiam instaurandi belli consilia eâdem nocte initurum fuisse. Cæterùm Mehemetes, ut erat corpulentus, & membris ex nimiâ agitatione graviter affectus, Solnocj aliquot dies quieti & ocio indulsit; denique præmissis terrestri itinere prętorianis & aliis, qui in vltra marinis Asiæ regionibus, ac Græciâ sedes habebant, ẽque Belgradi expectare iussis; ipse cum familia-

re suo comitatu, conscensis biremibus, secu amne Tibisio, Titulium venit, ad eius & Da bij confluentem situm, indeque à nullo lace tus, nec ipse cuiquàm infensus, eádem vec classe Belgradum pervenit: nec ibi diu morat exercitu per Bulgariam ducto, primò Hadrian polim, ac post paucos dies, Byzantium conte dit. Isthuanffi lib. 30. De eadem re ita Soranz cap. 65. & seq. Primo expeditionis suæ Ann Mechmetes Agriam occupavit, quæ licet nc adeò munita sit, propter montem, qui ipsi in minet, situs tamen ratione maximi est momen ti: quòd facile impedimentum indè Transylv ni, & Cæsari copijs, quò minùs se coniungan creari possit, & Turcæ viam, quæ Cassoviâ Toc caium versus ducit, continuò infestare queant cum superior illa, quæ est versus Saemar, mult sit longior. Quod si muri & propugnacula A griæ reficiãtur, nullo negocio exercitus validis simus inter utrosque hostes ibidem in excubij haberi poterit. Agriæ expugnationem prælium est secutum, de quo vere dici potest; quòd vel uterque exercitus victoriâ sit potitus (Cæsaris sub principiũ Turcarum sub exitum pugnæ) vel quod neuter ab adversario fuerit victus, quod ambo sese receperint, incerto rerum suarum sta tu relicto. In primo statim congressu Mahume tes, proprijs suis oculis vidit exercitum suum dissipatum, & in fugam coniectum; ipse de sua salute sollicitus, in montem quendam in ipso Agriæ conspectu confugit: faciemque parte ve stis Mahumetis, quam religionis causâ secum circumferebat, abstersit. Quanta verò nostrorum militum virtus, & in debellando hoste audacia fuit,

fuit, non est obscurum; quòd minus 50. millibus militum (quos Franciscus Maria, Vrbini Dux, ad extirpandam Turcicam tyrannidem, sibi deposcere solebat) instructi hosti obviam procedere, manus cum eo conserere, & exercitum qui 300000. hominum, atque adeò totius Imperii Ottomannici robore constabat, in ipsius Imperatoris conspectu, in fugam coniicere valuerint. Vndè nemo temerè dubitare debet, quin si nostri minùs avari, meliùs uniti, magisque providi, inprimis vero erga Ducem belli, fideliores extitissent; victoriam splēdidissimam, reportaturi fuerint: qualem forsitan ante ipsos, nunquam Christiani de Turcâ tulerunt: ipso Mahumeto capto: quemadmodum Baiazetem à magno Tamur Chan, Turcarum tandem Duces, exiguam fortitudinem & rei bellicæ peritiam in eo prælio demonstrarunt: undè plurimi honoribus suis privati, alii vita mulctati sunt. Milites vero timidi & pavidi redditi.

5. Anno 1597. Iaurinum eximio stratagemate, à Comite Suarcembergio recuperatum: eoq; ac quòd Solimanni nunquam ferè infelix conatus, Viennâ potiri nequivit, cælitùs quasi proditum fuit; Imperio Turcico, hâc ex parte, limites iam positos esse. De Iaurino autem Isthuanffi, lib. 31. inter alia scribit. Residentibus aquis, ac æquioribus nonnihil viis redditis, Suarcemburgus ex omnibus copiis, equites & pedites, quàm promptissimos seligit, ac Comaronium convenire jubet (qui tympana & fistulas, utpote instrumenta clandestino conatu rem gerentibus minimè necessaria, abdicaverant) ut omnium copiarum, cujusvis gentis nationisque, & ordinis,

nis, summa V. M. ac CL. militibus constaret hac selectissima manu, XXVII. die Martii, râ post meridiem primâ, quod DEI Opt. M providentiâ, felix faustumque fuit; Comaro per pontem, quem eâ nocte, è navibus & tabu tis, celerrimè construxerant, transiecêre, & in teriore Danubii ripâ, Matthęum Felnem[illegible] qui irritâ obsidione Iauriensi captus à Tur fuerat, ac pro exolvendo redemptionis precio Iaurino veniebat, obvium habuêre: à quo Turc nihil hostile metuentes, in ocio agitare, ac d centos ex Ianiceris, hesterno die, Budam pro st pendio, & commeatu profectos esse, cognover Tantus enim hostium animis inerat nostroru contemptus, ut nè portas quidem clauderent sa tis cum curâ, nec vigilias solitâ diligentiâ obir viderentur; jactarentque superbo ore, quando Gallus gallinaceus, è ferreâ laminâ in turris fa- stigio collocatus, vocem editurus esset, eo tem- pore Christianos Iaurino potituros. Igitur Fel- nemethium ipsis in compedibus, & eodem quo vectus erat curru, reduxere; de variis rebus, si o- pus foret, ab eo quæsituri. Traiecto Danubio, singulis cohortibus, ac turmis, Suarcemburgius certum locum assignavit; quoque ordine pro- cederent, scripto comprehensium exhibuit: atq; eodem die, ad solis occasum, amnem Zomzone, non quidem latum aut profundum, sed stagnan- tem & cæno impeditum, naviculis piscatoriis, antè eò per plaustra allatis, superavêre. Indeque ad alium rivum (qui è collibus & silvis Mem- phonis pagi decurrit) de nocte, horâ nonâ per- ventum est, & pars quæ supererat noctis, militi ad quiescendum & curanda corpora, concessa.

Illis-

illucescente die sequēti, qui fuit Martii XXVIII. Hinc progressum est ad milliaris spacium, in vallem Nemethianam, quæ saltuosa est, & ad dextram itineris instituti partem porrigebatur; totusque ille dies, usque ad vesperum, eo in loco transactus fuit. Quùm illinc discedendum foret, neque iam nisi duorum milliarium intervallo Iaurinum distaret, duces, convocatis præfectis, quotquot aderant, ac equitum & peditum præcipuis, quem quisque locum teneret; quo ordine procederet, qui civitatem adorirentur, qui in forum advolarent, nec hostem conglobari permitterent, qui occupandis propugnaculis præstò essent; allatâ etiam eleganti locorum picturâ, diligentissimè proposuerunt. Post accuratam harum rerum inculcationem, eodem ordine, iustis passibus procedere inceperunt, ac unâ ante dimidium noctis horâ, in cōspectum urbis prope sepulchra Thracum, ad eum locum, ubi superiori anno castra nostrorum posita erant, feliciter pervenerunt. Ferunt aquilam supra nostrorum agmina, à Comaronio, usque huc volitantem visam, militesque eo omine boni eventus accepto; alacriùs ad rem gerendam incitatos esse. Sed unum ad explicanda felicius consilia, & conatus obstare videbatur; quòd luna pernox, splendore suo, nostros hostium excubitoribus haud difficulter conspiciendos prodituri videretur: idque duces ante omnia metuebant. Verùm enimverò, singulari & manifesto DEI Optimi Maximi beneficio, mox illa, paululum progresso exercitu, nubibus condi, seque obscuriùs occulere cæpit, ita ut modico sparso lumine, nostris favere inciperet: hostibus verò pro-
cul.

cul aſpiciendi facultatem adimere videretur. Illinc ad pontem progreſſum eſt, & excubitores hoſtium, animadverſis ex voce & corporum motu noſtris, quidnam ſibi inſidiarentur, utq; procul irent, proclamare ceperunt. Babacurtus, cui cum ſuâ centuriâ militum, munus applicandæ ad exteriorem portam; quæ pontis in medio, clathris & cancellis ligneis munita erat, minoris Petardæ demandatum erat: cùm illam clauſam quidem, ſed neque ſerâ, neque repagulo obſtructam vidiſſet, felici arridente fortunâ, ſilentio aperuit; ac Lamarſium Gallorum militum decurionem, qui majorem petardam, majori Albanæ portæ admovere debebat, ut ceptam rem celeriter conficeret, admonuit: ſed etiam ipſi, præſentiſſimo Dei numine providente, animadverſum eſt, attractilem portam, quæ attolli, ac aliam interiorem, duplici velut obice claudere ſolebat, ab hoſtibus minimè ſublatam fuiſſe. Itaque eò facilior fuit, Deo juvante, petardæ admovendæ ratio. Quæ ſine morâ, valvis applicata, ac ſubitò incenſa, eas, ruptis intus vectibus, quæ per transverſum extenſę, craſſioribusque repagulis ferreis munitæ erant, momento temporis, ita disjecit; ut altera in forum CCC. paſſuum intervallo, abreptæ provolarent; altera in veſtigio minutatim ſcinderentur: adeoq; ingens ederetur fragor, ut hoſtes ſopiti, & ſemiſomnes, eo veluti tonitru audito, excitarētur; & pars diſcincti & ſeminudi, pars ſolis induti tunicis, arma caperent, & modò perturbatis animis, ad forum, modò in arcem ad præfectum conglobati, quantùm poſſent, confertiq; ſeſe aggregare conarentur. Verùm ut erat à ducibus ſeveriſſimè injun-

ctum

ctum, Babacurtus, & ipsius Suarcemburgi legatus, statim per apertas portæ Albanæ fores, cum quatuor tricenariis cohortibus Gallorum & Vallonum, fortiter irruperant, & forum occupârũt. Hos celeriter insequuti fuêre Vallones & Galli, dextram viam petivêre, quæ ad arcem & propugnacula ducebat. Nec mora; ex præscripto Vngaricus peditatus, à dextrâ sinistraque, in propugnacula duo, quorum alterum Cæsaris, alterum Valentini Toti nomine appellabatur, provolavit: mixtusque sociis Gallis, qui priores erant ingressi, fortissimè rem gerere cepit. Horum vestigiis Michael Lopes Hispanus, cum suâ centuriâ mox institit, ac postremò universa Gallorum & Vallonum manus, ac veterani pedites Germani, docente instruenteq; Suarcemburgo, quid quisque peteret, quò tenderet, quibus sociis subsidio esset ? in urbem introiit. Suarcemburgus ipse, in concamerato portæ fornice, cum aliquanta peculiarium militum suorum manu, subsistit, ut faciliùs, quò necessitas postularet, subsidia expediret. Palffius verò cũ equitibus Vngaris & Germanis, ad incerta belli, in campo excubabat; ne quid illinc detrimenti ab hoste posset accipi. Rebus in hunc statum deductis, tametsi hostes insperatâ nostrorum irruptione experrecti, quam ipsi nunquam fore credidissent, summâ animorum perturbatione, arma cepissent: tantâ tamen pertinaciâ & contentione pugnaverunt; ut postquã nostri foro, & aliquot præcipuis locis potiti essent: tribus amplius horis, sese acerrimè defenderent, & plurimos ex nostris obtruncarent. Præfectus Alibassa, ad portam, quæ exeuntibus arce sinistra est, cũ XXX. suorum cæsus est, quùm alterâ,

alterâ manu vexillum teneret, alterâ, quamquã nullis protectus armis, acriter pugnãdo sese tueretur. Incredibile memoratu est, quantâ ubique obstinatione repugnatum ab hostibus sit: adeò ut uno in loco, non longè à foro, plures ducentis è nostrorum numero, cæsi reperti fuerint. Vbi verò præfectus occubuit, LX. fere nostratium, partim interfecti, partim sauciati sunt. Adhæc tres, vel quatuor è Ianiceris, ut rebus desperatis fieri plerumque solet, velut in rabiem quandam versi, tam vesano temeritatis furore perciti in nostros irruerunt; ut quingentos in fugam converterent: adcurrentibusque subindè aliis, atque aliis, nostros, ter repetitâ fugâ, versus portam pedem turpiter referre compellerent; essetque tota res in summum adducta discrimen, nisi properè Suarcemburgus, Palffium, ut equites, qui foris vigilabant, descendere equis, & peditatui in urbe laboranti opem ferre maturarent, admonuisset. Ibi Palffius, cùm se apud equites, voce & verbis nihil proficere videret, quòd in re nocturnâ & ancipiti, cunctari viderentur; exemplo tandem promovit, cùm ipse primus in pedes descendisset, & ad urbem procurrendo præcessisset. Sic enim ipsi quoque, minimè deserendum ducem arbitrati, relictis equis, extento cursu, subsidio suis adcurrerunt. Ibi recrudescente Marte, pugna atrox, & admodũ cruenta redintegrari cæpta est: Turcis in extremo discrimine, tanto ardore, & ferociâ sese defendentibus; ut quidam ex iis, hostis, veluti verubus transfixi, iamiamque morituri, nostros tamen vulnerarent, & occiderent: ut victi & victores simul expirarent. Supra propugnaculum quoque Iacositianum; alia pugna cũ Germa-

Germanis,Hispanis,&Vngaris erat;in quâ Alai-
egus;Spahiis & Timariotis præpositus,cũ mul-
tis ex equitum & Ianicerorum ordine, cæsus oc-
cubuit ; ibidemque è nostris, complures cecide-
re. Sed postquam equites & Palffium, auxilio
suis venisse vidissent,pars cum Omeraga legato,
in arcem profugerunt,pars pulverem sulphureũ,
qui sub ejusdem propugnaculi fornice, magnâ
copiâ servabatur,succenderunt: cujus violentiâ
disjectis fornicibus,& dissipatis per aera multis,
tam nostrorum quàm hostium corporibus, in-
gens utrinque detrimentum acceptum,illatum-
que fuit. Cùm jam hostes,è foro & propugnacu-
lo omnibus pulsi,cæsique essent; Palffius Ome-
ragam cum iis, qui sese in arcem receperant, ut
sibi ipsis, quorum jam vita & salus conclamata
esset,parcendum putarent, seque dederent, hor-
tari cepit. Sed quũm se sclopetis eminùs tueri,
nondùm cessarent,attractis, annuente Suarcem-
burgo, tormentis, ac in arcem obversis ; eorum
tandem pertinacia fracta est. Ac ad arbitrium
victoris,in dedicionem accepti. Multi etiam ho-
stium, sese è muro in fossas, & Danubium præ-
cipitaverunt: quorum pars luxatis, aut fractis
omnibus artubus, in vestigio interiit; pars, sed
admodum exigua, evasisse dicitur. Plures per
abdita domorum, ac stabulorum latibula, ac
subterraneas scrobes occultati, non sine cæde &
vulneribus,indè extracti fuerunt: & tandem cla-
ro jam die,integra victoria, cum ingenti prædâ,
parta est. Quũm à mediâ nocte, pugnatum anci-
piti Marte esset. Præda inter duces & milites, æ-
quis partibus divisa est: sic tamen, ut tormenta
CXXCVIII. cum apparatu,Cæsari addiceren-
tur.

tur. Hostium M.CCCC. cæsi sunt. Capti C
absque pueris & mulieribus. Sed nec nostris
cruenta victoria cessit; quùm præter sauciat
magnum numerum, quingentos & amplius n
lites, desideratos fuisse satis constitisset. Ba
curtus, felices rei successus, ad Cæsarem alla
rus, per dispositos equos, celerrimè profect
quatuor millia aureorum nummum, donat
nomine obtinuit; ita ut millenos ex ærario, qu
tannis caperet. Süarcemburgio autem, centu
millia aureorum data, & oppidum Hustopec
in Moravia. Palffius, ab Austriacis, poculo au
reo, mille numum pondo, cohonestatus est; n
à Cæsare quicquam præmii postulavit, quùm
operam omnem, quam hâc in re præstitisset, pa
triæ inprimis debuisse, ideoq; gratuitò impe
disse profiteretur. Hunc in modum, admirabil
DEI beneficio, Iaurinum recuperatum est; no
toto quadriennio, à Turcis possessum: quâ in
totâ, illustre documentum capi potest, diù con-
temptas vires, ubi temporis diuturnitate corro-
boratæ fuerint, perniciosas contemnentibus es-
se solere.

6. Anno 1600. in Pannoniâ, res mira & nefarij
sceleris plena, accidit; inaudita hactenùs & pro-
digiosa, militum Gallorum; qui Papam in hi-
berna collocati erant, ad hostes Turcas defectio-
ne. Hi siquidem Calendis Iunijs huius anni sæ-
cularis, quùm mille fermè in præsidio essent du-
cibus quibusdam Fino & Mottâ, occultis & ne-
farijs inter se habitis consiliis, Michaelem Ma-
rothium, loci præfectum (quem recepta huic à
Turcis arce, Maximilianus, ante biennium im-
posuerat) quasi de rebus magni momenti cum

eis

eis colloquuturum, ad se vocaverunt. Is nihil fraudis subesse suspicatus, cum quibusdam centurionibus, ad eorum contubernium se confert: & quùm de varijs rebus colloqui prius cœpissent, magna Gallorum multitudo armata, eódem confluxit: moxque ubi se numero superiores esse vidissent, deponere eos arma iusserunt, & recusantes facto impetu, gladijs exutos, custodiæ tradiderunt; cæsis nonnullis, qui sese ad defensionem parabant. Nec multò pòst, occupatā arcis portâ & Germanorum quoque cohorte ibidem armis & rebus omnibus spoliatâ, arce quoque per scelus potiti sunt. Tum vero scrinia compilare & omne quicquid militibus, ac civibus erat reliquum, non solum equos, arma, vestes, pecuniam, aurum, commeatum, per vim auferre: sed coniuges, parvos liberos ac filias nubiles in servitutem redigere, omnia tam publici quàm privati iuris maxima, minima sibi usurpare. Quæ quidem inauditi hactenus & abominabilis facinoris scelere, cur facere non horrescerent, & cur tantam incredibilis perfidiæ notam, non sibi duntaxat, sed patriæ & universæ Gallorum genti inustam vellent; percunctantibus, derivata in alios culpâ, ad denegata aut non soluta stipendia, reijciebant. Supra hæc captivos Turcas, solutis ergastulis, & adapertis carceribus, liberos abire iusserunt; scriptisque ad Albanos Turcas literis, se eis urbem, arcemque tradituros significarunt: si quæ emeruerant stipendia, sibi solverentur. Turcæ iis rebus è sociorum, qui veluti vinculis postliminio redierant, sermone cognitis; primò non credere, & fraudem subesse rati: quod tantum scelus, in animos eorum cadere potuisse minimè putabāt;

tandem, quùm commeantibus ad eos catervatim Gallis, rem feriò agi vidiſſent, Achmatem quendam turmę prȩfectum, cum LX. equitibus, ac unius menſis pecuniâ miſerunt: qui auctoramento nefandæ militiæ obſtrictos, in fidem reciperet. Tametſi autem ſæpè Turcas, literis & nunciis fatigâſſent, ut maiora militum præſidia imponerent, ſolutiſque ſtipendiis, locum ſibi occuparent: illi tamen vel pecuniæ tenaces, vel Gallorum inconſtantiæ diffiſi, modò has, modò illas procraſtinandi cauſas obiectantes; utrumque de die in diem diſtulerunt. Cùm hæc ad Archiducem Matthiam perlatâ eſſent, re nec opinatâ perculſus; Suarcemburgo, ut ſedatis ſtipendiorum exolutione Gallis, curaret, ne quid respub. detrimenti caperet, in mandatis dedit: isq;, cùm alâ equitum, ac cohortibus, quæ Iaurini in ſtatione erant, ſecum acceptis, proficiſci Papam ad eos maturavit; ſi quo remedio exulcerati, & ad tantum nefas proni eorum animi, ſanari poſſent, experturus: cùm potiſſimùm adhûc ſupereſſe nonnullos ex Gallis didiciſſet, qui impiam & retroactis ſæculis minime auditam defectionem reprobare, ac multis rationibus diſſuadere conarentur. Sed quùm major pars, quod dici ſolet, meliorem viciſſet, omnis à Suarcemburgo labor, fruſtrà ſuſceptus fuit. Quùm enim in itinere, non procul Papa abeſſet, XXV. equites premiſit, qui ſuo nomine Gallis dicerent, ſtipendia eorum in numerato eſſe; ſeque ſpondere, ut depoſitis armis, ac omiſſis, quæ nefariè cepiſſent, conſiliis, ea intra decem dies accepturi integrè eſſent. Verùm illi nec admiſſis, nec auditis equitibus, & multis convitiis proſciſſo Suarcemburgi no-

gi nomine, eos abire extemplò jusserunt, nisi tormentorum certos ictus expectare vellent. Redeunte rebus infectis Suarcemburgo, non multò pòst venit ad eos à Cæsare missus Pezius, certam illis stipendiorum solutionem, certumq; diem, ad quem ea repræsentarentur adferens; sed nec ille admissus est, potiusque explosis in eum aliquot tormentis, abire jussus. Tentavit posteà Suarcemburgus, oppidum subitario petardę impetu capere; eoque proposito, cum tribus militum millibus, noctu quo occultiùs potuit, illuc proficisci statuit: sed cōsiliis ejus patefactis, Galli ad molas frumentarias, quæ sub prægrandis piscinæ aggeribus, constructæ sunt C C C. ex sociis sclopetarios, in insidiis collocaverant, qui subeuntes, simul cum Petardâ, longè submoverunt: sicque ex arce simul & oppido, tormentis potiti; destinatæ perficere non potuerunt: reque infectâ, Iaurinum sunt reversi. Cùm in hunc modum Galli, ad Turcas manifestâ proditione defecissent, nec ullis rationibus, aut promissis ad officium reduci potuissent; Suarcemburgus armis obviam eorum libidini perfidiæq; eundum cōnstituit; copiasque & castra cum tormentis & rebus necessariis Iaurino promovit, ac Nonis Iuliis, Papam obsidione cinxit. Galli quorum adhuc D.CCC. in præsidio reliqui erant, illucescente die, qui fuit X V I. Iulii, ad aggeres nostrorum, in quibus tormenta erant collocata, impetum facere decreverunt: egressique portâ, quæ ignea vocabatur, benè magno numero, acerrimum cum nostris certamen contraxerunt. Quo fervente & cadentibus utrinque haud paucis, Suarcemburgus nullis protectus armis, &

absq; galeâ suis auxilio advolavit; dumque eos, ut adversus perduelles & paricidas, ac omnis divini humanique juris impios contemptores, fortiter dimicarent, cohortari cepisset, glande caput derepentè ictus, equo decidit, & exanimis à suis est sublatus. Cujus nec opinato casu, nostri irritati potiùs quã animis fracti, cohortante Nadasdio, Gallos loco pellunt; ac usque ad oppidi portas, cędendo & trucidando insequuntur: aliquos ex eis non sine vulneribus vivos capiũt. Ac tandem Galli, ad deserendæ urbis consilia compulsi, vitatâ ejus portâ; semitam, quæ intervallum & piscinam, pluribus in locis aquâ & cæno impedita, progressuris morã factura erat, intempestæ noctis tenebris, stramine & tabulatis impleverunt; ac cum conjugibus & liberis, Albam versus ad hostes iter susceperunt. Sed nequaquam longiùs abire potuerãt, quùm eorum fuga Nadasdio, & nostris cognita, ac comperta fuit. Itaque Vngari imprimis, quorum propinquos & fratres, ac sanguine junctos, indignis modis excruciaverant, deindè & Germani, equis conscensis, eos insequuti, ad extremas Bacaniæ silvæ oras, circa celeberrimum quondam Carthusianorum templum, à Ludovico Rege primó ædificatum, sed modo dirutum, attigerunt. Quùm effugere non possent, obversâ in nostros fronte, strictisque gladiis & sclopetis, sese acerrimè defendere ceperunt. Verùm quùm nostri & æquitate causæ, & multitudine essent superiores, & subindè recentiores, aliis atque aliis supervenirent; major eorum pars protrita, ac crudeliter cæsa est: adeò ut à militibus, justo dolore exacerbatis, neque pueris, neque fœminis parceretur,

retur, & ex D.CCC. Gallis, vix CC. ſilvarum & montium, ac diverſarum latebrarum beneficio, Albam evadere poſſent: ac capti circiter X C. in caſtra retraherentur. Tantùm autem obſtinatione, & ferociâ pugnatum eſt; ut etiam ex noſtris quamplurimi interirent, & multò plures, glandibus, quibus Galli peritiſſimè jaculabantur, graviter vulnerati redirent. Marothius, & alii ordinum ductores, ac milites, jam ferè per anni ſpacium, compedibus, carcere, ac omnibus miſeriis excruciati, in libertatem reſtituuntur: qui Nadasdio & reliquis ducibus ad genua provoluti, manantibus præ gaudio lachrimis, ingentes, ut par erat, gratias habebant; qui perdomitis ac devictis immanis & inhumanæ ſævitiæ barbaris hoſtibus, patriæ totius & ipſorum conſervatores extitiſſent. Sed Galli, quos ceperant, cõmunibus totius exercitus ſententiis, per exquiſitiſſima pœnarum genera necandi, decernuntur; ſcilicet ut nonnulli, volubilibus molarum rotis alligati, tamdiù aquis merſarentur, donec impiã & crudelem animam exhalaſſent; pars verubus per ilia impactis, lento igni torrerentur: multos milites ipſi revinctis poſt terga manibus, perticis, quibus frugum vel leguminum grana excutiuntur, ad diram usque necem verberatos, ac contuſos, è medio tollerent: quidam à ferociſſimis canibus, fame prius maceratis, vivi laniarentur: compluribus umbilicotenus humi defoſſis, multaque glandium & ſagittarum grandine, veluti ad quendam ſcopum directa & effuſa, obrutis confixisque, vita ſic relinquebatur: ut ſupra immanium vulnerum dolorem, & intolerandos cruciatus, ſiti & inediâ pereundum foret.

Recuperatâ in hunc modum Papâ, ac castigatâ Gallorum perfidiâ, exercitus Iaurinum & Ovarium in æstivas stationes est reversus. Isthuanffi lib.32.

7. Indè Canisia ab Ibraimo obsessa fuit. Tanta autem impendentis belli securitate, Paradisius (qui ei præerat) agitari videbatur; ut hostes captâ Bociâ, minimè ulteriùs progressuros crederet; quod id in castris hostium, cautè ab Ibraimo, & callidè sparsum esse audivisset: & tũc demùm, cùm ante cursores eorum, propiùs arcẽ obequitare conspexisset, complures frugum & fæni acervos, in usum militum congestos, ne iis hostis potiretur, injectis facibus concremandos juberet; & ex castellis milites, ad defendendam arcem accerseret: quorum etiam nonnulli, metu simul & perfidiâ agitati, venire neglexerunt. Eodem etiam impetu, oppidum, quod in colle eminentiore situm, arcem respiciebat, simplici vallo circumdatum, succendi jussit; quòd à paucis custodiri, aut defendi nõ posset. Erant in universum cum eo milites Germani, D.CCC. ac totidem Vngari; equites vero CCCC. & Germanorum equitum sclopetariorum centuria una: quorum tamen in numero ob raram stipendiorum solutionem, magni essent defectus: nec milites ad eum, uti supra modum parcum, & in convictu minus familiarem, nequaquam facile confluere vellent; eiusque nomen, ut qui Clissiæ Turcis reddendæ auctor fuisset, & tanto detrimento, rempub. afflixisset, apud eos ubique odiosum esset. Cumq; hostes, jam X. diem, oppugnando, ac quatiendo mænia consumpserant, tormentis nihil se proficere conspicati, ad

lentaris

lentam obsidionem, ac fossas, fascibus & materia, quas proximæ silvæ affatim præbebant, implendas, animum viresque adjecerunt: moxque agrestium labore, quorum ingentem numerum, in castra adduxerant; robora senum pedum longa, succidenda curaverunt, ac camelis & jumentis clitellariis comportata, in margine fossæ collocarunt: ut illis pedetentim promotis, donec ad proximiorem vallo fossam pervenirent, iter ad arcem pararetur. Consultatum à Paradisio cum suis est diligenter, utrum ea lignorum congeries; vi pulveris succendi aut dissipari posset; & Andreas cognomento Turcus, qui tormentario negotio præerat, vir industrius se quibusdam sacculis, pulvere repletis, ac ad certum tum temporis intervallum succensis, occurrere posse retulit, operamque in eo suam obtulit. Verùm quùm operi incautiùs incumberet, intereaque complures militum, quorum lagenulæ ob glandes crebrius explosas, exhaustæ & inanes erant, ad accipiendum pulverem confluxissent, fortè fortunà excussa è funiculo scintilla, pulvis ignem concepit: punctoq; temporis non solùm ædificium omne, immani fragore & violentia obruit; sed etiam plurimos circumstantium militum, miserabilem in modum discerpsit, & frustulatim dilaceravit. Inter quos ipse Turcus, ac quidam Germanorum militum, qui in oppido habitabant, tribunus, cum signifero, ac XX. commilitonibus, repentino casu laniati atque exanimati interière. Paradisius, supra nec opinatum militum interitum, jactura etiam tantæ pulveris copiç, imprimis angebatur; cùm reliquum quod restaret, ad varios obsidionis usus, ac necessitates, incertumque eius finem, vix suffecturum ar-

bitraretur:augebatque angorem;quod Christianorum justum exercitum, in quo omnem spem collocaverant,exiguo facto operæ precio, revertisse animadverterunt. Rebus ergò desperatis, XLV.obsidionis, octavo autem, post nostri exercitus discessum,die;cum Ibraimo & eius legato de deditione transigere decreverunt:ac Iohanne Balogo, & Petro Hesso, ultrò citroque commeantibus, Paradisium aliquamdiù cunctantem,morasque nectentem,tandem perpulerunt, uti arce traditâ, ipse cum militibus & eorum sarcinis omnibus, incolumis dimitteretur:quibus etiam exeuntibus, fides ab hoste servata est. verùm Paradisius, non diù pòst eius nimis intempestivæ desperationis, & deditionis reus cõvictus, cũ quibusdã socijs, iussu Cæsaris capite pœnas persolvit. Isthuãffi lib.32. At Anno 1601. erat mens ac voluntas Cæsaris,ut coniunctis exercitibus, bellum in Pannoniâ gereretur, & oppugnandæ Budæ aut Albæ, consilia susciperentur: ac alterutrâ ex duabus vrbibus recuperatâ (quod fieri haud difficulter posse videbarur) posteà Canisa tentaretur. Verum Aldobrandino, qui secus sentiendoCanisam invadendam,eiusque rei causâ se missum esse referebat;persuaderi nequaquàm potuit, ut rectioribus consilijs obtemperaret. Igitur eo Anno, qui secularem sequutus est,exercitibus trifariam divisis, bellum geri administrarique oportuir: quorum unus, duce Mercuriano, operam impensius navante, Albam singulari virtute ac fortitudine, iuvante Divini numinis ope recuperavit. Alter Bastæ ductu, in Transsilvaniâ, rem gessit: tertius verò auspicijs Ferdinandi Archiducis,ac Italicorum auxi-

auxiliorum ope Canisam, magnâ viriumq; contentione: sed irrito conatu oppugnavit. Hostes etenim, nihil murorum, vallique ruinâ permoti, obsidentes tormentis petere, & pilas in castra & in obvios quosque intorquere, non cessabant. Quâ de causâ Orpheus, (qui operibus & oppugnationi adhibitus erat) ituris ad pugnam militibus, ut iter pararet, multos saccos lineos conquirendos; qui terra pleni, in lacunas sternerentur, ac fasces virgultorum magnâ copiâ, in proximis silvis cędendos, animum adiecit: pro quibus conficiendis, magnam telæ crassioris copiam summâ celeritate conquisitam, multa etiam tentoria ipsorum ducum, facilè id ipsis concedentibus, concisa & in saccos conversa fuerunt. Et in ijs omnibus mirificum studium & ingens Mantuani Principis industria emicuit; qui singulis diebus conscenso summo manè equo, aggeres & tormenta, aliaque loca magis periculo exposita, invisere, & munire, operas, ut necessariam celeritatem adhiberent, urgere non prætermittebat. Sed Orpheus minus obsequendo, singula quæque suo more lente exequebatur; supraque omnia, quæ deerant, & quæ ab initio, à multis animadversa, nec provisa, difficiliorem reddebant oppugnationem, longa mora, & ingens in parandis rebus idoneis tarditas, vel maximè officiebat. Præterea equi & iumenta, quorum ad trahenda tormenta usus erat, maiori ex parte, quâ pabuli inopiâ, quâ frigidioris aeris intēperie, aut enecti; aut viribus destituti erant; ut principes & duces, ac plurimi privatorum militum, suos equos & currus, ad comportandos è silvâ satis procul dissitâ fasces, vehendam-

que materiam, accommodatò dare cogerentur. Habebat in animo Orpheus, repletâ quinque in locis palude, iter ad arcis fossam parare; ut ea totidē oppugnationibus tentari posset; cùmque in conficiendo opere assiduus versaretur (quamquam à multis ne loco periculoso, incautiùs hæreret, admonitus esset) fatali colubrinæ pilâ, ex arce in eum directâ per scapulas ictus, atque interfectus fuit. Excepit ejus munia Cæsar Porta, è Pontificiis cohortibus architectus, sed pari tarditate, ac rerum difficultate implicitus; quibus etiam effectum est, superingruentibus temporis & hiemis injuriis, nè obsidentes, voto & desiderio potirentur. Nec caruit periculo Ferdinandus ipse, cum aliis principibus. Cænante siquidem illo, cū Maximiliano fratre, ac Mantuano Principe, quod tentorium, accensis in usum luminibus splenderet; hostes ictum collineantes, ita in illud direxerunt, ut pila tabernaculo penetrato, inter eos, qui ad mensæ ministerium stabant, nullo læso provolaret; ac fractis quibusdam scriniis, postremò ad culinæ angulum humi infigeretur. Eodem etiam tempore, allata fuerunt duo capita, unum Muratis purpurati Budensis, ac alterum Mehemetis, qui fuerat Ibraimi purpuratorum supremi legatus; quæ ambo in Albanâ pugnâ admodum cruentâ, cum Matthia Archiduce, & Mercuriano, pugnata; truncis erant præcisa. Itaque placuit, per quosdam, extra aggeres ad fossæ marginem perductum, ea capita obsessis ostentare; ac ne deditionem differrent, proclamare: quandoquidem exercitus, quem ipsi auxilio venturum sperabant, à Christianis fusus esset & fugatus, ejusque duces cæsi, ut ex eorum

capti-

capitib. appareret. Verùm tametsi Turcę in mænibus frequentes essent, qui tam capita aspicere, quàm vocem facile audire possent; tamen nè verbum quidem ab illis, de deditione exprimi potuit: quin potiùs ad extremum, nisi ocyùs indè sese reciperent, tormentis eos petituros vociferabantur. Vicissim Ferdinandus, & reliqui duces, arcem tantâ vi quotidiè verberabant; ut iam inclusi; mænibus usque ad humum stratis, scrobes subterraneas subire, inque iis agitare cogerentur; tantaque rerum necessariarum penuriâ laborarent, ut obsidionem ulteriùs nequaquam toleraturi crederentur; quùm & farina omnis, ac alia cibaria defecissent; Italiq; adhuc in replendis fossis, incessanter occuparentur: nihilominùs tamen, incredibilis erat obsessorum pertinacia; sive quòd fossam, gelidissimæ aquæ plenam, à nostris superari nequaquam posse crederent; sive nostros hiemis iamiam sævituræ incommodis obsidioni finem imposituros confiderent: ita ut ne verbo quidem, deditionis signum dare vellent. Tartarorum quoque turma, è Sigetho, duce Abollate, videndi quidnam ageretur causâ, & ad castra inquietanda procurrerat; quæ tamen à nostris Illyrici nominis militibus, cæsis ferè omnibus, dissipata, concisaque fuit: eorum capita cõtis præfixa, unà cum ipsius Abollatis capite in castra sunt relata. Sed mox, ingruente eâdem nocte, sævissimi & horridissimi è Septemtrione Boreæ, flare ceperunt; insolitæque & præaltæ nives, turbato aere cecidere, quales vix avorum ætas meminisset, adeò ut milites, horrendâ ventorũ, statim omnia congelantium vi perculsi, nedum sua officia & munia, excubando, atque vigilias

obeundo exequerentur; ſed ne membra quidem movere poſſent: & plurimi, in ipſis tuguriis, & ſcrobibus, miſerrimo mortis genere enecti, ac rigentes reperirentur. Iumenta quoque & equi, antea pabuli inopiâ, nunc autem intolerando frigore, vitalia viſcera opprimente, paſſim interirent. Quæ horrendæ tempeſtatum procellæ, nedùm remittere aliquantulū, ſed furentibus quotidiè ventis, magis ac magis valeſcere videbantur, cœlumque ipſum ac terra pro hoſtibus ſtare; noſtris verò contrà, adverſiſſima omnia ingruere, & gravius gliſcere palam eſſet. Igitur duces, non jam amplius, tot tantisque rerum difficultatibus, obluctandum eſſe decernunt; quæ in ipſos, multiplici veluti diri ominis congerie cōjuràſſe cernebantur, & communibus ſententiis exercitum reducere incipiunt. Tormenta, quæ deficientibus, & fame, frigoreq; enectis jumentis, quùm attrahi non poſſent, ibidem relinquūtur: quæ etiamſi ſuperfuiſſent, quia tamen telluri cœnoſæ, usque ad axes impacta, ac demùm rigidiſſimo gelu concreta eſſent, loco moveri nō poterant; quantùm tamen concedebatur, corrūpendis opera navata. Tentoriorū maximus numerus, ſubditis ignibus cōcrematus eſt; eademque pulveris ſulphurei, & impedimētorum ſors fuit. Sed magno crudelitatis & inhumanitatis exemplo, ægrorum ac vulneratorum nulla habita eſt cura: qui in eisdem, quibus ejulando ac lamentando, Divumque atque hominum opem fidemque implorando, tentoriis & lectulis decumbebant, miſericordiæ aut feritati hoſtium relinquebantur: poſtquam incredibilis, & ſupra fidem intoleranda vis frigoris, omne genus offi-

cium

cii ac pietatis, excludere videretur. Ferdinandus cũ Mantuano, ac Maximiliano fratre, ad XVIII. diem Novembris, primo illucescentis diei crepusculo, cum suo prætoriano comitatu, versus Chaćtorniam iter suscepit; ad quam se eodem die perventurum putabat, idque meliori cœlo, atque viâ factu facile erat; sed triduum, in eundo consumptum fuit. Nondum à Canisæ arce, procul erat discessum, quùm in quodã paludis transitu, quem Ferdinandus Herbestanio reficiendũ, ac ponte sternendum mandaverat (sed ille contumaciâ singulari obaudiverat) plurimi mortales, equè ac equi immersi, glacie & aquis interiêre: quùm quattuor integras horas ibidem expectando, ventorum rabiem, & procellas sustinere non potuissent. Currus onerarii, ac impedimenta, morientibus aut dilapsis aurigis, ac custodibus, aut etiam interfectis, ac multa preciosa supellex, injuriæ insidiantium, ac prædæ fuêre. Videre etiam in itinere erat, multos pueros, & fœminas, & imbellem ejuscemodi turbam, atque adeo etiam milites, rigentibus nimio frigore artubus, corruere, & sine ullâ prætereuntium misericordiâ aut ope, extingui & expirare. Quâ in re, tantam militum Germanorum feritatẽ fuisse perhibent, ut nulla morientium commilitonum commiseratione tangerentur, sed potiùs concidentibus, nec toto nativo calore destitutis, & adhùc palpitantibus, calceamenta & vestes detraherent; ac crudelissimum mortis genus, sociis accelerare conspicerentur. In hunc modum multâ nocte, ad villam Decanociam ventum est: ibique principes, in mapalibus & rusticanis casis, simul cum paucis, & Madrucio ac aliis è comi-

tatu, hoſpitio excepti fuêre; alii ad villas proximas, quâ quisque potuit femineces, & gelu rigidi, diverterunt; multos vel ibidem, vel ſecus vias & cōpita corruentes, vita reliquit. Iſthuanfi lib. 33. Eâ de re, etiam Thuanus, lib. 126. ubi inter, alia. De auxiliis, præcipuè ſollicitatus fuerat Pontifex, à Sigismundo Turriano limitis illius regulo, Proteſtantibus, ut ipſi ſcripto publicarunt, infeſtiſſimo, cautione additâ, nè illi in ullam belli Turcici partem, cum dignitate & imperio admitterentur. Is dum ultrò citroque impigrè commeat, juxta Goritium, Ignâ fluvio plerumque vadoſo, ſed tunc Iunio ineunte, fortè exundante; dum tranaret, curru everſo, cum numeroſo famulitio, quod ſequebatur, hauſtus periit, & ſpei de tanti apparatus ſucceſſu conceptæ, triſte omen fuit.

8. Viciſſim autem, non omnia Turcarum Imperatori, ex voto tunc ſucceſſerūt: in Aſia enim, Mahumetes Scribanium quendam præfectum, conſtituerat. Is cum videret, Domini ſui copias, in Hungaria, & alibi, occupatas, ipſum verò in gynecæo deſidentem, pluris facere colus, quàm haſtas; occaſionem hanc arripuit dominatum affectandi, & in aqua turbida piſcandi. Ianitzari verò & Spahi, in quibus robur Imperii Turcici conſiſtit; cùm intelligerent, Scribanium otium ac deſidiam Imperatoris, & miniſtrorum ipſius perfidiam accuſare, magno numero Conſtantinopoli coeunt; & Imperatorem Mahometem orant, ut apertè declaret, an velit curam Imperii ſuſcipere, nec ne? Et tumultu ingraveſcente, ab executione initium faciendum contendunt. Mahometes, cùm non aliter poſſet, ſuum & matris.

Capi-

Capi Agam, ipsis tradit; qui statim concisi fuerunt. Haut multò pòst, Bassæ in aulâ Turcicâ, Imperatorem suum gravi fastidio despuere incipiebant. Sciebant, Mahometem esse hominem mollem, cujus maxima trophæa essent, aliquot formosæ fæminæ, quas in suo palatio adorabat; idcircò eum solio deturbare, & ipsius loco filiū, quem habebat, primogenitum, substituere decernunt. Istud autem omne conjuratorum consilium, evertit; quòd peritum quendam Astrologum, de fortuna junioris istius Principis consuluerunt. Ille nativitatis ipsius momenta perpēdens, & astrorum cursum ac situm considerans; invento ejus horoscopo, ad Sultanam matrem scripserat, ut bono esset animo: brevi namque eam filium conspecturum, Imperiali diademate ornatum. Sed Evnuchus, qui literas ipsius ferebat, captus, & ad Sultanum adductus fuit. Detectâ conjuratione, Mahometes filium & Astrologum, ad se accersendum, atque utrumque coram se strangulandum curavit. Astrologo vanitatē artis ipsius judiciariæ, & spes fallaces, quas indè hauserat, exprobravit. Nam filium, pro diademate & sceptro, quod ipsi promisisset, laqueū & ignominiosam mortem reportare: ipsius verò futilitatem meritò irridendam, qui, dum aliis futura prædiceret, mortem sibi imminentem, non prævidisset. Deindè conjugem, cum aliis quibusdam ejusdem sexus, conjurationis consciis, in mare præcipitari jussit. Bassæ, Evnuchus, & complures alii, vitam laqueo finierunt. Sic regnandi causâ, jus naturæ violatum fuit. Mahometes, qui proprio filio non pepercerat, ut hanc crudelitatem tegeret, falsum rumorem per suū

Imperium disseminavit; filium suum ad generã-dum impotentem, fuisse; ideoq; se noluisse committere, ut ipsius causâ, sceptrum suum in peregrinorum manus veniret, stirpe Othomannnica in ipso deficiente. Sed mors filii, mortem Patris acceleravit. Nam pœnitentiâ, ob enecatum filium, qui ipsi in Imperium succedere debebat, vermis instar, animum eius corrosit: & præter alia, incommoda, quæ passus est in Hungaria, Italia India Orientali, & alibi; tantam ipsi ægritudinem peperit, ut omni fortunâ destitutus videretur: donec illo ipso tempore, quo de induciis faciendis cum Cæsare Rudolpho II. ageretur, lue pestiferâ sublatus, Constantinpoli, inter cõcubinarum greges, decessit: sub exitum anni M.DC.III. Cum imperasset annos VIII. & vixisset XXXIX. Princeps infelix; cujus Imperium foris bello adverso, intùs crebris domesticorum seditionibus agitatum fuit: & quem voluptates, apud suos in odium, apud hostes in contemptũ adduxerunt. Is enim, patre & avo ventricosis prognatus, & per voluptates ampliùs soluto abdomine, vix se loco movere poterat. *Pareus histor. Profan. Medull. fol. 1139.* De hisce turbis Asiaticis, Amuratisque morte, videre etiam potest Thuanus *lib. 127. & 130.* Paulo autem anteà, quàm fatis concederet, ita comiter ad Christianissimum Regem scripserat; ut Turcica ferocitas, nulli unquam totius orbis principum, ita se demiserit: peculiaribus enim titulis, elogiisque luculentissimis, & gloriosissimis eum afficiebat, & dignabatur: ut eum inter Christicolas, Imperatorem summum & præcipuum vocaret, dissidiorum inter Europeos arbitrum; quo uno moderatore & judice, inter

inter jurgantes gravissimæ contentiones conticescerent: supremæ celsitudinis dominum, opibus stupendum, quod æmulantur omnes, bellicę fortitudinis exemplum, Franciæ invictiss. imperatorem, cui fortes exercitus, firmum imperium, longos annos, vitæ fælicem tranquillumque exitum precabatur. *Rodolph. Botereius comment. lib 10 fol. 157.*

Achmat

Achmat, sive Amath.

A.C.1604.

HIs patri Mahumethi mortuo succedit, Anno XV. ætatis. Cùm Strigoniũ ab Imperatore Rudolpho, recepisset; Bassæ Alepiensis Damascum occupantis, & ad Persas deficientis rebellionem expertus; cum Imperio nostro, aliquot annorum inducias An. 1606. iniit. Duos etiam filios reliquit, Ozmannum & Amurathem.

2. Mahometes III. moriens, filium hæredem tanti Imperii ACHMETEN I. fere impuberem reliquit; quod hucusque in illa familiâ, nunquam evenerat: qui post donativum pro more largè distributum, & Alim, Aegypti purpuratum, summæ rerum præpositum, & aviam, cujus invidiosum sub patre fuerat Imperium, in hortos suos, ab aulâ suâ longè relegatam; præter omnium expectationem, eandem, quam majores, in regni auspiciis, pacem invenit. Nam si ad rationis humanæ modum res perpendatur, quis non putâsset, tantum Imperium, quod mole suâ jam laborare incipit; sub puero Principe, recenti tot rebellionum exemplo, & solutâ ubiq; inter milites disciplinâ, subitis ad hunc casum motibus quassatum iri; & purpuratos Bassas occasionem indè capturos, in suâ quemque provinciâ, illud lacerandi: sicuti in Alexandri morte factũ accepimus? Quod tamen minimè accidit, ut iram Dei contra Christianos, meritò inflammatam.

tam.

tam, indè perseverare, manifestè appareat. Hæcque Achemetis ætatis immaturitas, fratrem laquei periculo tunc exemit, qui ipsi reservatus fuit, donec Imperatori filius nasceretur, cuius nativitatis exitium illi attulit. Intereà oculis privatus fuit; ne seditiosi haberent, ad quem cõfugerent. Initio Imperii, ex variolis periculosè ægrotavit; tam vehementibus symptomatis debilitatus, ut Bassæ de fratre ipsius cæco adsciscẽdo, & in solio Imperii collocando, deliberarent. Quâ re, tantam indignationem concepit Achmetes, ut simul ac febris ipsum, & ipse lectum deseruisset; fratrem strangulandum curaverit, omni suspicionis ac metus materiâ sublatâ. Et ut populum, de recuperata valetudine cõfirmaret; curru regali ac magnifico, per urbem vectus est. Cùm Imperium capesseret Achmetes, magnam de se opinionem concitaverat, fore, ut bello deditus esset, & otium fugeret; & Turcæ iam reliquas Orbis partes, spe complexi erant. Sed ut erat ferocis ingenii, ita severè Imperium exercebat, & omnes sibi districtè parere volebat: Itaq; auctoritatem suam, ferro firmavit, & primo sui Imperii anno, plùs quàm 300. ex suis subditis, viros primarios, capitis supplicio affecit. Intereà Rex Persarum, capitalis Turcarum hostis, cum sibi persuasisset, iuvenem Sultanum, recens inter varias confusiones, quæ sub initiis Regnorum evenire solent, ad Imperii culmen evectum, iis viribus, non fore instructum, quibus sibi resistere posset; coactis copiis, Taurisium, Erzerum Babylonem, & 80. partim Vrbes, partim castella, non vi, sed verborum blanditiis occupaverat. Nam se non alio fine venisse dicebat, quàm ut

incolas ab intolerabili iugo Turcarum liberaret, cuius loco mite Persarum Imperium experturi essent. Hinc pulcherrima occasio, Christianis se offerebat, eripiendi Turcis, quod iniustè in Europa occupaverant, dum Persa in Asia eos premebat. *Pareus in histor. profana.*

3. Anno 1605. Mehemetes Visirius, Strigonium obsidione cinxit. Strigonio autem, post discessum Althani, qui se præfecturâ abdicaverat, nemo certus, qui præesset magistratus erat; cura tamen eius, Wilhelmo Oetingensi comiti, concredita fuerat: qui non ita pridem, cum suâ legione munus tuendi loci susceptum administrabat. Is sive Vngaris pro veteri Germanorum more diffisus (quæ res Vngaros perdidit) qui tamen hactenus fortem, fidelemque operam navaverant; sive consultius futurum arbitratus, si solis cum legionariis Germanis, quamcunque sortis aleam toleraret; Vngaros veteres præsidiarios, antequam Turcæ advenissent, non satis utili consilio exauctoravit. Turcæ autem, postquam justo cũ exercitu, Strigonium cinxissent; eodem tempore, tribus aggeribus constitutis, oppugnationem trifariam instituerunt: oppidum nempè Aquarium, ac arcem superiorem, in quâ templum est, ac munitionem, quæ in monte, sancti Thomæ extructa à Germanis defendebatur: Et quùm hanc diu tormentis verberâssent, sexto tandem Idus Septembris, ad ruinas conscendere conati, oppugnationem magno animorum viriumque ardore aggressi sunt. Sed à Germanis pari cõtẽtione, acerrimè propugnãtibus reiecti; cum magnâ suorum strage pedem retulerunt: ita ut supra M. & D. socios tormentis & glan-

& glandibus cæsos amisisse dicerentur. Octavo pòst die illucescente, hostes redintegratis viribus, oppugnationem acrius quàm anteà repetivère; polliciti suis purpuratis, se nequaquam nisi victores redituros. Et Germani fortè eo die, nimiùm compotationi indulserant; ut adhuc somni vinique pleni essent. Tametsi igitur hoste conscendente experrecti, quantùm possent, sese & arcem tuerentur; ad extremum tamen victi, cæsique ad unum omnes sunt: ac hostes non sine magnâ suorum strage locum obtinuerunt. Ex Germanis plùs minùs non gentos milites, hostium verò duplò majorem numerum periisse, satis constat. Eâ captâ munitione, hostes ad Aquarium oppidum, omnes vires converterunt, ac X X X. circiter tormentis, sine cessatione verberârunt. Intereà, ipsi quoque novam arcem, jam satis quassatam oppugnare constituerunt, ac Haidones (qui Cæsari Rebelles, in castris infideliũ militârunt) dato signo irruere per ruinas jusserunt. Quod tametsi illi impigrè procurrendo exequi, & conscendere contendissent, à propugnantibus tamen Germanis, cum magnâ strage reiecti sunt. Cecidere ex Haidonibus ampliùs mille, vulnerati haud pauciores: & eâdem in oppugnatione magni aliqui nominis Hungari, qui Strigonio, ab Oettingensi Comite dimissi, & ejus contumeliæ impatientes, ad castra perduellium profugerunt, glandibus traiecti occubuêre. At Turcæ vallo, quod è materia ad muniendum Aquarium oppidum erectum erat, incenso & concremato, Calendis Octobris, oppidum ipsum adorti; cum ingenti Germanorum clade, ac internecione, expugnârunt; eosque in superiorem

riorem arcem, sese recipere coegerunt: nec Turcæ, quin eos cedendo persequerentur, contineri potuêre; sed tormentis eminùs rejecti, in oppidum redierunt. Eo acerrimo in certamine, supra mille milites Germani, crudeliter sunt cæsi, & iniquiore sorte, etiam Comes Oetingensis præfectus, cecidit. Quæ res Germanorum animos, mirum in modum consternavit. Sequenti die, cùm Turcæ cuniculos agere cepissent, & vallum etiam superioris arcis, subjecto igne conflagrâsset; quo multi ex Germanis partim concremati, partim crassiori fumo, præcluso spiritu, suffocati essent: desperatâ arcis retinendæ ope, ad Dampierium, quem in locum Oetingensis ab hoste cæsi, consensu & suffragio militari suffecerant, conversi; ut deditionem facere vellet, magno fremitu postulare ceperunt. Quod ille eis constanter denegavit, eosque officii & sacramenti, quod Cæsari & loco tuendo, præstitissent, admonuit; néve tantam incredibilis infamiæ & perfidiæ notam, nomini Germanico inustam vellent, identidem seriò severeque repetivit: exemplum abs se capere jussit; qui nullo accepto stipendio, ad tuendum tam celebre totius regni propugnaculum, voluntariam militiam esset sequutus, nec vitam pro eo profundere dubitaret. Cum nihilominùs pertinaci animo, in sententia persisterent, & major pars, desertis stationibus, libellum conscribendo, quo deditio urgeretur, nullâ defendendæ arcis curâ tangeretur; Turcæ verò interim in egerendis cuniculis, & quatiendis mœnibus nequaquam cessarent: Dampierius consilii inops, speique incertus, libellum quidem iracundè mox discerpere, eosquos ut seditiosos,

tiosos, fideique immemores, neque (veluti desertores) militum nomine dignos appellare, ac ut respicerent, magnoperè cohortari. Sed apud obstinatos omnia frustrà erant: ii siquidem, magis auctâ seditione, illum captum custodiæ tradiderunt; ac intromisso Ali Budensi præfecto, agere de deditione & discessu, cum eo inceperũt. Qui summâ recuperandi Strigonii cupidine flagrans, non solùm liberum iis, qui vellent, abitum se & vesirium concessuros respondit; sed etiam si qui permanere in loco, & stipendia ibidem merere in animo haberent, ea uti satis temporibus eis solverentur, curaturos pollicitus est. Cui conditioni, milites ex Germanis ferè ducenti, frustrà reluctante Dampierio, assensere; ac quod nũquam anteà acciderat, cum signis, tympanis, duce manipulariis, ac eodem planè, quo Cæsari militassent, ordine ibi remansêre. Cæteri mille circiter, unà cum Dampierio, custodiâ emisso, Comaronium versus, ablatis secum sarcinis, explicatisque signis discessere: comitantibus ad aliquot milliaria Turcis, sauciosque & ægrotos, per sua navigia Comaronium deducentibus. Per hunc modum incertum ignaviáne majori, an perfidiâ Germani militis, ac dissensione seditiosorum Vngariæ Civium, hostis Strigonio iterum potitus est: quum illud, à Cæsarianis decennio integro possessum fuisset: cessitq; magno honori & gloriæ Mehemeti Vesirio; quòd cum ipse eam urbem, ante decem annos, fuso à Mansfeldio Turcarum exercitu, ingressus, tandemque nostrorum vi coactus dedidisset: ita post tantum diuturni temporis progressum, ei contigisset, ut iterum, per conditiones deden-

tium

tium sese Germanorum ipse feliciter recuperaret. Cum Germani Comaronium pervenissent, armis exuti, ac in vincula & carceres conditi, ac deindè, simul cum Dampierio, Posonium missi sunt. Vbi de aliis, varia supplicia sumpta fuêre. Sed Dampierius, quòd nullis stipendiis addictus, eò iisset, & semper deditionis consilia improbâsset, militari judicio, absolutus est. *Isthuanfi lib. 34. vide, eadem etiam de re, si lubet Thuanum, lib. 133.*

§. 4. De pace autem, inter Cæsarem & Turcas tandem initâ, ita Isthuanffi lib. 34. Post aliquot dierum disceptationem, quùm ambæ partes, omnia quæ hoc diuturni belli tempore amiserũt, repeterent; Cæsariani pro reddenda Agriâ & Canisâ, quam sub induciarum & pacis tractatione callidè obsessam, ac deditione captam dicebant; magnoperè contenderant; ita ut eâ contentione, quinque fere dies consumerentur: & Cæsariani, absq; eâ, pacem non coalituram dicerent. Alisque, de ejus prospero exitu desperaret, ideoque Achomati legato suo, vehementer irasceretur; gladio etiam stricto eum, nisi è conspectu aufugisset, violaturus: qui ei auctor fuisset, diutiùs isthîc manendi, & non statim primo die abscedendi. Sed quùm posteà legati Cæsaris, à certis & fidei indubiæ exploratoribus cognovissent; nec Agriam, quòd ab eorum principe præsente capta esset, reddi posse: nec Canisam, quod de eâ reddendâ, nihil in mandatis datum esset (quamquàm Boscaius & Illieshazius cæterique, pro eâ, quâ apud Turcas pollerent gratiæ opinione, sæpè antea alterutram ex duabus, se recuperaturos, frustrà gloriati essent) necessitati parere coacti, ab eo negotio urgendo, destitêre. Ac denique

que, post multas, & graves conditiones, utrinq; propositas, & magnâ contentione disputatas; in hanc sententiam devenêre, fœdusque his conditionibus ad annos XX. percussum est. Primò, ut Achomates Turcarum princeps, Cæsarem patrem appellet, ipseque ab Cæsare filius appelletur; ac in literis, quas Cæsari scribet, ac in legationibus cunctisque actibus, cum nomine Cæsaris patris salutet. Tartari hoc fœdere comprehendantur, nec illis liceat quicquam detrimenti, principum Christianorum ditionibus ac provinciis inferre: omnia hujus fœderis jura, terrâ marique, utrinq; observentur. Excursiones mutuæ, interdicantur; & milites, qui furtim latrocinari ausi fuerint, capi, punirique à præfectis debeant, rebus restitutis, & captivis dimissis: arces & oppida occupare, aut clàm vel palàm invadere, nemini liceat. Quæ vero Boscaio concessa sunt, ea maneant; juxta vires Vienensis transactionis. Captivi, qui intra cæptum tractationis tempus, capti sunt, utrinque gratis restituantur; qui verò anteà in servitutem incidissent, iamque de redemptione, cum dominis transegissent, ii promissum solvant. Si quæ controversiæ, inter milites ambarum partium suborirentur, eas Iaurinensis Civitatis præfectus, cum Budensi purpurato, ac in Illyrico Banus, dirimendi potestatem habeant. De gravioribus, quas hi decidere non potuissent, rebus, uterque Imperator requiratur. Arces, in suis veteribus locis, quælibet pars restaurandi & ædificandi potestatem habeat: de novo autem ædificare nequaquam possit. Legatus Cæsareus, nunc statim deferat Constantinopolim, Achomati principi Turcarum,

rum,munus honorarium CC.millium Tallerorum,juxta promiſſum antea factum : idque hâc ſolùm vice,nec amplius ullo tempore. Quandò is legatus Conſtantinopolim,ad cōformandam ab Achmate pacem venerit; indè quoque Achomates mittet Pragam legatum ſuum, ad Cæſarem,cum muneribus, majoris quàm anteà precii. Nunc verò Murates purpuratus, & ſummus exercitus præfectus, quem Serdarium vocant, Archiduci Matthiæ, per nuncios ſuos, munera dabit,& accipiet. Cùm munus honorarium Byzantium adferetur, poſteà per integrum triennium,à mittendis mutuò legatis,& muneribus, ceſſabitur:elapſo autem triennio,mittet uterque imperator, invicem abſque obligatione, & nomine, vel numero, munera pro ſuo quilibet arbitrio per homines utrinque dignos & condecentes.Et ſub hoc XX. annorum ſpacio, ſub fœdere comprehenſi intelligantur, cum Cæſare, hæredes quoque eius, ac ſucceſſores, legitimi Vngariæ reges,itemque fratres, nepotes, & affines eius; illudque idem ex alterâ parte, intelligendum. Legatis Cæſaris, Byzantii liberum ſit proponere,petereque quæcunque voluerit. Oppida & pagi dedititii,qui cum arcibus recuperatis,jugum Turcicum excuſsêre;illi nec impoſterum ad pendendum tributum cogantur. Ea tamen loca,quæ poſt captam Agriam,ſemper fuerant tributaria, maneant in eo ſtatu : nec tamen Agrienſes Turcæ,alios pagos ac colonos,ad deditionem compellant. Strigonio quæ ſe antea villæ ſubdiderunt, nec modò Turcarum imperium detrectent. Cautum autem ſit Turcis, villas plures, ad deditionē cogere, aut ad eas egredi;no-

di; novisque subindè oneribus, & exactionibus gravare. His ferè conditionibus, confecta pax est; cujus mentione veterani milites ducesque, adeò offendebantur, quibus in armis duntaxat & bello spes erat, ut vel audientibus legatis, eos, qui pacificationi studuissent diris omnibus devoverent. Isthuanffi lib. 34.

5. An. C. 1611. recruduit inter Turcas & Persas bellum. Post cladem enim & obitum Cigalæ, supremi exercitus Turcarum ducis contra Persas, rex Persarum, omnia, quæ Turcæ majoribus suis eripuerant; recuperavit (ut jam modò suprà, dictum etiam fuit,) & limites imperii sui, usque ad mare Caspium produxit. Quo facto, legatum ad Turcarum imperatorem misit, cui significavit, quandoquidem iis, quæ imperio Persico, injustè subtracta fuerant, rursus esset potitus; se ulterius progredi nolle, & pacis cupidum esse: quæ melius nunc coli & observari posset, cùm nihil esset, quod alter ab altero repeteret. Sed cùm legatus ille, septem menses, in aulâ Imperatoris Turcici, substitisset, tandem inauditus discessit. Anno Christi 1607. At Anno subsequenti Amurathes Serdar, purpuratorũ princeps, cùm jussus esset Persis bellum inferre; contra Gambalotam & rebelles in Asia, arma vertere, eosque Alepo eiicere coactus fuit. Anno CIↃIↃCIX. & CIↃIↃCX. Turcæ, nihil contra Persas moverunt: & quamvis Persæ pacem peterent; tamẽ splendor & magnitudo imperii Ottomannici, non patiebantur, ut Turcæ tanta clade acceptâ, & intra terminos antiquos repulsi, pacem inirent: quam non accipere, tanquam victi, sed dare, tanquam victores solent. Ann. C. 1611. Turcarum

sus fuit: undè Goveam in ultimum angulum Ponti Euxini perrexit, ibique commoratus est, donec legatus Mingrelini, apud Principem Dadranum fuisset, & ipsi pacis conditiones, quas Turca proposuerat, attulisset: dum intereà legati Gorelii, Principis Georgiani Potone Goveam, ultro citroque commearent. Tandem post multas difficultates, purpuratus Onesius, Potonem (qui portus est Georgianorum) profectus est; ubi omnes controversiæ, quæ Turcarum Imperatori cum Mingrelinis & Georgianis intercedebant, compositæ fuerunt: & hi tributum, quod ille petebat, se missuros polliciti sunt. Regio Mingrelinorum, & Georgianorum sita est in Oriente, ad Pontum Euxinum & mare Caspium. Incolæ sunt Christiani, religionis Græcæ, & diversis principibus parent. Assiduis bellis contra Turcam, aut Regem Persarum exercentur. Principes ipsorum nomen Chami, quod regem sive supremum dominum significat, sibi tribuunt. Rex Persarum anno CIↃIↃCXIII. Trebis-Chamum, præcipuum Georgianorum Principem, omnibus ditionibus exuit, qui se ad Mingrelios recipere coactus fuit. Legatus Regis Galliæ, qui Constantinopoli residebat, Zelo erga religionem Christianam incitatus, cùm multa ex legato Principis Mingreliorum, de horum populorum studio in religionem Christianam cognovisset; quamvis illi schismatici sint, cum ipso tamen egit, ut quandò Barletum reverteretur, quod plusquam quingentis milliarib Gallicis, Constantinopoli distat, duos Patres Iesuitas, cum interprete secum assumeret. Illi cum eo in regionem illam profecti, & ab illius Prin-

cipibus, humaniter accepti fuerunt. P. Ludovicus Grangierus VI. Non. Mart. An. C. 1615. ex urbe Moquio in Mingreliorum regione, ad Generalem Iesuitarum litteras dedit, quæ typis excusæ fuerunt; in quibus multa particularia de populis hujus regionis refert. Turcicus porro Imperator, factâ pace cum Mingrelinis & Georgianis, cum in Europâ, etiam cum Rom. Imperatore transigere cuperet; ut suos rebelles in Asiâ, omnibus viribus aggredi posset, Achmetem Tichaiam Viennam misit, qui IV. Eid. Maij modò dicti anni, cum Gaspare Gratiano, homine Christiano, & CXXXVI. comitibus eò venit. Pompa ipsius equis & curribus insignis, & ipse honorificè exceptus, paxque anteà facta, iterum confirmata fuit. *Supplem. Thuan. lib. 8.*

7. Sed nunc, vanum tumultum, & furorem Turcicum videamus: qui An. C. 1616. accidit, & tantus fuit, ut Constantinopolis denuo à Turcis capta videretur. Sultano indignante, legatum Imp. Matthiæ, tympano sonante, & explicatis vexillis Constantinopolim ingressum esse; Turcæ falsos aliquot rumores sparserunt: ac primùm, legatum illum magnum numerum hominum, simulato habitu Iudæorum & Græcorum, secum adduxisse, qui Constantinopoli & Galatæ hospitium haberent: deindè in templis Christianorum & ædibus legatorum, magnam vim esse armatorum; tertiò, Græcos ad rebellionem concitandos, quartò, Cosaccos, consilii participes per pontem Euxinum venturos, & Constantinopolin occupaturos esse, quæ tunc militibus Turcis destituta erat. Nam eo tempore, quatuor numerosi exercitus Turcici, in di-

in diversis locis bellum gerebant: duo terrestri expeditione, in Perside & Poloniâ; ac totidem maritimâ, in ponto Euxino, & mari Caspio. Rumoribus illis per urbem disseminatis, tumultus oritur. Vicarius patriarchæ, qui erant Franciscanus, capitur, cum sex Iesuiticis, qui erat Galatæ. Sultanus, præter morem, totam noctem per urbem, cum suis aulicis & stipatoribus obequitat. Vicarius patriarchæ, ante oculos ipsius obtruncatur: Iesuitæ in profundas fossas, conijciuntur. Generalis omnium Christianorum, qui Constantinopoli & Galatæ erant, recensio instituitur. Sultanus, ut tantò citiùs periculum discuteret, omnes Christianos, exceptis Græcis, interfici jusserat: quod tamen executioni mandatum nō fuit; sed edictum publicatum, ut omnes Christiani, habitum suæ nationis induerent, & ne quis pileum gereret, nisi esset Gallus: Christianis, qui non essent Græci, gravi pœnâ denuntiatâ interdictum; ne Græco habitu uterentur. In hoc gravi tumultu, & severâ inquisitione, nullus ex legatis Principum Christianorum se movit, præter Baronem Sansæum, Regis Christianissimi legatum. Is Galatâ Constantinopolim traiecerat, ut purpuratorum principem cōpellaret, & pro Iesuitis intercederet, ac cognosceret, cujus criminis insimularentur. Sub id Sultanus vetuit, nequis Constantinopoli Galatam, aut Galatâ Constantinopolim transfretaret. Quamobrem legatus, cum Galatam reverti vellet, prohibitus fuit. Itaque ad Muphtim, summum Turcarum Pontificem, se contulit, comitatu suo in littore relicto; siquidem Pontifex iste, cum paucis adeundus est. Illi, qui in littore

ſtabant, mox ab innumerâ populi multitudine circumdantur; ita ut de vita ipſorum actum videretur. Quidam tamen ex Turcis, miſericordiâ ipſorum commovebantur; alii eos maledictis inceſſebant. Legatus miſſo ſuo interprete ad purpuratorum principem, aliquot pòſt horis ſcriptum, manu ipſius exaratum ab eo accipit, quod unus ex ipſius domeſticis attulit, qui legatum comitatus eſt; effecitque, ut ipſi & comitibus ipſius, Galatam remeare liceret. Cùm legatus in hoſpitium rediiſſet, ſub noctem tumultus in eâ plateâ, in quâ ille habitabat, renovatus fuit; propter contentionem, quæ inter duos vicinos, quingentis à legati hoſpitio paſſibus, orta fuerat. Turcæ eo ſtrepitu excitati, denuò arma ceperunt: iamque plures, quàm mille, coiverant, impetum in legatorum hoſpitia facturi, dicentes, Gallos ſeditionem moliri. Sed rei veritate detectâ, juſſi ſunt diſcedere. Cùm legatus Gallicus, diu multumque inſtitiſſet, ut Ieſuitæ liberarētur, intellexit, ipſos accuſari, quod eſſent exploratores Regis Hiſpaniæ: quod apoſtatis à fide Chriſtianâ abſolutionem impertirentur, Turcas baptizarent, ſervos fugitivos occultarent, & in orbem Chriſtianum mitterent. Hâc occaſione, qui malè ipſis volebant, tam Catholici quàm non Catholici; non ſolùm purpuratorum principi dixerunt, Ieſuitas Sultano exitium machinari, quandoquidem novam doctrinam invexiſſent, quæ Reges de medio tollendos præciperet: ſed eodem rumore Sultani aulam compleverunt, & aures Buſtagni purpurati, qui quotidiè & omnibus horis, Sultanum alloquitur, imbuerunt. Legatus Gallicus, qui ſciebat,

sciebat, Turcas nullâ re meliùs, quàm auro, deliniri; quatuor millia aureorum expendit, quibus Iesuitas ex fossis, in quas conjecti fuerant, redemit: & Turcæ qui non ignorabant, Christianos ipsos capitalibus odiis inter se dissidere, captivitatem illam malevolorum criminationibus imputabant. Sed cùm malevoli quidam Iesuitas, Constantinopoli ferre non possent; suasum ipsis fuit, ut tempori cederent, donec innocentiâ ipsorum innotesceret. Illi consilio huic parent, domum suam vacuam relinquunt, & aliquot diebus in hospitium legati Gallici se recipiunt; donec navis Massiliensis, Gallıam repetens, solveret. Cùm in procinctu essent, ut discederent, pecunia ad iter ipsis suppeditatur, commeatus navi imponitur: atque ita vela faciunt. Sed cùm ad arces, in faucibus Bosphori Thracii sitas venissent, denuò capiuntur; & arci, quæ est versus Græciam, includuntur. Legatus Gallicus, hâc secundâ ipsorum captivate cognita; tam sedulò causam illorum egit, ut non solùm liberarentur, sed etiam Sultanus litteras ipsi daret, quibus primùm declarabat Iesuitarum innocentiam, qui falsò & ex invidiâ fuissent accusati: deindè duobus ex illis sex captivis, facultatem Cōstantinopolin revertendi concedebat: tertiò mādabat, ut quatuor reliqui libertati restituerentur, nec in instituto in Galliam reditu impedirentur: quartò permittebat, ut in posterum legato liceret, alios ex Galliâ arcessere. Ad has Sultani litteras adversarii Iesuitarum siluerunt: præsertim cum eodem tempore inter legatum Cæsareum & Sultanum, pace sancitâ, convenisset; ut Iesuitæ, qui in Hungariâ & terris imperio Tur-

cico ſubjectis domicilium figerent, Hungari, nec alterius nationis eſſent: & ut nonnulli Conſtantinopoli reciperentur. *Auct. ſupple n. Thuan. lib. 9.*

8. A.C. 1617. XVII. Kal. Xbr. Achmetus Turcarum Imp. deceſſit; cùm triginta annos, vixiſſet. *Supplem. Thuani lib 10.* & quindecim regnaſſet. Oſmannus, filius ipſius primogenitus, puer erat duodecim annorum: quapropter Muſtapha, Achmeti frater, viginti quinque annos natus, ex cellulâ ad tanti Imperii adminiſtrationem, extractus fuit. Is ſtatim tres ex fratre nepotes, obtruncavit; ſolo Oſmanno ſuperſtite. De eo, ita Pareus. Anno 1617. Sultanus Achmetes IV. exercitus ingentes alebat: duos in continente; unū contra Perſam, antiquum hoſtem, alterum, qui fere totus ex Tartaris conſtabat, contra Regem Poloniæ, qui cauſam Vayvodæ Moldaviæ, à Turcis ejecti, tuebatur. Duos in mari; unam in Nigro Ponto, adverſus Coſaccos, ſeu Ruſſos; homines bellicoſos, qui aſſiduis incurſionibus Turcarum fines infeſtant. Quartus exercitus erat in mari candido; occupatus in deducendâ claſſe, quæ tributum Aegypti, Conſtantinopolim vehit: aut ut triremibus Melitenſibus, & Florentinis, quæ perpetuis excurſionibus mare Turcis infeſtum reddunt, reſiſtant. Inter hos belli apparatus, Sultanus Achmetes I. die 15. Novemb. anni huius 1617. Conſtantinopoli fatis conceſſit.

Summarium geſtorum Achmatis. 1.

Impubes ad Imperium pervenit; & tamen ſine turbis imperat. 2.

Quod Turcarum Imperium, preter politicam rationem durat; hoc iræ Divinæ, in Chriſtianos perdurantis eſt indicium. 2.

Fratrem etiam, cæcum occidit, Achmates. 2.
Pertia, ultro in deditionem recipit, quàm plurimas Turcicas urbes: spe tolerabilioris Imperii factâ. 2.
Strigonium recuperant Turcæ: idq; iis, perfidi præsidiarii dedunt. 3.
Pax inter Cæsarem, & Turcam, ejusq; conditiones. 4.
Persicum bellum recrudescit: sed tandem pace facta, aliquandiu, cessat. 5.
Turca, cum omnibus vicinis populis, pacem init: ut eò feliciùs, rebellibus resistere queat. 6.
Status & Religio Mingreliorum, ac Georgianorum. 6.
Persecutio Christianorum, ob falsas suspiciones, & rumores, Constantinopoli instituta. 7.
Cur Iesuitæ in Turcia exosi. 7.

Mustapha.

A.C. 1617.

ACHMATO defuncto, frater ejus Mustapha, à Proceribus est surrogatus; è carcere ad Solium Imperiale ductus; ingenii simplicis, & valdè superstitiosi. Verùm cum inutilis Imperio esset deprehensus, ab iisdem, à quibus erat exaltatus, Anno sequenti in carcerem reductus; successorem accepit Osmannum Achmetis nuper defuncti filium, natu maximum, annorum 13. Adolescentem.

2. Mustafa, qui mortuo Achmete, imperium occupaverat, id duos solùm menses, & aliquot dies tenuit: magnamque tyrannidem, nontantùm in nepotem suum Osmannum, quem arctâ custodiâ conclusum tenebat; sed & in legatos Principum Christianorum, jure gentium viola-

to, exercuerat: nec Baroni Molano, Regi Galliæ legato, pepercerat, cui etiam custodes apposuerat, qui eum tanquam captivum servabant. Nec melior conditio fuerat legati Anglici, cuius aliquot domesticos, quemadmodum etiam Secretarium legati Gallici, in carcerem reiecerat. His auditis, purpuratorum princeps, qui tunc in Perside cum exercitu erat, magnis itineribus Constantinopolim redierat, & Mustafam imperium eierare, atque in cellulam se abdere coegerat: Osmanno, duodecim annorum puero, custodia liberato, & ad imperii Ottomannici fastigium evecto. Idem custodes, à legato Regis Galliæ removerat. *Supplem. Thuani lib. 11.*

Mustaphæ successio, & depositio. 1. & 2.

Osman.

A. C. 1618.

OSman, Achmatis filius surrogatus, bello Polonico infeliciter gesto; collectis thesauris, simulabat se Mecham ad Mahometis sepulchrum iturum. Sed cum Janitschari, eum Sedem Imperatoriam in Syriam translocaturum, & novos militiæ ordines, se exclusis & trucidatis, instituturum arbitrarentur; factâ seditione, deiectus, captus & strangulatus: Mustapha verò post quatuor annorum captivitatem pristinæ dignitati restitutus fuit.

2. Anno 1618. Inter Turcas & Persas denuo cōtinuum bellum gerebatur. Et antequam purpurato

puratorum princeps, Constantinopolim cum exercitu rediret; ingens pugna, inter utrosque commissa fuerat; in qua centum millia hominum, ceciderunt. Etsi verò plures, à Turcarum partibus occubuerant: tamen illi victoriam obtinuerant, castris Persarum, qui fugâ sibi consuluerant, direptis. His enim mos est Persarum, ut cedendo cum Turcis belligerent; quemadmodùm pondus aliquod, quod ex alto decidit, manu suppositâ sistimus & excipimus. Hoc genere belli, Persæ hactenùs Turcarum vim sustinuerunt, impetusque fregerunt. Nam etsi Turcæ, aliquoties in intimam Persidem penetrârint: tamen quotiescunque necessitas illos pedem referre, & in Turciam redire coegit, Persæ non modò pleraque, quæ amiserant, recuperarunt; sed etiam recedentem Turcarum exercitum magna clade affecerunt. Postremum hoc bellum, pace diremptum fuit. Nam cùm Turcæ, magnâ annonæ inopiâ laborarent, purpuratorum princeps, regi Persarum pacem petenti, & cõsuetum sericorum tributum offerenti, facilè assensit: & Osmannus postea pacem cum eo factam ratam habuit. *Thuan. suppl. lib. 11.* Eâ de re ita Mich. Caspar Londorpius *in bello sexenn. civil. Germ. lib. 1.* Ineunte hocce, supra millesimum sexcentesimum, decimo nono anno, & quidem ejusdem mense primo; bellum inter Turcos & Persas denuò inchoatum est. Turcorum enim ad CC. militum armatorum M. sese extendens exercitus, non procul ab Ardevila, ubi multi Persarum reges tumulati sunt, Persianorum Regis selectissima C. militum fortissimorum M. obvia habuerunt; atque cum iisdem, adeò acerrimè conflixerunt, ut

in cruentissimo, isto prælio, LX. Turcorum M. (inter quos VI. Ianitsarorum M. una cum multis Bassis perierunt) exciderint. Tartarorum Rex, cum XXX. Tartarorum suorum M. Turcos præcedens, vulneratus; ejusdemque exercitus penè omnis deletus est. Etiamsi verò Persarum Rex, victoriam tum temporis, à Turcis reportâsset, atque duntaxat IX. suorum M. amisisset, nihilominùs tamen, supremo Veziri Turcico, pacem annunciari jussit, & ejusdem Imperatori in singulos annos C. Somas Serici, contributionis loco, obferre permisit. Quapropter Vezirius, hisce versans inextremitatibus, pacem istam usque ad sui Imperatoris adprobationem tum temporis acceptavit.

3. Osmannus autem ingentis quidem animi puer, & supra captum ætatis, magnarum rerum cupidus erat: Verùm ejus conatus, fortuna primùm; deindè vita destituit; per summam illi indignitatem, à suis erepta. Eum vix egressum ex ephebis, vehemens desiderium ceperat ulciscendæ cladis, quam in Moldaviâ recentem, à Polonis acceperat; simulque Poloniæ ipsius invadendæ. In hanc igitur expeditionem, universis viribus, opibusque collatis, cum quadringenta circiter millia hominum, eduxisset; cum maximâ suorum jacturâ, ignominiaque repulsus est. Ad centum millia Turcarum variis in præliis, cæsa memorantur; præter cæteram multitudinem, quā per moræ diuturnitatem, fames morbusve consumpsit. *Dionys. Petav. us S. I. in Ratio. temp. lib. 10. f. 425.* Bellum hocce Polonicum, pluribus describit Londorpius *lib. 2* & Author de Mercure Francois, *tom. 7. fol. 761. & 766.* qui Londorpius

non

non solum sequitur, sed & etiam ejusdem narrationem particularibus quibusdam relationibus confirmat. De eodem bello præliisque gestis inter Polonum & Turcam Anno 1620. & 1621. extat ephemeris Matthiæ Tytlevvski, nobilis Poloni, quæ inserta est, *tomo 15.* Annalium Abrahami Bzovii. Ex eaque, cùm non cuivis ad manum sit, sequentia, licet aliquantum prolixa, referre lubet. Postea quam Mahumet, (ejus nominis secundus) Turcarum Imperator, regnante Casimiro Iagelone Poloniæ Rege Constantinopolim, Palæologo Imperatori, luctu omnium Christianorum eripuisset: elatus eâ fortunâ, vicinam imperio suo, Regnoque Poloniæ tributariam Valachiam, crebris petebat bellis: quibus adversam belli sortem sæpiùs expertus, æternum cum Casimiro Rege pepigit fœdus. Id Regibus Poloniæ, & Turcarum Imperatoribus, semper sacrosanctum fuisset; si non Tartatorum Præcopiensium, Imperii Othomannici tributariorum, in ditiones Regni Poloniæ, vicissimque Cosacorum, per mare Euxinum, ad ostia Boristhenis, dominia Turcica, igni, ferroque depopulantium excursionibus, rumperetur. Hæc causæ belli utrisque populis, cum omni ætate fuissent; nihil tamen summis utrorumque viribus tentatum est. Anno tandem 1620. regnãte, Sigismundo III. Turcarum verò Sultan Ossmann Imperatore; exustâ a Tartaris Podoliâ, opulentissimâ Regni Poloniæ Provincia; dirutaque à Cosacis vicissim Cossâ Tartarorum, Varna Bulgarorum, Trapexus in Asia, fortissimæ Othomanici Imperii civitates, novum belli fomentum utrisque Principibus dedere. Atque

noſtrorum caſtra innumeris hoſtium legionibus, undè quoque violenter adoritur. Polonus Generalis, ſe iam circumventum videt; impavidus tamen turbatos aliquantum animos erigit, in caſtris ſtare, ac pugnare jubet; nec arte jam quâvis, ſed imploratione Dei, vi, ac virtute evadendum eſſe, per mediasque barbarorum acies ferro viam fieri. Eo ipſe die, tres hoſtium impetus, cum maximâ eorum ſtrage, à caſtris noſtrorum repreſſi: indè viginti tribus diebus, Polonis pedem, ad flumen Tyras, lentè cum caſtris referentibus, nocte, diuque tum in caſtris, tum in acie pugnatum fuit. Spes alebat barbaros, ſi non multitudine, diuturnitate tamen oppugnationum, caſtra Polonorum rumpi poſſe; nec fruſtratus eâ ſpe Othomanus, ac die ab oppugnatione vigeſimo quarto, caſtra Polonorum, quos jam longum iter, continuæ excubiæ, non barbarorum multitudo vicerat, expugnat. Hæc eſt nobilis in Valachia pugna, atque inter paucas memorata Polonorum clades: tria Polonorum millia, cum ſuo Generale, cæſis triginta hoſtium millibus, in acie periere: reliqui diverſis itineribus diſperſi, in patriam rediere. Lugebat univerſa Polonia tantam ſuorum cladem, moriendum potiùs, & vindicandum ardentibus animis, nec metuendum hoſtem perfidum; qui fœdera rupiſſet, exclamat. Celebrantur Regni Comitia, bellumque contra fœdifragum decernitur, novus exercituum Generalis, Carolus Chodchievvic, magnæ prudentiæ, & experientiæ militaris vir, creatur. Mittuntur ad Chriſtianos Principes legati, molem belli, cum hoſte Chriſtiani nominis, denunciant, ſubſidiumque petunt. Nec deiectus

&us adverso apud Principes Christianos successu Polonus, Dei auxilio viribusq; suis innixus, duobus orbis terrarum terroribus Turcæ, & Tartaro se oppositurum parat. Intereà Poloniæ Rex, decem Cosacorum millia, ad infestanda per mare Euxinum Turcica dominia, comeatusque impediendos expediverat, cū Carolus Chodchievvic, recens creatus Generalis, collectis quantùm ea celeritas concessit, equitum catafractorum hastatorum duodecim, equitum gravioris armaturæ, quatuor, Cosacorum quadraginta, peditum Polonorum tredecim, Pruthenorum, & Pomeranorum octo, Vngarorum tribus stipendiariorum militum millibus, obviam Othomano in Valachiam, expansis processit signis; traiectoque flumine Tyras, in Valachiâ, munito satis loco, die penultimo mensis Augusti, anni à nativitate nostri Salvatoris, 1621. castra posuit. Vltima Augusti & prima Septembris, muniendis, castris data est dies.

Die secundâ Septembris,

Nunciatur à lustratoribus Polonorum, Othomanum cum trecentis Turcarum, centumque Tartarorum millibus, iamiam adventare: Antè octiduum, præmiserat Generalis noster aliquot Cosacorum millia; ut hostem in viarum anfractibus, velitationibus lacesserent: ij non segniter re gestâ, eâ die cum hoste præliantes, in conspectu castrorum comparuêre. Vix hostis in oculis nostrorum castra locavit, cùm mirus militum ardor, rem acie gerendam esse fuit. Visum tamē expertis belli ducibus, non esse committendam periculosæ acici, tā Regni Poloniæ, quam universæ Christianitatis summam: cunctatione

potiùs

potiùs, primâ concitato furiâ resistendum hosti. Eo ipso die pars Turcici exercitus, sub Polonorum comparuit castris; continuisque velitationibus, cum milite Polono decertavit: in quibus mille octingenti Turcæ perierunt, multique comminus hastis, frameis, eminusque tormentis bellicis vulnerati, in castris moriebantur barbari; ex Polonis quinquaginta desiderati, triginta saucii. Hæc prima militaris salutatio fuit. Sub vesperam dimittit Othomanus aliquot Valachos nobiles, specie salutationis ad Generalem nostrum; ut ubi commodum ijs videretur, castra Polonica succenderent: obitâ salutatione, unus eorum ad quæstionem ductus, omnem patefecit machinationem, & conscios fraudis detexit; qui cum in tormentis eadem fassi fuissent, omnes eodem loco, ita clãculum capitis supplicium subierunt, ut non modò Turcis, sed ne Polonis quidem constaret. Tum Generalis Polonus, noctu circum, castra in multa loca conferri ligna arida, sarmentaque, strues componi, jisdemque ignem subiici jubet; eductisque Cosacorum decem millibus, & Pruthenicô peditatu, hunc in fronte, illos in lateribus locat. Vbi Othomanus flammas in sublime ferrâ conspexit, ratus successisse dolum, ad inflammata Polonorum castra, suum militem gregarium mittit. In ipso castrotum aditu, inopinato à Cosacis, peditatuq; instructo, excipiuntur barbari, res gladiis stringi cœpta: cæterùm cùm præ strepitu, ac tumultu, nec consilium, nec imperium barbari accipere potuissent, ad gemitus vulnerum, ictusque corporum, aut armorum mistos strepentium, paventiumque clamores perterriti.
cæcâ

cœcâ rabie, ad cædem ruebant; alii proiec
mis, cadaverum cumulis illati, hærebant;
fugientes agebat retrorsum ad pugnam e
um agmen: totâ eâ nocte atrociter pugna
dies diremit prœlium. Turcæ in castra retr
sêre.

Die tertiâ Septembris,

Imperator Turcarum, delusum se esse videt,
mensque ex tribus partibus castra nostro
adoritur; ab eo nimirùm loco, quo castra C
corum nostris adhærebant, usque ad extrem
agmen Polonici exercitus: toto eo die, atro
dimicatum est; ex castris Polonorum, in hos
tormentis bellicis res prosperè gerebatur. A
Solis Occasum, Turcæ se in castra recipiunt.
renissimus Vladislaus Princeps, eo die cum
ginta Velitum millibus; multoque appa
bellico, in castra venit. Nocte dieque præter
cęsa sunt plusquam viginta hostium millia.
dum agerentur, Magnus Dux Moschoviæ c
tracto ingenti exercitu, in Ducatum Severiens
irruperat, ac pactorum, ictique fœderis im
mor, omnia deprædabatur. Gustavus quoq
dolphus, Suetiæ Rex, cum magnâ classe, p
mare Livonicum devectus; Rigam civitat
regiam Livoniæ, portu insignem obsidet, e
demque per tráditionem eorum, qui à Rom
norum Catholicâ Religione alieni erant, in
tercipit.

Die quartâ Septembris.

Orto Sole, Imperator Turcarum cum un
exercitu, castra Cosacorum (hæc enim in fro
te castrorum ipsius erant) adoritur; torme
bellicis, & bombardis acriter certatum; qui
hem.

horis oppugnatio duravit. Cosacus ex munitionibus animosè propugnabat; hostis magna vi atque impetu irruebat, ac proindè ingens barbarorum multitudo interijt. Eodem tempore, immittit multas Othomanus Ianicerorum copias, ad eam castrorum partem, quâ Strategus Polonorum, cùm suis Centuriis stabat. Polonorum è castris contrà, conterũtur equitatu Polonico Ianiceri; paucíq; ex iis, pedem ad suos referunt. Iterùm Othomannus, cum universo exercitu, ad castra Polonica revolvitur, frustraq; iterato insultu, cùm magnâ suorum clade, coactus recedit. Denuò unâ circiter ante occasum Solis horâ, castra Cosacorum maiori quàm anteà vi, oppugnare cæpit. Iam Barbarorum ferociæ, castra Cosacorum cedere videbantur; sed Deus, præstò suis affuit: Cosaci enim, factâ per posteriorem castrorum partem eruptione, iunctis viribus, cum hastatis equitibus, à Generale, ad subsidium ferendum dimissis; Turcas cominùs adorti, atrociq; commisso prælio, confertissimas hostium legiones in fugam egerunt; magnaq; in ipsis editâ strage, eos usq; ad castra Othomannica sequebãtur: multa tormenta bellica asportârunt, magnaq; onusti prædâ, instante nocte, barbarico cruentati sanguine, in castra paucis suorum amissis, redierunt. Ipse Turcarum Imperator, qui ad hoc spectaculum prodierat, ex acie coactus ad castra sua evasit. Cæsa sunt hâc die plusquàm quindecim Turcarum, Tatarorumq; millia, Ianicerorum verò tria millia; ex nostris, ducenti fermè desiderati. Hac tanta hostium, tàm in præteritis castrorum oppugnationibus, quàm etiam in acie aperto Marte con-

te conflictibus factis, clades; paucorum ve
Polonorum interitus; divino auxilio, quod P
lonis cælitùs aderat, non humanis viribus a
scribenda.

Die quintâ Septembris,

Vtrinq; quies erat. Cadaveribus sepeliendis
pera dabatur, ne fætor eorum castra inficere
tanta enim consternatio cadaverum, solis ure
tis calore horenda visu, ipsos terrebat barbar
ut noctu cùm facibus eadem sepelire cogerēt
Hoc die, Turcæ motis retrò castris, novam I
lonicorum castrorū oppugnationem, paraba
Nec mora Polonus invocatis Superis, eductâ
aciem in latera castrorum exercitus parte a
mosè hostem præstolabatur; iamq; Turcaru
terginversantia agmina, in aciem, more pe
dum pellebantur;at cum pluere circâ meridi
cœpit, nihil eo die tentatum est.

Die sextâ Septembris,

Fugit ex castris Turcarum quidam Cosacus,
septennio in Turcicâ servitute existebat: a
mabat is, cæsa fuisse in superioribus castror
oppugnationibus quatuor Ianicerorum mil
Spaghios trecentos periisse: Turcarum, Ta
rorumq; plusquàm quadraginta millia: qua
de barbaros itâ perterritos famisq; quæ in
stris eorum regnabat, pertæsos, multos ex
stris fugam capessisse. Hoc quoque die Tu
quieverant; vel quòd Imperator in gratiam
pugnationis, pecuniam militi largiretur;
quòd eorum castra, quæ multis collibus
patebant, stringerentur. Idem referebat, T
cas per castra mussitare, duodecim triremes
matas, à Cosacis in mari Euxino captas,

m

mersasq; , fuisse, reliquas Constantinopolin aufugisse: quas sub ipsa mœnia Cosaci insequuti, omnia terrore compleverant. Huius primùm cladis nuntiū, fremebundus Othomanus strangulari iussit: indixitq; die venturo, castrorum Polonicorum validam oppugnationem. Hoc idem, multi Turcæ, in excubiis capti, unanimi consensu asserebant.

Die septimâ Septembris,

Facto Ianiceri, aliæq; densæ Turcarum cohortes, horrendo clamore; præpropere castra Cosacorum, adoriuntur: missisq; in adversum montem tormentis bellicis eos globis ardentibus impetunt. Toto die, molem exercitus Othomanici impavidus sustinet Cosacus; mille quingentisque tormentorum globis petitus: cum parvâ occisione; adiutus Pruthenico peditatu, hosti resistit. Tum post meredīem, hostis castra Cosacorum oppugnare cessat, novisq; agminibus, castra Polonica adoritur. Ea ferocia, animusq; Barbaris, potiundorum vi castrorum fuit; ut cæcâ rabie, in arma Polonorum procurrerent: quamvis undiq; mactarentur. Iamq, aggeres, & propugnacula, quæ circum castra fuerunt, ex equis desilientes Turcæ, transcenderant: verùm non minor nostris animus, quàm barbaris ferocia fuit. Nam Poloni è castris, in aciem cum duobus hastatorum equitum millibus, à latere in hostem procurrunt, novumq; prælium instituunt. Numero barbarus, animo Polonus superior erat; instat firmior, mediâ hastatorum acie, legionibusq; hostium immergitur; iamque primo hostium agmine pulso, in secundum pugnabat: mittuntur ex castris auxilia, in aversamque hostium

hostium aciem, levo cornu incurrunt. Is dem
impetus, hostilem inclinari fecit aciem. Proc
runt Cosaci è castris, in fluctuantia Ianice or
agmina, fortiterque dimicant. Cæterùm ta
strage hominum, armorumque, locum in c
barbarorum exercitus steterat, compleveran
ut propè per ea difficilior transitus esset, qu
per confertissimos hostes fuerat. Densatu
gminibus, equites Poloni, qui aciem rupera
tùm alterâ parte Cosaci, per cumulos cadav
armorumq; & tabem sanguinis, fugitivum
ad castra Turcarum sequebantur hostem.
victoriæ cursum inhibuit. Illi verò Turcæ,
primas castrorum fossas transcenderant, ibi
omnes cæsi sunt. Toto hoc die Othomanus,
stra Polonica, summâ vi expugnare, incas
cum magnâ suorum strage nitebatur; nam
sorum in acie, in castrorumque fossis, plusq
quadraginta reliquit millia. Solius omnipo
tis Dei manum protectricem Polonorum fu
quis non videat? cùm in tot, in ipsos tormen
rum explosionibus, barbarorum incursioni
in tamque cruento cum hostium turmis c
misso prælio, ne trecenti quidem poloni p
rint. Ex Turcis duo Bassæ interiêre. Horâ n
tertiâ, multa Turcarum agmina, in aciem
pugnatum fuit, cum facibus venere, excit
lugubri ejulatu, cæsorum cadavera in fossa
tumulos deportabant, cujusdamque viri m
nominis cadaver, solicitè quærebant. Confe
id nostris, tum etiam de novâ castrorum o
gnatione, ex Turcis, eâ nocte captis, inno
Ea propter Generalis polonus, noctu castra
sacorum invisit, animatque non esse metue
ho

hostes, qui nec fortunâ, nec animo, hactenus pares nobis fuissent: jubet, ut pars exercitus Cosacorum, propugnaculis, pars equis paratis insistat; adjungitque ipsis cohortes peditatus Pruthenici, sub ductu Palatini Culmensis, eosque Cosacis in propugnaculis immiscet: is enim peditatus, tam in acie quàm ex castris rem strenuè bombardis gerebat. In castris autem Polonorum, miles hastatus in aciem progressurus, signum expectabat.

Die octavâ Septembris.

Vix illuxerat dies, cùm pars exercitus Turcici, in acie constitit; in fronte Ianiceri, in utrisq; alis, ingens Tartarorum numerus: facto clamore, in adversa Cosacorum castra impetum faciunt. Altum à Cosacis tenebatur silentium; ut hostis propiùs accedens, commodiùs jaculis peteretur. Iamque Tartari undique castra obequitantes, ardentes jaciebant sagittas, Ianicerique in fossas insiliebant; cùm subitò instructus ille peditatus, ex munitionibus erigitur, schloppetisque comminùs certat. Visa sunt tunc castra Cosacorum ardere, in fumoque, & excitatis pulveribus res dubia videbatur. Inermes Tartari, à castris fugiunt: atrociter Ianiceri oppugnationi insistunt; tergiversantes alii, à Spaghiis jussu Imperatoris, in arma Cosacorum, more pecudum impelluntur: fracti tamen à Pruthenico peditatu, in sua castra regrediuntur. Hæc oppugnatio horis fermè quatuor, cum magnâ hostium internecione, duravit. In ipsis castrorum fossis, Ianicerorum tria millia, trecenti verò Spaghii cecidere, quorum corpora Prutheni pedites, spoliata, in tumulos à castris remotiores injecêre, igni-

ignibusque per campos, consternatorum fœ
cadaverum, à castris arcebatur. Ex nostris pa
desiderati: in propugnaculis enim dimicatu
fuit, ubi Ianicerorum furiâ offendi non po
tant.

Die nonâ Septembris.

Imperator Turcarum, post meridiem, univ
sum exercitum in aciem produxit; nec Gene
lis polonus, detrectavit pugnam: sed instru
pro castris exercitu, eius hosti copiam fecit;
trinque acies ordinatæ ad solem declinante
nemine initium pugnæ dante, steterunt: à mu
tionibus tantùm, & propugnaculis, tormen
bellicis prolusum fuit. Sub vesperum, Ianic
castra Cosacorum acriter oppugnant; quos
men ipsi à castris pepulêre. Transfuga, qui
nocte ad castra polonorum venit, retulit Sp
ghios, qui iussu Imperatoris, Ianiceros ad
strorum Cosacorum oppugnationem præiba
supra ducentos, Ianicerorum vero duo mil
periisse.

Die decimâ Septembrts.

Turcæ tot cladibus fessi, quieverant; per p
temq; à latere castrorum Polonicorum, in
mine Tyras fabricatum, multa tormenta bell
traiecerant. Hoc ipso die, Cham Tartarorũ,
suo exercitu, in fluminis ripâ, in eo loco, quo
Poloniam iter fuit, castra metatus est; parte
exercitus sui, ad prædandã universã podoliã
misit. Perculit ea res animos Polonorum mil
hostis enim omnia itinera obsederat, nulla
de castris in patriam mitti, ex eâq; accipi no
potuit: nec sperabatur amplius, fame iam
stro exercitui laboranti, quâvis arte, & virt

s

succurri posse. Fumabat in conspectu Polonorum exusta ab hoste Podolia, tantaque hominum, & bestiarum præda, in ipsis hærebat oculis. Ardebat miles Polonus, ultimâ acie cum hoste rem gerere; poscebat Cosacus traiecto flumine, cum Tartaro congredi; eumque de viarum obsidione propulsari promittebat. Hæc res missa in consilium fuit; deliberatumq; est, non esse dividendum robur exercitus: diviso enim faciliùs hostis cum tantis copiis prævaliturus credebatur: eodem loci, aut moriendum, aut atrocissimo resistendum hosti, virtus, & prospera contra ipsum hactenùs fortuna monuit. Altero die, Serenissimus Vladislaus princeps, atq; Polonus Generalis, ex continuis fortè vigiliis in febrem incidère: id exercitui Polono luctuosum fuit; basis enim exercitus, & Regni Poloniæ in iis consistebat duobus.

Die undecimâ Septembris.

Prodierunt è castris Turcæ, compositisque ordinibus, dimidio germanico milliari, à castris nostrorum, in acie steterunt. Confestim Generalis Polonus, nimis iam æger, dato signo, velitationibusque præmissis, dimidiam exercitus partem, ad instar aquilæ expandentis alas, usu antiquo patriæ, ordinatam in campum producit. Conspectis nostrorum signis Othomanus, pugnamque sibi præberi aliquantùm attonitus stetit. Tandem sivè pavor, sivè Dei ordinatio, ipsum protinùs, convulsis signis, in castra reducunt. Polona acies, toto die stetit instructa, sono, buccinarum hostis provocatus, non comparuit. Malo quodam augurio territus dicebatur. Eodem die, ex adversâ fluminis ripâ, Ca-

ſtra Coſacorum, continuis jaculationibus, ho
ſtis impetivit; ſine tamen hominum, equorun
verò notabili damno. Aliquot Tartarorum mi
lia, in alterâ fluminis ripâ, facto cum ingenti vo
ciferatione impetu, pontem Polonorum rum
pere conabantur; ſed à ducentis peditibus Polo
nis, qui in præſidio pontis ſteterunt, in fuga
converſi ſunt.

Die duodecimâ Septembris.

Poſt mediam noctem, relicto cum ſufficien
præſidio in Caſtris, Sereniſſimo Principe; u
ægroto, exercitus noſter, ut hoſtem inopina
invaderet, eductus, & una pars illius à tergo h
ſtilis exercitus, longo per ſylvas, & nemora ci
cuitu facto; altera verò, à fronte & lateribus i
ſtructa fuit. Imber ingens propoſitum inhibu
ſperabatur tamen commodiore tempore, ad
fectum deducendum; nam exercitus Polonicu
ignaro ſtratagematis hoſte, in caſtra rediit.

Die tredecimâ Septembris.

Datæ utrinq; cadaveribus ſepeliendis induci

Die quatuordecimâ Septembris.

Iterùm in caſtris Turcarum divulgabatur, a
quot triremes Turcarum, à Coſacis in mari E
xino ſubmerſas fuiſſe. Hoc rumore concitat
in rabiem Othomanus, validam caſtrorum o
pugnationem, die ſequenti fieri jubet.

Die quindecimâ Septembris.

Vix prodierat Sol, cùm Turcæ Tartarique, I
lonorum Coſacorumq; caſtra, à tribus adoriu
tur partibus; viſa eſt ipſa conflagrare, tremer
terra, præ tot tantisque tormentorum, bo
bardarumq, exploſionibus. Imperator ipſe
editiore loco aderat ſpectator; nullâque tot l

mini

minum misere pereuntium habitâ ratione, ad castrorum oppugnationem, eos more pecudum sudibus agi, imperabat. Duravit toto eo die, impetuosa oppugnatio: Verum D. O. M. pro bonittate suâ, vanam, atque irritam hostium vim, undequaque reddidit; summâ cum ipsorum strage, nostrorum verò perquàm exiguo nocumento. Tentatâ frustra Castrorum oppugnatione, amissis Turcarum Tartarorumque triginta millibus, Ianicerorum etiam, & Spaghiorum tribus millibus, summo cum dedecore, receptui cecinit hostis. Velatus campus ille, æquatæ utrorumque castrorum fossæ, barbarorum cadaveribus; militem nostrorum, ad præstantes ausus, ita incendebant, ut non modò per castrorum portas erumperet, verùm per aggeres, & fossas transiliendo, cominùs cum Turcis, rem mirâ fortitudine gereret. In hâc dimicatione, Bassa Budæ, vir inter Othomanos Principalis, ipsique Imperatori admodùm carus, qui paulò antè, ad ipsius castra, cum viginti Turcarum millibus venerat, seseque jactitaverat, sibi à Mahumeto, rumpendorum castrorum Polonicorum fortunam concessam: primus in acie, globo frontem ictus, periit. Hoc idem subiit fatum Nasaf Bassa, miræ fortitudinis, audaciæque vir. Deflebat Turcarum Imperator eam suorum sortem, nihilq; toto die cibi sumpsit; vel maximè ideo, quòd novus percrebuit rumor, Serenissimum Poloniæ Regem, cum valido generalis expeditionis exercitu, adventare. Terruerat ea res hostem, extremam belli fortunam ocyùs tentare, oppugnationique castrorum insistere, decrevit;

fama enim jâm enervatum, continuisq; excub
fessum, fractum exercitum nostrum credebat
Die decima sexta Septembris.
Consilium habuit Generalis noster adscitis D
cibus, Præfectis ac Centurionibus; ut de exer
tu fame oppresso consulerent. Multæ multor
in consilio strepebant sententiæ. Alii cong
diendum esse cum hoste in acie, summam
rerum uni committendam prælio; nec dubit
dum esse, de fortitudine Polonâ, ad cuius ha
nus arbitrium fortuna regebatur. Hæ voces
mè omnium fuêre. Pauci referendum esse
dem ad Camenecum civitatem, ipso situ na
rali munitissimam, inibique exercitum con
tu reficiendum, expectandumque alium Sere
simi Regis exercitum consulebant. In eam
dem sententiam itum est: Mortem potiùs h
resistendo, oppetendam esse, quàm uno, vel
nimo passu, barbaro cedendum; ne vel rec
ingressus in patriam, vel animus pariter del
tato, daretur hosti.
Die decima septimâ Septembris.
Aliquot Cosacorum cohortes, in castra host
noctu ingressi, plurima tentoria concideru
plusquàm mille hostium, absque strepitu b
bardarum frameis trucidârunt, salvique, ne
ne ex suis amisso, redierunt. Iidem etiam
ipsâ nocte, ad pontem per Turcas extruct
Circas Bassam, cui commissa pontis custo
fuit, cum multis Turcarum, Ianicerorumq;
tenis, interfecerunt; multos adduxerunt ca
vos, spoliisq; opimis potiti, incolumes ad
reversi sunt. Vniversus exercitus Polonor
miro ardebat desiderio, idq; solùm in votis
be

bebat, ut sereniſſimum Principem Vladislaum, quamprimum in equo, reſtauratâ valetudine conſpiceret. Magnum id certè, ad præclaros auſus calcar, & incitamentum fore credebatur.

Die decimâ octavâ Septembris.

Alterâ vice Coſaci noctu, hoſtium caſtra ſine ſtrepitu ingreſſi, pluſquàm ſexcentos ex hoſtibus necavêre; plurimos papiliones, equos, veſtes pretioſas, camelos, boves, multumq; auri, & argenti, tum duo Ianicerorum inſignia, ipſi illæſi;ad ſua caſtra aſportavêre; eademque Sereniſſimo Principi Vladislao obtulère. Levioribus præliis, utrinq; certatum fuit, uſq; ad diem vigeſimam quartam; quâ Carolus Chodkievvic Generalis, gravi conflictatus morbo, ſummo omnium luctu obiit. Ad nuntium tanti viri interitus, geſtiebat barbarus, ominabaturque, perdito tam fortunato, & animoſo Duce, à quo is tot præliis cæſus,tot oppugnationibus repreſſus erat, de fortunâ Polonos multù deceſſuros.

Die vigeſima quintâ Septembris.

Ab omni parte, Othomanus caſtra Polonorum invadit; totaq; ſuarum virium mole,ac univerſis ſimul equeſtribus, & pedeſtribus copiis, caſtra adoritur. Noſtris quamvis Dux defuiſſet, tantò magis graviter ægroto Sereniſſimo Principe,in quo omnes ſpem unicam locaverant, animus tamen non defuit. Atq; ductu Staniſlai Lubonmiſchi, Comitis de Viſnic Strategi (viri in patriâ verè unici, cui Sereniſſimus Princeps, æger, poſt mortem Generalis,univerſi exercitus intereà regimen, applauſu omnium detulerat) vis hoſtium ita repreſſa, ut eo die pluſquàm octo Othomanorum millia in acie fuerint cæſa.

Die vigesima sextâ Septembris.

Cum Othomanus, nec jam fortunæ, neć vi p tiundorum castrorum spem habuisset; viresq exercitus sui attenuari, in dies magis, ac ma vidisset: perditis quatuor Principalibus Bas tantisque suorum millibus, is qui ante pauc dies jugum cervicibus nostris se imposituru superbè juraverat, pacem perjurus amplecti c piebat. Dimisit cum literis ad castra nostroru quendam Baptistam Vinellium Italum, ut Polonos ad renovandam tot sæculis ab Oth manicâ domo, Regibusque Poloniæ, servata hortaretur pacem, Commissariosq; ad cande tractandam posceret. Res ea elátum prospe prælium successu, acceptandæ pacis pertinace sed fame jam fractum militem Polonorum, re debat hilarem. Non tamen hosti, tot vicib fœdifrago credebatur.

Die vigesima septima Septembris.

Turca, quamvis pacem postulaverat, castra t men Cosacorum, tormentis multùm, diuq; o pugnavit; quibus cùm nihil profecisset, cast comminus adoriri cœpit: verum ubi Cosaci pr castris in acie constiterunt, hostis retroivit. E dem die, Serenissimus Princeps, confirmatus e ancipiti, & periculoso morbo; quo summo cur tôtius exercitus mœrore laborabat, castra pe sonantibus undique faustis militum acclama tionibus, obequitabat. His etiam diebus, Cosaci castra hostium inopinatè invaserunt, strageq in ipsis editâ; ingenti trepidatione hostilem ex ercitum perculerunt, opimisque onusti spoliis in castra incolumes redierunt.

Di

Die vigesimâ octavâ Septembris.

Imperator Turcarum, constituit ultimam tentare belli fortunam; atque re prius cum Tartariæ Chamo communicatâ, die illucescente, exercitum longis agminibus, ad oppugnationem castrorum producere cæpit, in modumque coronæ munitiones, & castra Polonorum cinxit: plurima tormenta, à tribus castrorum partibus, trajectis triginta aliis, ulteriorem fluminis ripam collocavit; ex iisdemque, utraque castra, per spatium aliquot horarum, nec quidquam impedivit: nam in castris nostrorum, tres tātùm globo icti, periêre. Deindè cum binas ad castrorum portas, ad quarum alteram strategus, cum suâ phalange, & Palatinus Culmensis, ad alteram cum Pruthenorum cohortibus, in statione erant: plurima tormenta, ab hoste vibrata, ex omnibusque partibus creber impetus, desilientibus ex equis Turcis, seseque Ianiceris, & pedestribus cōpiis, ad oppugnationem castrorum adjungentibus, factus fuisset: undequaque Poloni, cæcâ barbarorum rabie premebantur. Erant jam hostes, spe expugnandorum castrorum ita inflati, ut passim in velitationibus Polonos tetritarent, & aliquot tantùm horarum spatium, vitam, atque salutem ipsorum duraturam, iamque barbari per fossas cadaveribus ipsorum repletas, in castra Polonorum ruebant; fessique cæde hostium nostri, propugnaculis castrorum cedebant: cùm subito Serenissimus Princeps, submisso debilitatis castrorum partibus auxilio, militem ad resistendum hosti revertere facit. Inquiebat ille, non esse fortitudinis Polonæ, fracto jam tot præliis & oppugnationibus hosti

hâc unâ cedendum horâ, quinimò hic stand
& moriendum; hostem jam ultimũ belli di
men tentare, quo superato, ampliùs nec fo
na, nec ausu nobiscum collaturum manus.
dùm dixisset, primus in hostem, cum duobus
statorum equitum millibus, reseratis castro
portis, à latere proruit: atrociq; commisso
lio, boni militis, & animosi Principis exem
ita omnes animaverat; ut passim effusi e
stris, hostem jamjam venientem, reprimere
castra sese recipientem, animosè prosequ
tur. Serenissimum Principem, Stipatores al
sequendo hoste retinuêre; ne hostis fugit
cadente jam Sole, effusos è castris Polonos,
quo stratagemate circumveniret. Sub id t
pus, ingentes Tartarorum copiæ, in castra
strorum, ex ulteriori fluminis ripâ tranâre
piùs conati; ubi tamen Polonos intrepidè in
dinibus stare, fortiterque, ac prosperè co
Turcas rem agere conspexerunt: frustra ten
impetu, cum cæde suorum recesserunt. Cęsa
eo die plusquam viginti hostium millia, e
niceris, & Spaghiis quinque millia periere
nostris, ne ducenti desiderati, multi saucii.

Die vigesima nona Septembris.

Altum in castris Turcicis fuit silentium,
davera utrinque sepeliebantur.

Die trigesima Septembris.

Iam Othomannus, ferventiùs urgebat pac
missisque obsidibus, Commissarios de pace
ctandâ, ad sua castra mitti postulabat. Depu
tur à Serenissimo Principe, & exercitu Com
sarii, acceptisque obsidibus, in Turcarum ca
cum selectis ducentis equitibus mittuntur.

duæ Bassæ, cum aliquot Turcarum manipulis, medio inter castra spatio exspectabant: demùm congressi, factaq; de more militari salutatione, unus ex Commissariis Polonorum inquit. Pacem, & bellum vobis, vestroque Imperatori ferimus: Turcæ ingemiscendo, concordi clamore; Pacem nobis, & Imperatori nostro, jam optatam fertote. Cum ad castra Turcarum ventum: omnium barbárorum ora, oculique in nostris fixa fuére. Benignè à Turcarum Imperatore suscepti: coram de pace tractatum est.

Die primâ Octobris.

Iverat paucis antè diebus, cum delectâ peditum manu, ex castris Polonorum Camenecum versus, Capitaneus Vilnensis; ut comeatu jam exhaustum exercitum reficeret. Huic redeunti Turcæ, Tartarique iter præcluserant: salutem enim exercitus nostri, in eo comeatu, quem allaturus erat, consistere arbitrabantur. Quo ipse per exploratores cognito, per octiduum sub Cameneco, cum toto agmine stetit, & sæpè, iter apparabat, ac denuò itidem restare cogebatur: numerosa enim conspiciebantur in latè patentibus campis, Tartarorum agmina; qui omnia itinera insederant. Verùm Polonus, ut hostem eluderet, noctu dextrorsùm iter divertit, ad flumenque Tyras; ignaro hoste, longiore viâ pervenit, salvoque milite, & comeatu, sub castris constitit. Re cognitâ, Tartari ipsum adoriebantur; verùm è castris arceque Chocím, tormentis bellicis petiti, recessêre. Eodem die, venerunt ad Serenissimum Principem Legati à Cosacis, oram ad flumen Olgam incolentibus. Summa legationis erat, eos cum exercitu viginti millium, in

ca..a Sereniſſimi Principis, hinc poſt tres dies ve..uros,promptamque, ac fidelem operam ipſi, eo bello,contra communemChriſtiani nominis hoſtem navaturos. Accepti ſunt ab Sereniſſimo Principe liberaliter, reſponſumque ipſis eſt; u ſi quandò venerint, ſigna, & vexilla Regia ipſis collata iri.

Die ſecundâ Octobris.

Capti ſunt aliquot hoſtium, & nonnulli ad noſtros deſciverunt; hi conſtanter affirmabant Turcas pertæſos belli, paci ſtudere, eamque a Imperatore ſuo, graviſſimis efflagitationib palàm extorquere. Hactenus nihil Commiſſar in caſtris Turcarum, de pace concluſerant.

Die tertia, & quarta Octobris.

Pabulatores Polonorum, cum Turcis crebe rimis præliis, cum magno hoſtium damno ce tabant; multos equos in caſtra aſportabãt: qu circà adTurcarum poſtulationẽ, ſecuritas utri que proclamata, armaque ſuſpenſa; donec v pax, vel bellum decerneretur.

Die quintâ, ſextâ, & ſeptimâ, Octobris.

Circa pacis conditiones utrinque actum e Erat iam in ſummâ comeatus anguſtia exerc tus noſter; frondibus quernis paſcebantur equ ac proinde ingens eorum numerus, incredib exercitus damno, periit. Quæ res, pacem poti amplecti, quàm incertam victoriam proſequ ſuadebat. Meliorem tutioremque eſſe honeſta pacem, ſperatâ victoriâ: nec tot oppugnation præliorumque fælicitatem, unius horæ di mini committendam. Turca adhuc milite perior erat; omnia in pace jungendâ, noſtræ p

teſta

testatis fuere, quæ in ultimo conflictu, arbitrio fallentis fortunæ subjecta forent.

Die octava Octobris.

Sub vesperum, pax conclusa fuit, & his quidem conditionibus.

1. Vt Imperator Turcarum, primus ex acie cum suo exercitu, & armis, spectante, in acie qua ad prælium instructo Polonorum exercitu, hinc post tres à pace conclusâ dies, discedat: exercitumq; universum, in Thraciam velociter abducat.

2. Vt arx Chocim propugnaculum Valachiæ, & porta in Imperia Othomanica; temporibus perpetuis, ad regnum Poloniæ pertineat.

3. Vt omnes captivi, tam in præcedentibus, quàm præsentibus præliis capti, utrinque restituantur.

4. Vt antiquis Casimiri Iagelonis, Regis Poloniæ, & Mahumeti Turcarum Imperatoris, de alterno in Valachiam dominio, pactis conventis stetur.

5. Nec Tartari in ditiones Poloniæ, nec Cosaci in dominia Othomanica, ad dámna facienda irruant; secùs, damna illata resarcienda.

6. Vt Tartarorum Cham, ad omnem requisitionem Regis Poloniæ, in omnibus expeditionibus bellicis, contra quosvis Regni hostes, cum suo exercitu pareat. Cui triginta florenorum millia, Rex Poloniæ pro stipendio quotannis dabit.

7. Ex parte Turcarum Imperatoris, unus Bassa, ex parte Regis Poloniæ unus Senator Regni; hic ad portam Othomanicam, ille ad Regẽ Poloniæ ad juranda pacta legati, mitti quam-

p... ...m debent:firmatisque fæderibus, tum O... ...manus, in Curiâ Regis Poloniæ, tum Rex i... portu Othomana, Agentes suos habebunt. Ae... vi...naque amicitiâ, fruentur; dummodo hac... quavis parte, non violetur.

His factis conditionibus, ictoque fædere, Tur... cæ totâ eâ nocte, tormentis bellicis triumphavê... re: illucescente die, idem à Polonis actum est.

Die nonâ, decimâ, & undecimâ Octobris.

Inter utrosque exercitus, mercimonia exerce... bantur, multa præstantium equorum millia, nostri ab Othomanis vili emerunt pretio.

Die duodecimâ Octobris.

Movendis Turcarum castris, cedendique ex acie dies præfixus venit. Vniversus exercitus Polonorum, in acie à Serenissimo principe, ad formam expandentis alas aquilæ armatus, ordinatur; ipse Serenissimus princeps, super arma splendentia amictus purpurâ, in fronte exercitus stetit. Sub meridiem Turcarum Imperator, exercitum ex castris educit, ordinarique ad instar mediæ lunæ jubet; ipse in fronte exercitus comparuit. Vnâ fermè horâ, immoti exercitus stetere. Mittit Othomanus Elephantem miræ magnitudinis, equum phaleratum raræ præstantiæ, in donum Serenissimo Principi: tum Serenissimus Princeps, eundem equo itidem phalerato, & duab. bombardis, miro opere factis, remuneratur. Suscepta utrinque dona; ac demum inclinatis capitibus, hastarumque motu, Turcæ Polonis valedixere. Polonis verò exercitus, nutu capitum valedictionem fecit. Iamq; Serenissimus Rex Poloniæ, numerosos contra eum hostium, in Valachiâ infaustis preliis, cumSerenissimo Prin-

cipe

cipe Vladislao dimicantem, copias ex nobilitate polonâ viritim, more majorum scriptas, ducebat: Leopolimque, cum centum quinquaginta nobilium millibus, pervenerat: cùm ad ipsum perfertur, Turcarum Imperatorem, icto cum polonico exercitu fœdere, reliquias exercitus sui, ultra Danubium reduxisse. Quæ res, etsi à principio Serenissimum Regem, ita commoverat, ut in ancipiti curâ atque deliberatione, multum, diuque versaretur: acceptandúmne ipsi foret fœdus cum hoste, ipsi inconsulto jactum? an hostis, qui quadringentis barbarorum millibus, & tanto bellico apparatu, expugnandisque urbibus aptis instrumentis fretus, se universam Europam bellis civilibus flagrantem (hoc enim conatu bellum susceperat) expugnaturum crediderat? idem plusquam decies, nequidquam tentatâ castrorum oppugnatione, magnis acceptis cladibus, amissis magni nominis quatuor Bassis, centumque, & sexaginta Turcarum, Tartarumque millibus, pacem petere, eamque æquissimis conditionibus constituere, inglorius, ac victo similis, abire conatus sit, capto victoriæ cursu persequendus. Res polono fuit cum eo hoste, qui semel iterumque victus, sæpiùs deinceps vincendus esset; cum quo tot sæculorum spatio, alios potentissimos populos, & Reges incassum bellare cernimus, cui ad nos aditus facilis, qui quoties ipsi paruerit, sive per Scythiam, sive per Valachiam, sive per Vngarium; uno, eodemque tempore, ingentia barbarorum agmina, in Regnum poloniæ effundere queat. Sustinuissent poloni uno, & altero anno, hostis tam potentis impetum, sociorum fiduciâ: nisi perspectum ha-

berent, eos ipsos socios, amicosque, vel dome
cis distineri bellis; vel ita comparatos esse, u
lienis periculis, etiamsi mox ea sibi impende
parùm admodùm movebantur; vel denique
remotos, ut velociùs ad eos ruinæ, quàm peric
li Polonorum, fama esset perventura. Deniq
fessis, & exhaustis Polonis, bellum arbitrio h
stis habendum esset: frustrà vicinorum implo
da auxilia, postremò pax acceptanda conditi
nibus, iis quas Turca tulisset. Nunc exorta
hoste, honesta Polonis, illique ignominiosa p
habetur. Promptiores item ad pacem, Polon
effecit; quod Sueciæ Rex Rigam civitatem Liv
niæ, nobilem portu, iis planè diebus, quibus
Turcâ, & Tartaro (duobus Christiani orbis ter
roribus) Polono res fuit, intercepit. Arrexeran
quoque in perniciem Regni poloniæ animos
Vngari & Bohemi, à Cæsareâ Majestate diffidē
tes; tum potissimum Schismatica Moschi gens
ac nemo fermè erat, qui illud periturum nō au-
guraretur, quique id votis conceptis non desi-
deraret. Denique hoc ipsum belli Turcici peri-
culum, ex consilio eorum, qui à Romano-Ca-
tholicâ Religione discessionem fecerunt, ema-
nasse, creditum fuit. Prospiciendum ergò erat
maturè Polono, ne ab omnibus circumventus,
laboraret; & itaque cum Turca transegit pacem,
utinam duraturam. Hisque de causis, pacem
potiùs amplecti visum; quæ satis haberet & glo-
riæ ad posteritatem, & firmamenti ad Regni Po-
loniæ tranquillitatem, quàm dubiis belli even-
tibus partam gloriam, communemque totius
Christianitatis causam, committere. Satis, su-
perq; mirabilium operator Deus, inter tot, tan-

torumque

torumque hostium impetus, fluctuanti Regno Poloniæ favit; ut illud suis viribus innixum, repressis duobus potentissimis Turcâ, & Tartaro Asiæ Monarchis: cæsisque plusquam centum sexaginta barbarorum millibus; nedum mille ex suis perdiderit. Ipse D. O. M. cum nostris fuit; quo præsente, cadent à latere nostro mille, & decem millia à dextris nostris.

4. Anno sequenti, 1622. mense Maio, actus planè tragicus Constantinopoli accidit, ubi Ianitzari Sultanum suum Osmanum, inaudito hactenus exemplo, strangularunt. Historiam hancce latè describunt Daniel Pareus *in hist. prof. Med. fol. 1157. & seq.* Author Supplementi Historiæ Belgicæ, Emanulis Meterani *lib. 39. fol. 205.* Mercure Francois *tom. 8. fol. 357. &c.* Londorpius *de bello civili lib. 3.* qui eam ita recensent. Postquam magnus Sultanus, versus Mecham (quâ in urbe maledicti Pseudoprophetæ Mahometi sepulchrum & ad quam Turci, devotionis gratiâ, ad celebrādum pseudopaschatis festū, Cucci Baram dictū, proficisci solent) iter suum instituere decrevisset; Caravanæ, quotannis à Damasco duorum mensium spacio, Mecham proficiscentes: illud iter (si videlicet Sultanus è Constantinopoli, cū universo suo comitatu aulico, omnique Ianitzarorum agmine, illûc sese conferre vellet) IIXX. vel XX. mensibus, vix posse confici; ad continuationem istius porrò, aliquot auri millionibus, opus fore ostenderunt. Etiamsi verò Sultanus, prætendisset, se hoc ex devotione facturum, nihilominùs plerique, merum putum prætextū illud esse, existimârunt: sed eò potissimùm ipsius intentionem esse directam, ut universam Ianitsaro-

ſarorum Soldateſcam, internecioni traderet liamque commemorato iſto in loco,pro ſuo bitu,inſtitueret: & pernicioſiſſimum iſtud ſa conſilium, ſupremus Veſiris, ob ſibi in expe tione Polonicâ,factam injuriam,eidem incul verat. Cùm itaque,uti jam modò dictum, Sul nus, ad diem XV. Maij.iter ſuum verſus Mec ad Pſeudoprophetæ ſui Mahometis ſepulchru perſequi,& ſubſequente ſeptimanâ, loco mov rè conſtituiſſet; ea propter plærique militur quemadmodum etiam & omnes fermè Mag ſtratus, integrum per quatriduum, in publi Divano convenerunt:&,quo pacto Sultanus, iſto ſuo propoſito & itinere,iterùm avocari p ſet,inter ſe invicem conſultârunt. Poſtridiè, commemorato iſto Divano, inter Ianitſaros præcipuos Spachos,periculoſus tumultus exc tus eſt.Inquiebant enim, nullam omninò ca ſam ſeſe invenire poſſe, cur difficillimâ hac annonæ caritate,majore ſubditorum gravami atque incommodo, Sultanus ſeſe, ad pericul ſum iſtud iter accingeret: cùm tamen null Turcicorum Imperatorum, unquam illûc pr fectus fuerit. Die dicti Menſis IIXX. matu in tempore,Ianitſaris & Spachis, ab intimis conſ liariis ſignificatum; Sultanum omnem ſuu theſaurum,præcipuas ejus Sultaninas,cum Gy necæis, mancipiis, præcipuis quoque conſilia riis,& primo Veſire,ſecum deducere decreviſſe Quo,tanquam extremâ ipſius reſolutione, co nito;Ianitſari & Spachi, facto conventu, Sulta num ab iſto perſequendo itinere, modis omni bus impedire, & conſiliarios, qui ipſi iter iſtuc ſuaſiſſent,punire ſtatuerunt: quocirca,per uni-

verſam

versam urbem,periculosa innovatio, tum temporis metuebatur. Hâc eâdem nocte,Coli Bassâ, summus maris præfectus,XX.triremibus à Bissita,ad albi maris castella,profectus est, idque ob sparsum tum temporis rumorem,quasi LXXX. Christianorum triremes, prope Metelinum cõspectæ fuissent:alii volunt, ipsum sequentis diei instantem tumultum subolfecisse, atque hâc ipsâ de causâ expeditionem istam navalem,dicto jam modo,suscepisse. IIXX ejusdem mensis die, nullo in Divano habito consilio,Ianitsari&Spachi,concursu facto,inermes ad Divanum, rectà sese contulerunt; ut ita Sultanum ipsum alloquerentur. Cùm itaque hoc, Altega ipsius percepisset; illicò, convocatis præcipuis suis consiliariis,per eosdem,Ianitsaris significari curavit, quur videlicet tanto numero, nullaque id exigente necessitate,comparerent:qui intrepidè responderunt; certò sese cognovisse, Imperatorem Mecham versus profecturum, & omnem suum thesaurum, secum devecturum; ad quod sese nullo modo consensuros, multò minùs id permissuros esse: nullum Sultanum, inquiebant porrò, unquam ejusmodi resolutionem concepisse, ut videlicet thesaurum suum, aliò transportâsset. Sin verò,à proposito suo nõ abstinere, sed præconceptũ iter persequi vellet; thesaurum tum aut post se relinquere, vel ipsos dimittere debere: ut hoc pacto alii Imperatori operam suã locare possent. Pro secundo, pergebant, Sultanus ipsis IV. præcipua capita,quæ ipsum ad iter istud incitâssent,è regimine traderet; tanquam ejusmodi homines, qui promiscuam plebem, perniciossimo modo hactenus rexissent, & suis officiis,

officiis, veteri de more, minimè satisfecissent: cumprimis verò, primum Vesirim, Dilvierum Bassam: id ni faceret, ipsos tum universam civitatem direpturos esse. Quo Ianitsarorum sermone intellecto, Sultanus, vehementer exterritus ipsis respondit; ut nimirùm biduum aut triduum, patienter moram ferrent; ipsos enim, quos vellent, hoc tempore non præsentes esse: nihilominùs tamen Imperator, eâ de re adversus milites adeò exasperatus est; ut nullâ interiectâ morâ, Bastaglio Bassæ mandaverit, ut, armatis IV. Pastanglorum M. præcipuos Ianitsaros trucidaret; qui tamen tum temporis, dictos istos Pastanglos, minimè colligere potuit. Milites itaque quamprimùm ex Seraglio, in Sultani aulam sese contulerunt, eandem spoliarunt, & Cezzam in fugam coniecerunt. Quo facto, eodem isto sub tumultu, plerique domum sese, receperunt. Cùm autē totius civitatis metueretur direptio, ea propter Ianitsarorum Aga omnes mercatorū officinę, ut clauderentur, illicò mandavit: missâ etiam Ianitsarorum cohorte, Galatam versus, ejusdem inquilinis idem imperavit. In eodem tumultu multi, qui in ædes suas eo tempore sese recipere non potuerunt, in vineas confugerunt, quâ re, Iudæi cumprimis, vehementissimo terrore perculsi sunt. Postquam autem eodem ipso tumultuoso tempore, vehemens pluviarum tēpestas incidisset, atque per duas horas integras, durâsset, iccircò illo die nihil ampliùs tentatum est: nisi quòd Ianitsari, ipsorum Agam, quid amplius facto opus foret, interrogaverint; qui sese, cum Capitaneis suis, hâc de re consultaturum, ipsis est pollicitus, eosdemque, tanquam fratres,

pera-

peramicè rogavit, ut quieti ſeſe aliquandiu cõtinerent, & à ſanguinis profuſione, interim abſtinerent. Quo dicto, Ianitſari adeò commoti ſunt; ut, etiam inermes, lapidibus Agam ſuam adeò vehementer obruerint, quòd pereundum ipſi fuiſſet, niſi celeri ſuo equo ex furibundorũ manibus, ſeſe tum temporis, ſubduxiſſet. XIX. die hujus, milites prope Divani portam, denuo convenerunt, & Sultanum, num ipſis IV. petita capita traditurus eſſet, nécne, interrogârunt: ad quæ ille reſpondit, quieſcerent, brevi ſiquidem omnem rem ſopitam, compoſitamque iri; illicò etiam, Vſeim Baſſam, in primum Veſirim declaravit, qui & antehàc iſti muneri præfuerat. Poſtquam igitur ille, cum Sultano, præſente Cadio, ſupra Schechieros, & Mephtio, in Seraglium, cũ Sultano colloquendum, ſeſe contuliſſet; milites intereà Seraglium circumdiderunt, ante illud excubias egerunt, & miſſis quibusdam in urbẽ, inquilinis denuò talem ſanè terrorem incuſſerunt, ut clauſis omnibus officinis, nemo in plateis conſpectus fuerit. Sultanus itaque, collocato ad ſingulas Seraglii portas tormento, cum armatâ manu militum, ne Ianitſari irruptionem facerent, donec Mophtius, Cadius, & Baſſæ, qui tãquam præcipua capita, ſeſe paulò antè ad Sultanum receperant, iterum egreſſi fuiſſent. Ad hæc præcipui Magiſtratus, eodem tempore, apud Sultanum præſentes, eidem omnem rei geſtæ ſeriem ordine explicarunt; ipſique inter alia ſignificârunt, milites, conceptæ reſolutionis, Mechã verſus proficiſcendi, non parum ſanè offenſos, exaſperatosque eſſe: ad quæ ille replicando, commotior aliquantò. Sic volo, ſic jubeo, reſpondit.

ſpondit. Quocircà modò commemorati Mag
ſtratus, ob acceptam iſtam contrariam reſol
tionem Oſmani cognatum Muſtapham (qui an
te quadriennium, etiam Imperio præfuerat) ru
sùm in thronum Cæſareum collocare; vice ve
sa verò peſſimum hunc Imperatorem, de eod
præcipitare decreverunt; id quod etiam factū
eſt. Quocirca millites, facta in Seraglium irr
ptione, Muſtapham quæſiverunt; quo non i
vento, quidam Ianitſari, Sultani Oſmanni co
ſiliarios ad indicandum Muſtapham, vi adige
conati ſunt. Itaque Sultanus Oſmannus, ex me
indicavit; Muſtapham, ante triduum, forni
cuidam incluſum fuiſſe. Quò cum aliquot m
fuiſſent, qui exindè Muſtapham educerent; eu
dem ſumma conſternatione perterritum, Imp
ratorem ſuum ſalutarunt, atque ſola[illegible] ſunt. Q
facto, Muſtapha, animo receptō, quamprimū
Chiauſum Baſſam primum Veſirim declarav
& ſic è carcere liberatus, mandavit, ut omnes
Conſtantinopoli, quàm Galatæ, quemadmo
etiam in triremibus, captivi, iterùm liberare
tur. Iuſſit quoque novus iſte Sultanus, ciſia
adornari; qua vectus, matrem, integrū per qu
driennium non viſam, ſalutavit. Subſequen
nocte, omnes armati milites, omnes urbis a
gulos perreptando, antè commemoratos Pri
cipales, ad decollandum, quæſiverunt. Cumq
XX. hujus, horis matutinis, fortè fortuna, in
gam ſuum incidiſſent, accerſitis ad ſe, ex iisden
præcipuis ſignificavit: ſi Sultanum Oſmannu
pro decenti more, iterùm Imperio præficerent,
tum cuilibet ex ipſis L. Cechinos numeraturun
ſingulisq; ex lano confectum veſtimentum d

naat

naturum esse. Quo intellecto, Ianitsari adeò iterùm exasperati sunt, ut commemoratum istum suum Agam, in frusta dissecaverint; & nulla interiecta mora, Sultanum Mustapham, in Seraglium deduxerint. Ad eundem Mustapham igitur, & cæteri Bassæ, in Seraglium sese contulerunt: èconträ autem, Sultanum Osmannum, cõmuni Boccusino, & ex lana confecta tunica indutum, equo insidentem, Bassis quibusdam; cũprimis autem Vsino Bassa, protectore suo, illum comitantibus, eduxerunt: qui illum militibus, hisce verbis, Ecce Rejectum vestrum Sultanum Osmannum, monstrarunt: ad quæ Sultanus, vehementer perterritus, profusis lacrumis, respondit. Fratres, harum rerum omnium sum innocens: hi ipsi autem sunt, qui ad id consilium & operam suam, mihi elocarunt. Postquam igitur à militibus, ad Sultanum adductus fuisset; militesque Mustapham, num illum occidere deberent, nécne? interrogassent, Sultanus, respondit: Cùm me, imperii sui tempore, vivum conservarit, & captivum duntaxat, detinuerit; ea propter & ille, in VII. turribus, vivus conservandus erit; quò etiam illicò, XV. Ianitiarorum comitatu, deductus, & armatâ militum manu, sedulò custoditus fuit. Cùm verò milites cognovissent, Vsinum Bassam, Osmannum apud Sultanũ Mustapham, in gratiam reduxisse; quocirca absque ullâ morâ, illum in frusta dissecârunt, & ejusdem ædes diripuerunt. Eodem furore, Machalem, nigrorum Schechierum Chadium, ad perdendum, quæsiverunt, qui tamen, eius rei paulò antè admonitus, fugâ imminens sibi periculum evasit: ipsius tamen domus, hero posses-

possessoreque vacua, pariter direpta atque s
liata est. Similiter & Christigergam, & Del
vierum Bassam, eâdem insaniâ, furibundi q
siverunt: postquàm autem in Natoliam sese
cepissent, alios repertos, in Divanum capti
deductos, frustatim comminuerunt. Eâdem
horâ quoque, Ianitsarorum turma in Chia
Mucati ædes irruptionem fecit: qui etiam (qu
pè sibi benè conscius, quòd olim, ceu om
um vectigalium præfectus, populum variis m
dis offendisset, & mala multa perpetrasset) fu
sibi prospexit. Ianitsari itaque direptis ips
ædibus, omnes urbis angulos pervestigâru
inquientes sese neutiquàm quieturos esse, d
nec xv. præcipua capita, quæ tamquàm m
consiliarii, & Provinciarum corruptores, ip
indicata fuerint, ad unum omneis internecio
dedissent; ni enim, aiebant ulterius, id face
mus, tum de Ottomannico Imperio, actum e
Nemo tamen, nisi quæsitus, ab ipsis læditu
majores etiã subindè vires, cottidiè adquirun
ita ut unà cum plebe promiscuâ, aliquot arm
torum M. conspecta fuerint, atq; horribile u
que in urbe spectaculum exhibuerint. Tristi h
rerum omnium facie, omnes mercatorum of
cinæ clausæ, tam diu permanserunt, donec
mandato primi Vesiris, aliquot ex Divano m
officiales, tam Constantinopoli, quàm Gala
publicè edixissent, novum hodiernum Sul
num Mustapham, seriò velle, & imperare,
arma deponerentur: quisq; sese quietus dom
conferret, officinæ aperirentur, & nihil ampliu
in urbe, hostiliter tentaretur. Vicesimo secu
mensis huius die, fama per universam urbe
sparg

ſpargebatur, Sultanū Oſmannum, mediâ nocte, in VII. turribus fuiſſe ſtrangulatum: veram tamen illius ſtrangulationis cauſſam, adhùc occultam eſſe, ex plebis autem relatione tantùm ſane conſtare, toties nunc commemoratum Sultanum Oſmannum, falsò prætendiſſe, quaſi Mecham, devotionis cauſsâ, proficiſci voluerit: quum tamen deprehenſum ſiet, ipſum in Syriam iter flectere, & inibi domicilium figere voluiſſe; eâque omnia, ex inſtinctu Primi Veſiris, Chiauſi Baſſæ, qui iis in locis (in quibus ante XXV. annos, tanquàm populi Generalis, plebem ad ſuas partes pertraxerat) adveniens: ope & auxilio ſtrangulati Cæſaris, imperium, pro ſuo lubitu, adminiſtrare voluiſſet. Paulò pòſt, ſimiliter communi famâ ſpargebatur, Sultanum Oſmannum, ante ademptam ſibi vitam, noctu diei Iovis, VI. ſaccos, auro onuſtos, Poſtangis ſuis, ad cuſtodiendum tradidiſſe; unicuiq; etiam marſupium in quo LXXX. M. aurei numi reconditierant, donâſſe; eoſdemque obſecrâſſe, ut ingentes iſtos auro refertos ſaccos, navi imponere ne gravarentur: eâ ipsâ. ſiquidem nocte, ad imminens ſibi periculum, Natoliam verſus proficiſci decreviſſe, ad quæ Paſtangos reſpondiſſe: O Domine, jam nullum effugiendi tempus nobis relictum eſt, ſin enim exire nunc conaremur, illicò in fruſta diſſecaremur. Strangulato itaq; Sultano Oſmanno, eius cadaver, abſq; omni pompâ funebri, ex II. turribus, in Divanum deportatum, & in novo iſto templo, juxta ipſius parentem Sultanum Achmetem, dum Ianitſari in commemorata iſta capita adhùc inquirerent, tumulatum eſt. Poſtridie, die videl. XXII. eiuſdem menſis, Sultani

Osmanni cocus, in carcerem conjectus est; qu
unà cum ipsius filio, Peræ in fornice, & Arm
niano habitu, ne forsitan agnosceretur, reper
tus, & exindè in Divanum captivus deductu
est: qui ambo, uti communi famâ spargitur, a
cerbo mortis genere, ad supplicium reserva
fuerunt. Postero die, in Divano nihil ampliù
memorabile gestum; nisi quòd novus Sultanu
dysenteriâ correptus, in lecto sese continebat
Ob discordiam item præcipuorum capitum, siv
Turcicorum procerum major quoq; seditio me
tuebatur: & mercaturæ exercitium, ob non tut
itinera diù negligebatur. Idq; non tantùm pro
pter Sefferilinos, sed etiam propter Spachios, qu
tam Christianos, quàm Iudæos, sub seditione
istâ, vulnerando, pecuniamque iisdem extor
quendo, jus & æquum esse autumabant: adeò
ut omnis, tam Venetiana, quàm Gallicana, An
glica, & Belgica Natio, in consuetis suis publi
cis ædibus mercatoriis, Constantinopoli mer
caturam exercere verebatur; sed privatis suis
domiciliis, sese continere necessum habebat
XXIV. eiusdem mensis die, in Divano nihil me
morabile accidit; nisi quòd Ianitsari & Spach
ab excursionibus nondùm omninò cessaverint
Vicesimo quinto mensis huius, Sultanus Musta
pha cuilibet Ianitsaro, viginti quinq; Seriffios
& adhuc unum, pro vervece & anguilla, coe
mundis; similiter & ipsius mater, cuilibet quin
que Seriffios, ad præstandam filio suo omnem
benevolentiam, dono dederunt. Pari modo &
postridiè, vigesimo sexto videlicet mensis huius
die; nihil amplius gestum; nisi quòd Ianitsaris
consuetæ alias excursiones interdictæ, & omni
iterùm

iterùm pacata fuerint; exceptis Geligiis, qui pariter insurgentes, donativa sibi persolvi instituerunt; illicò tamen, & illi rursus sedati, ipsorumque Capitaneus, Mosalis factus est.

Summarium vitæ Osmanni. 1.

Bella Persica: & ratio, a Persis in bello gerendo, usitata. 2.

Osmanes infelici successu, Polonis bellum infert: & nisi ferè incredibili eorum fortitudine, repulsus fuisset; toti Europæ terribilis extitisset. 3.

Osmannus, non audito hactenus exemplo, à suis strangulatur. 4.

Mustapha iterùm,

A. C. 1622.

MVstapho, in Imperiale solium sublato; omnes, qui officium in aulâ habebant, mutati, sed præsides provinciarum confirmati fuerunt. Parumque abfuit, quin milites, furore concitati, in Christianos & Iudæos impetum facerent. Sed Vizirius, omni studio procuravit, ut stipendia ipsis solverentur, addito congiario; quod à novis Sultanis ipsis dari solet. Quoniam verò Mustapha, propter dolorem capitis, & alias infirmitates, quibus assiduè conflictabatur, ad tanti Imperii habenas moderandas, aptus non erat; Sultana, mater ipsius, fœmina ingeniosa, & generosa, manū clavo admovit, & magni Vizirii, generi sui, consiliis adjuta, Imperii gubernacula aliquandiù tenuit. Cæterùm Sultana in animo habebat Imperium post mortem Mustaphæ, filii sui, in Amurathem, Osmanni fratrem, transferre. Sed Vezirius, Amurathem & fratres, è medio tollere constituerat, ne cædem Osmanni fratris, ulciscerentur: utque illis sublatis, Imperium ipse occuparet. Primus Vizirii conatus

 contra

contra Amurathem, non successit. Nam cùm C
pi-Agam ad ipsum misisset, ut eum comprehe
sum ad se adduceret, Amurathes exclamans,
xerat: Quid peccavi? an nullus est ex iis, qu
pater & frater meus aluerunt, qui mihi succu
rat? Ad hanc vocem duo cubicularii, strictis e
sibus, Capi Agam percusserunt & interfeceru
reliqui autem domestici ipsius, eos, qui cum C
pi-Agâ venerant, repulerunt: undè magnus
multus, in palatio exortus est, plerisque aulic
ad Amurathem tuendum accurrentibus. M
senatus Bassarum coactus, & in eo audax hoc
cinus damnatum fuit; quod militum insole
tiæ, quæ post mortem Osmanni nondùm qu
verat, tribuebatur. Precipui eorum Duces, in I
vanum vocati, cum armis illîc comparuerunt
de sua innocentia protestati, petierunt, ut Mus
pha interrogaretur, an tale quid Capi Agæ m
dasset? Mustapha interrogatus respondit, in
gnum hoc facinus injussu suo fuisse susceptu
& ut in auctores illius animadverteretur, edix
Tunc confusis vocibus, murmur increbuit, V
zirium Baustum, de Amurathe comprehend
do, Capi-Agæ mandata dedisse; & quia impe
negotia malè administraret, eum loco move
dum, aliumque ipsi substituendum esse. Hæc
Sultanæ animum vehementer excruciabat, cu
videret alium Vizirium nominandum esse:
metueret, nè hoc pacto, omnis ipsius, & Must
phæ filii auctoritas collaberetur. Quare dist
butis inter milites aliquot centenis aureoru
millibus, effecit, ut Mehemet Evnuchus, que
sibi favere sciebat, in magnum Vizirium elig
retur. Nam hunc rerum peritū, doctum & omr

bus aliis Imperii muneribus functum esse dicebat: tametsi multi eum, tanquam hominem arrogantem, sui amantem, & omnes præ se contemnentem, aversarentur. Atque ita summa Imperii penes fœminam, & senem Eunuchum tunc erat.

2. Rumore per provincias sparso, Osmannum per seditionem militarem, solio deturbatum, & ignominiosâ morte sublatum fuisse, multi Bassi & Beglerbegi, qui provinciis præerant, occasionem defectionis arripuerunt; & Ianizaros ac Spachios, quos parricidas, & Domini sui cæde pollutos esse dicebant, à se amoverunt. Mandata, quæ Constantinopoli in provincias mittebantur ab ipsis nauci fiebant; & quisquis pro arbitrio imperitabat. Paulò pòst, fœdus cum Rege Persarum percusserūt, qui ob eam causam legatum suum, qui Constantinopoli erat, revocavit; sub prætextu, quod Vsbecius, Tartarorum Chamus, ex posteris Tamerlani, bellum sibi indixisset. Hæ defectiones Sultanam, & primum Vizirium, valdè offenderunt. Nam cùm morem inter Turcas receptum observare vellent, quo præfecti provinciarum, uno quoque biennio domum revocari solebant: ut suę administrationis in Divano rationem redderent: præfectus Alepi obtemperare noluit; cujus exemplum alii posteà imitati sunt. Daustus, qui cum quibusdā suorū consiliorum sociis, Constantinopoli profugerat, & aliquandiù latuerat, quasi ad nullam amplius dignitatem aut officium aspiraret, omnes posteà rationes atque artes excogitavit, ut rerum gubernaculis denuò adhiberetur: & quia supremum in Imperio officium amiserat, proxi-

mum, nempe maris præfecturam, ambivit. Sc
tus Bassarum, cognito hoc facinore, illud
quandiù dissimulavit. Sed cum Ianizari & S
chii, se omnibus exosos viderent, propter cæ
Osmanni, & quia defectionis provinciarum
pa in ipsos coniiciebatur; in magno vitæ peri
lo versabantur. Bassæ, qui hanc occasionem
dari lætabātur, quâ de auctoribus cędis Osm
ni supplicium sumerent, & rerum novarum
dio tenebantur, è vestigio decretum faciunt
Gebegius Bassius, armifabrorum princeps
carcerem coniiceretur. Nam ille auriculam
manni absciderat, quam postea Vizirius ad
stapham attulit: Postridiè ad Divanum pro
ctus, & capite plexus fuit. Cæteri malè sibi
scii, cum eandem tempestatem capitibus sui
cumbere viderent, fugâ sibi consuluerunt.
Daustus, qui in Palatio Sultani se abscond
proditus, in custodiam traditus fuit: qui
non tantum cædis Osmanni, sed etiam mu
rum scelerum, post necem Osmanni, patrato
postularetur; sentetia mortis in ipsum lata
Mox carnifex vestem ipsi detrahit, & sellæ p
fontem, Turcarum more, imponit: quo facto
sem stringit, ut ipsum capite truncaret. Sed
mantibus Spachiis, ne ipsum feriret, ensem
vaginam recondidit, & Daustus animo læ
quod se periculum evasisse putaret surrexit
breve fuit ipsius gaudium. Nam Bassarum ju
carceri rursùs inclusus, & postridiè sub ve
strangulatus fuit. *Mercure Francois, sub A. C. 1623*
Pareus, in hist. profanæ medulla

3. Anno 1623. Bassa Abaza, Dux rebell
in Asia, qui post mortem Osmanni defecer

& se Ianitsarorum ac Spachiorum hostes profitebantur, cum Vrbem Acisurem obsedisset, eaq; capta 8000. Ianitzarorum concidisset, castra ad Caraisarem, Vrbem minoris Asiæ, decem dierū itinere Constantinopoli distantem, promovit. Quo intellecto, Ianizari, in suo militiæ campo cōgregati, decreverunt: omnibus, ac ne ipsis quidem Viziriis, aut Agis exceptis, in bellum proficiscendum esse. Spachii, cùm Ianitzaros convenisse, & in commune consulere viderent, ipsi quoque ante templum Sultani Solymanni, coierunt. Quoniam verò ab aliquo tempore, dissensio inter ipsis & Ianizaros orta erat, in hanc sententiam descenderunt. Mustapham rogandū esse, ut ipse in Divanum veniret, & querelas suorum militum audiret. Mater Amurathis, & primores in aulâ, hanc occasionem non negligendam rati, quia sciebant, imbecillitatem Mustaphæ non permittere, ut se militibus ostenderet, & in publico verba faceret: cum Ducibus Spachiorum, & quibusdam ex Ianizaris egerunt, ut repudiato Sultano Mustapha, AMVRATHEM, IV. magnæ spei adolescentem, XVI. annos natum, Osmanni interfecti fratrem, in solio collocarent. Secundum hæc, magnus Vizirius equum conscendit, & Darutum, ubi tum Mustapha, & Sultana mater ipsius, erāt, profectus, ipsis significat; quid in Senatu decretum, & quæ militum vota essent. Sultana, nihil his territa, de interficiendo Amurathe consilium capit. Quod ut exequeretur, cum sub vesperam ipsa & Mustapha, Constantinopolim rediissent, illa pro more in suum conclave secessit, & mediâ nocte, assumptis quibusdam Eunuchis, & aliis, quos intimos

habebat, surrexit, quasi Osmanni filios, quos
queo necare constituerat, invisere vellet. Sed
biculum ipsorum vacuum invenit. Nam V
rius, qui aliquid sinistri suspicabatur, eos in
cum quendam tutum abduxerat, & validâ cu
diâ circumsepserat, ne illis ulla vis fieret. Su
na, cùm se frustratam spe videret, ad despera
nem redacta, nervum arcus arripuit, quo sibi
ces elidere volebat. Sed Eunuchi conatum ip
prohibuerunt, & animi impotentem, in cub
lum reduxerunt. Postridiè manè, quinquag
millia hominum, sine tumultu, palatium in
diuntur, ut viderent, qualem se Mustapha e
biturus esset. Horâ, quâ Divanum, seu Sen
habebatur, Muphtius, magnus Vizirius, &
dam ex præcipuis militum tribunis, summ
reverentiâ, ad portam cubiculi Mustaphæ ac
serunt, eumque rogarunt, ut in Divanum s
veniret; ubi cum incredibili desiderio exspe
retur. Quâ petitione aliquoties iteratâ, cùm
nihil ad rem responderet, Muphtius responsu
quod dederat, literis consignavit, ut illud in
vano renunciaret. Quo audito, omnes qui
congregati erant, pretinus exclamarunt: V
Sultanus AMVRATHES IV. Atque ille su
comparuit, pretioso lecto insidens; quem q
tuor servi baiulabant. Ibi Muphtius, manu ip
exosculatus, ex adstantibus quæsivit, num
Sultanum agnoscerent? Acclamatione repe
omnes primores. enatus, ipsum Imperato
salutarunt. Vestis ejus erat candida; lectus
insidebat, apertus & humilis, columnis su
tus, & gemmis ornatus: stragulum ex serico
cino, auro & margaritis contexto. Postqu
Muph

Muphtio præcepiſſet, ut legem ſibi commendatam haberet, in conclave ſuum ſe recepit. *Daniel Pareus Hiſt. Profan. à edull. fol. 1170. Mercure Franceis. tom. 9. fol. 724. Supplem. Meterani. lib. 40.*

Muſtapha iteratò ad Imperium Turcicum pervenit. 1.
Turba in Aula, propter ejus ingenii imbecillitatem. 1.
Provinciarum Præſides, ob cadem Oſmanni tumultuantur & cum Perſis ſe conjungunt. 2.
Summi imperatoris contemptus, totius Imperii harmoniam turbat. 2.
Oſmanni parricidæ puniuntur. 3.
Amurathes, Oſmanni frater, depoſito Muſtaphâ, ad ſolium Imperiale ſublevatur. 3.

Amurathes IV.
A.C. 1623.

ANno 1623. Amurath. IV. frater Ozmanni, ſuccedit Muſtaphæ, Imperiũ reſignanti.

2. Sequenti die, AMVRATHES IV. acinacem ex templo ſuburbii Conſtantinopolitani, quod Paſſarium vocatur, petitũ ivit. Illic Muphtius, & Princeps familiæ Mahumetanæ, viridem tiaram geſtans, eum ipſi obtulerunt. Eo navi Vectus eſt; cujus prora auro, argento, & gemmis pretii inæſtimabilis, radiabat. Habebat ille tres laternas, ex ſpeculis confectas, pyropis & ſmaragdis conſitas; quæ à ſolis radiis percuſſæ, tantum ſplendorem edebant, ut oculos perſtringerent; & à palatio, undè Amurathes egreſſus erat, usque ad Paſſarium, naves ab utroque latere portus diſpoſitæ, aſſiduis tormentorum ictibus ipſum ſalutârunt, donec exſcendiſſet. Cæremoniis in templo peractis, equum cõſcendit, ut per

Portam Adrianopolitanam, urbem ingrede tur, & in palatium suum rediret. Tanta in h introitu, pompa & magnificentia fuit, ut vix scribi possit. Omnes plateæ in Vrbe, variar gentium multitudine refertæ, his vocibus re nabant: VIVAT SVLTANVS AMVR THES IV. qui nutu capitis, & motu corpo benigni & humani Principis signa edebat. H novi Sultani inauguratio accidit Anno Chri M. DC. XXIII. mense Septembri.

3. Iam aliquoties de pace inter Christianos Turcas actum fuerat; putà Situatoroci, Vienn Comorrhæ, & Giamarii: ubi aliquot articuli cis, inter Rom. Imperatorem, & Sultanum, li ris consignati fuerunt, sed quia semper nove o oriebantur difficultates, propter quas pax, si prorsus rumpebatur, tamen turbabatur: uterq Imperator, FERDINANDVS II. & AMVR THES IV. qui variis bellis civilibus juxtà que externis, impliciti fuerant, omnibus dif cultatibus & impedimentis remotis, pacem n vâ pactione, stabiliendam censuerunt. Ad ha rem, quidam Commissarii utrinq; delegati; q ut negotium ad optatum exitum perducere A.C.1627. mense Septembr. in campo Steonie si congregati, post varias disceptationes, in cer capita consenserunt. Tunc temporis, Rex Pe rum, fines Sultani in Asiâ, incendiis & rap absq; ullo impedimento depopulabatur. Ide que Amurathes, more Turcico, astutè cavit, simul cum duobus potentissimis hostibus, à te go & à fronte, bellum gerere cogeretur. *Dan. Pareus. Hist. Profan. Medull. fol. 1178.*

4. Aetatis imbecillitas, turbulentum Imp niu

rium Turcicum fecisse videtur. Domesticis enim turbis, aula agitabatur: primus Vesir, cujus cura ad Imperiũ Amurathes pervenerat, gratiâ principis sui nisus, potestate quâ pollebat, abutebatur. Sed cùm odio communi laboraret, Sultani etiam gratiam amisit, & vitam simul, divitiasq; ingentes. Spatio enim septem mensium, quibus Aerario præerat, septem quas vocant Ducatorũ tonnas, corrasit. A rei monetariæ præfecto, qui monetæ bonitatem perfidè depravabat, indies asprorum centum millia accipiebat. Indeque caritas omnium rerum, adeò crescebat, ut Constãtinopolis ingenti fame laboraret. Sed novi Vesiris prudentiâ (Sinkees Mehemet Bassa) viri, ætate, & experientiâ gravissimi, quiq; invitus eam dignitatem acceptavit, tranquillior aliquantùm status inductus fuit. *Auct. supplem. Metetan. lib 41.* Extra Constantinopolin, gubernatores provinciarum, Imperium perpetuum & hereditarium affectabant, partim etiam jugum Turcicum in totum excutere nitebantur. Persarum Rex, excursionibus fines Turcicas turbabat: Cosaci ad portas usque Constantinopoleas, Anno 1604. mense Iulio, excurrebant; ipsoque in urbis & serraglii conspectu incendia passim excitarunt. *Mercure Francois. tom. 10. sub Anno 1622 fol. 275. & seqq.* Sed postquam Bassa de Erzerum sive Assyriâ, in gratiam Turcici Imperatoris receptus, belloque contra Persas præfectus, rem non infeliciter gessisset; alii quoque, tam gubernatores quam Turcici Vasalli, jam modò nutantes, in fide servandâ confirmati fuerunt. *Mercure Francois dict. tom. 10. sub Anno 1624. fol. 25. &c. & tom. 11. sub Anno 1625. fol. 1179.* Sed & varii motus, passim in diversis locis, sunt sub-

subsecuti: de quibus, nondum certas relatio
ad nos allatas fuisse, puto. Et quidem Amu
them Mustaphæ substitutum, adhuc A. C. 16
regnâsse,. Dionysius Petavius refert: *Rat. or.*
tempo. l.b.10. cap.7 & errat ideoque Iohannes
cræliius, *qui in S·n·agmate hist·or. Mund. fol. 472.* scri
Hasson Begler Imperatorem A. C. 1626. const
tum: eoque ipso Anno, apud Babylonem Pe
18000. Turcas prostravisse, & seditionibus
sarum adjutos in Syriam usque progressos e

Mustapha, Amurathi Imperium resignat. 1.
Sollemnitates, quibus Amurathes inauguratus fuit. 2.
Pa inter Ferdinandum II. & Amurathem IV. stabilit
Varii motus, in Aula, & provinciis Turcicis, aliquan
fo;iti 4.
Rei monetariæ perversio, omnium rerum caritatem
ducit. 4.

Prophetia de Imperii Turcici fine.

IMperator noster veniet, Ethnici (
in fidelis) Principis Regnum capiet,
brum quoque pomum capiet; & in su
potestatem rediget: quod si in septimu
usque annum, Christianorum gladius
insurrexit, usq; ad duodecimum annu
eis dominabitur: domos ædificabit,
neas plantabit, hortos sepibus muni
(circumdabit) liberos procreabit. P
duodecimum annum, ex quo rubrum p
mum in illius potestatem redactum fu
rit, apparebit Christianorum gladius, q
Turcam quaquà versum, in fugam aga

Hoc de oraculo, ita Paschalinus Regiselmus in *Vaticiniis Abbatis Ioachimi* ita scribit. Vulgi nota historia fertur, quæ ad hujus Oraculi explicandam obscuritatem, primas partes tenet, eiusmodi illa est. Mehemeti Secundo, Othomannorum Principum sævissimo Christianorum hosti immitissimo; Constantinopolitanam urbem obsidenti, nocte præclarissimæ urbis, & deplorandi imperii exitium præcedente, tale oblatum fuit somnium. Videbatur huic dormienti, tentorium patulum hinc indè fieri, cælum aperiri, ex eoque descendere senem, venerabili aspectu, reverendâ facie, augustiori habitu, quàm humano, & excelsiori statu corporis. Simulque ex cœlo, annulus demittebatur, filo appensus, quem senex appræhensâ Mehemetis dexterâ manu, septies per omnes digitos circumduxit, hoc ordine. Primâ vice, maximum se percipere gaudium sentiebat Mehemetes; quod secundâ, tertiâ, & sequentibus usque ad septimam, juxta mutationis modum, imminuebatur: idque etiam ipso dolente, & dolore, quoties mutabatur annulus, crescente. Tãdem, ad septimam in cœlum sublatus est annulus; & illicò senex evanuit: tanto Mehemetis dolore, ut ingentem emiserit clamorem; ad quẽ Evnuchi, juxta morem gentis, tentorium, & lectum Principis custodientes, accurrere. Hique ipsius jussu, ad illum, quos Visiros, Bassas ac Bellerbeios dicunt, cæterosque consiliarios cõvocant; narrat somnium: exsurgit à Christe fide Apostata, Magnus Visir, de Constantinopoli cacapiendâ interpretatur; incitat hominem, mos geritur, urbsque capitur. Hanc verò, hoc Oraculo intelligi depræhendent curiosi, si septem se-

 pties

pties multiplici numeratione efferentes, Caro
Gall. R. ejus nominis Octavi tempora notabun
Quibus fama erat, eum Regem, victorem in Gr
ciam, contra Turcas trajecturum, & hâc de cau
sâ, Româ in Galliam, (Zizimum) Turcarũ Prin
cipis fratrem, qui Romæ in custodiâ asservaba
tur, duxit; ut eo duce, & fautore, contra Turca
ut eretur Quo rege mortuo, & Turcorum terro
desiit, & Christianorum spes lapsa est. Ex eoque
semper Turcici Principes, Gallorum Regis ami-
citiam coluêre; cùm etiamnum, persuasum ha-
beant, ex Gallico regno sibi cladem impendere.
Sic autem præsentis oraculi, in septimo anno
dubietas, sepulta hucusque jacuit, & ad hęc tem-
pora jacet; quibus à Constantinopoli capta,
duodecimi numeri, duodecies in se circumdu-
cti, explicationis finis instat. Nec mirum cui-
quam sit, Turcę omnes, & omnes orientales, Ae-
gyptii præsertim, & Syri, in nonagesimum se-
cundum annum, Otthomannicæ familiæ fata
reservant. Quod Solimanno quoque, ab Arabe
prædictum, Clarissimus vir Stephanus Theupo-
lus, dum Constantinopoli, pro Augustissimâ
Venetâ Republicâ legatum, apud ipsum Solima-
num ageret, dissertissimis verbis, se præsente a-
jebat, stupente, & rem futuram constanter cre-
dente, Turcarum Principe. Cui conjungere pos-
semus, quę de arbore Turcica, quindecim ramo-
rum, vulgi circumferuntur. Aptissimus hic lo-
cus esset, in quo numerorum, in divinatione
hâc potestatem, demonstraremus; & quàm con-
veniat illi Philosophorum Arabum opinioni
asserentium, omnes generationes, mutationes-
que species rerum naturalium, & earum, quę
pra

pra naturam ſunt, certis numeris diſtingui, & per eos earum effectus cognoſci: quibus veteres nõnulli Theologi, & Cabaliſtæ ſubſcribunt. Colligiturque ſimul, ex ſcriptis Origenis, Hieronymi, Auguſtini, Hilarii, Baſilii, Gregorii Niſſeni, Rabanique, numerorum vim, per maximam eſſe. In rerumque univerſitate conſtituendâ, ſeptenariũ numerum, primas tuliſſe fatentur cuncti: & ſapientes in Duodenario, Chriſtianiſmi firmitatem & innovationem eſſe, cenſent; quod in ejus cubo, & ſuperficie, explorãt, dũ M. DCC.XXVIII ex tota ejus perfectione conſtituunt: & id aliud non eſt, quàm cum duodenarium, qui primus fœcunditatis numerus, duobus ſenariis componitur, priorque perfectionis numerus exiſtit, duodecies, ad duodecies, usque in ſua ſuperficie, & cubo revolvimus, & inde ſuperiorem numerum conficimus. Quo in numero, & Picus Mirandulanus, ſæculi durationem ſtatuit; nos verò Chriſtianæ religionis amplificationem, & reliquiarum Iſraelis, ſalutem ponimus. Veteri, reconditæ harum rerum ſcientiæ per traditionem hucusque demonſtratæ, adhærentes; & Intelligentiarum Vniverſum regentium curſum, & tẽporum ſpacium magnificientes, quæ ita nos radiis ſui ſplendoris illuminent, ut purioribus ſtudiis, & ſanctioribus ſacrarum literarum obſequiis, Deum Opt. Max. dignè colamus, nobis placeamus, & ritè cognoſcere, contemplari, & poſſidere valeamus. Hactenus Regiſelmus.

2. Impreſſum quoq; eſt An. 1596. Vaticinium Severi & Leonis Imperatorum, ubi de hocce Vaticinio Mahumetanorum, ſequentia ſubjungũtur. Habent Mahometani multa vaticinia; ſed

nullum est apud ipsos, tam celebre, quàm istud, in quo continētur innumerabiles adversus Christianos victoriæ; & tandem ipsorum excidium: & quia hucusque illud verum esse viderunt, verissimum quoque in aliis casibus arbitrantur: adeò, quòd plorant semper, quotiescunq; finem vaticinii legunt. Mihi non licet aliquid certi hujus oraculi affirmare: sed cupio ita verum evadere vaticinium, in fine, quemadmodum fuit hucusque; adeo ut reperiatur verus Propheta pro nobis, sicuti fuit contra nos. Verus Propheta fuit Balaam, extra Israel, sic intra infideles, fuerunt multæ Sibillæ, quæ vera prædixere: sic fieri potest, quòd sint extra Christianos, qui spiritum habeant Propheticum; quod tamen non affirmo: sed quia evenêre multa (uti hic prædictum fuit) contra nos, sic vellem ut contra ipsos contingerent, quæ in fine dicuntur. Sed ne vana & ficta putentur quæ dico, verba ipsa uti sunt in Turcarum idiomate ponam: ex quibus quisvis facilè cognoscet, esse eadem, quæ sunt in ore populi illius.

Vaticinium.

Patissahomez ghelur, ciaferum memlek etialur Keuzul almai alur, Kapzeiler, iedi yladegh Giaur Keleci csikmasse, on iki yladegh onlarum beglighede: cusinpar, baghi diker, bahesai baghlar ogli Kezi olur: on iki yldenssora Christianon Keleci esikar, ol Turki gheressine tuskure.

Com-

Commentarium

Patissah imoz, est nomen dignitatis, compositum cum pronomine numeri pluralis, & significat Regem nostrũ, aut Imperatorem nostrum; quoniam solent ipsi, hoc eodem nomine dignitatis vocare Imperatorem Romanum, & alios Reges Christianos, id est VRVM PATISSAH, hoc est Imperatorem Romanum, VNGRVZPATISSAH, Regem Pannoniæ, & FRENCK PATISSAH, Galliæ Regem: & hoc non tribuitur dominis minoribus, post Imperatorem & Regem: præterea solent ipsi eodem nomine vocare Regem Persiæ: sed sæpius vocant SVLTAN, quod nomen significat Principem, ut SAHI SVLTAN ZMAIL GHELVR, est verbum, & significat. CSIAFERVM, est nomen quod significat infidelis. Solent enim ipsi, hoc veniet nomine vocare omnes Christianos; quamvis habeant etiam alia vocabula, ad vocandos Christianos, uti sunt GIAVR & KAVR: sed GIAVR significat unum hominem tantum, nisi adjungatur in fine, LAR, quòd verbum adjunctum, facit numerum pluralem, sicuti GIAVR, aut KAVR, idest Christianus, *Giaular*, aut KAVLAR. id est Christiani, sed CSIAFER, etiam sine fine illo, qui datur numero plurali, significat multitudinem nationum. Sed quia textus dicit, CSIAFERVN, & est casus genitivus, propter adjunctionem VN, ut CSIAFER, id est infidelis in nominativo, CSIAFERVN, id est infidelis in genitivo; quasi dicerent Regis infidelis. MEMLEKET, significat Regnum; quamvis ipsi habeant etiam varia vocabula, ad significandum Regnum: ut *Istan*, quoniam mentionem faciunt

regno-

cum iugo servitutis; & nemo dubitat, quin eorum tyrannica afflictio, sit crudelis oppressio: quod facilè fatebuntur illi, qui eorum captivitatem experti sunt, & tributorum exactionem ut sunt Græci, Armeni, & Thraces. IEDI, ILADER, septimus annus, post captivitatem supradicti loci. GIAVR, KELECI, CSICMASSE, ideſt infidelis ensis, si non apparebit, & contra illum non se extollet: & credunt quòd istæ prædictiones septimi anni, sint in potestate Christianorum, qui si vellent, communi auxilio contra eos gladium distringere, sine dubio plenam victoriam reportarent: sed quòd non fiat, causa est nostra inertia, dum inter nos bella civilia gerimus, aut in otio turpi inveteramus. ON. IKI YLEDEGH, id est usque ad annum duodecimū. ONLARVM BEGLIGHEDER, id est illis dominabitur infidelibus. Sed quia nec post septimum, nec post duodecimum annum, quo captum fuit imperium Constantinopolis, gladius Christianorum contra illos prævaluit, quia jam transire plusquàm centum anni, quòd tota Thracia, & Orientale Imperium est sub eorum dominatione; dicunt quod sub nomine pomi rubei, intelligitur alia Imperii sedes, stat tamen magnum dubium sub annis occultum, quia si in sacris literis, septimana septem dierum, significat annos, quem numerum & magnitudinem temporis ponemus in anno? unde inter illos sunt aliqui, qui ponunt unum annum pro uno anno Iubilei; qui ex quinquaginta annis fieri solebat: alii credunt, quòd annus significet centum annos, sunt etiam qui putant, quòd unus annus, contineat trecentum sexaginta sex an-

nos

nos, ficuti tot dies habet annus folaris, fed fecuti oracula non rectè intelliguntur nifi poft fuccesfum, fic intelligetur certum, & definitum temporis fpatiũ, quandò res perfecta erit. EVFI IAPAR, id eft domum ædificabit: per domus ædificationem credunt, quòd intelligatur, quòd noftra templa dedicaturus fit Maumetho: ficuti jam totius Afiæ Ecclefias confpurcarunt; ubi olim erant Chriftiani, ufque ad Hierufalem: quinimo templum ipfum Domini noftri, quod eft in Hierufalem; idem fecerunt etiam in majori parte Europæ, id eft Græciæ, Thraciæ, ufque ad Auftriam, & quafi totius Pannoniæ, Sclavoniæ & Dalmatiæ. BAGHI, DIKER, id eft plantabit vineam; per hæc verba, intelligunt novas colonias, & tranfitus populorum ab eorum habitationibus, & Imperii amplificationẽ. BAHCSAI, id eft hortos, aut illam vineæ plantationem, BAGLAR, id eft muniet; volunt fignificare, quòd ab omni parte muniet novas provincias, ut difficilimè acquiri poffint. Et hoc eft mirum, quòd poft tot annos, quòd cæpit fævire, ita munierit, ut nil rurfus potuerimus acquirere. OGLV; KEZI, OLVR, id eft habebit filium & filiam: hîc per filiorum procreationem, intelligunt augmentum gentis Maumethanæ; ficuti omnibus manifeftum eft, illam adeò auctam effe, ut nihil amplius: jam igitur, nihil aliud reliquum eft, nifi eorum excidium, atque deftructio. ON IKI YLDENSORA, id eft poft duodecimum annum. CHRISTIANON, id eft Chriftianorum. KELECI, id eft gladius. EFIKAR, id eft apparebit: & de hoc etiam eft dubium apud illos; an ille gladius, propter quem natio Chri-

Christiana, in libertatem redibit, & mutuum reddet Maumettanis, futurus sit aliquis magnus Christianus Rex: qui infinito exercitu, totum Turcarum imperium capturus sit, vel aliquis propheta Christianus, qui suâ doctrinâ, Maumettanos ad nostram fidem sit conversurus; Propter quod extrema verba huius oraculi, leguntur ab hominibus cum suspiriis; à pueris cum planctu, à mulieribus cum lachrimis & singultibus, TVRKI, idest Turca, ipse qui regnat. GHERESSINE, idest, undè exiit: adeò ut expellatur usque in Bithiniam undè primo exiit; aut in Scythiam undè traxit originem. TVSKVRE, idest, expellet, aut clade afficiet; sed ne intelligatur, undè ortum sit habiturus gladius iste Christianus, qui debet vlcisci, aut ob timorem aliundè ortum; Turcæ nullo pacto volunt Christianos uti gladiis, vel armis; & quamvis ipsi jam per multum tempus, à fide Christianâ defecerint; tamen multi eorum, in præliis deferunt pro certissima defensione, Evangelium Ioannis, idest, *In principio erat verbum*, usque ad finem Græco idiomate scriptum: & hoc arbitrantur adeò esse securos, veluti si vallo aliquo essent muniti, quod scripturæ genus vocant sua lingua, HAMAILI.

Et posteà ibi additur.

Maxima semper fuit Dei Optimi Maximi providentia; adeò ut voluerit fideles omnes admonere rerum quæ ipsis essent eventuræ. etiam permultum temporis, antequàm advenirent; & hoc, ut ipsum Dominum esse verè cognoscerent, & colerent. Huius rei testimonium perhibent tot libri sacri legis antiquæ; in quibus Prophetæ omnia

tæ omnia quæ adventura essent, Hebræis prædixere. Quòd posteà populus Christianus à principio nascentis Ecclesiæ, admonitus sit in revelatione Ioannis, factæ in Pathmo usque ad extrema tempora; omnibus credo apertum esse. Prætereo multa aliorum vaticinia, quæ continuè Christianos admonent; adeò ut nihil eveniat, quin priùs per multos annos, per Prophetas, à Deo sit ipsis prædictum. Dimitto Sibyllam, Ioachimũ, Mechtildem, Brigidam, Vincentium, Anselmum, & alios: sed (quod magis est) etiam per infideles, & Christianorum inimicos, multa ipsis eventura Deus Optimus prædici voluit: quemadmodùm fuit vaticinium Maumetis, mendacis prophetæ, in rebus ad fœlicitatem regni cœlorum pertinentibus; sed veridici (ut spero) in multis, circa successus Imperii illorũ, qui eius legem amplexi sunt: & præsertim quãdò tempus prædixit, in quo lex Maumetana peritura erat. Scribunt nonnulli, Mamethem habuisse Spiritũ divinationis, alii fuisse lunaticum, sivè spiritu maligno oppressum; unde prædicens aliqua, quæ à Diabolo fieri debebant, paulatim apud ignaros, maximam est adeptus existimationem: adeò ut ex servo camelorum ductore, heram valdè divitem duxerit uxorem; propter quod elatus, medio spiritus quem habebat multa cœpit prædicere; & auxilio Sergii hæretici Nestoriani, factus est legislator, & Alcoranum scripsit, quem (sic permittente Deo) cognovit, per mille annos magnum habiturum augmentum. Sed his expletis, Maumetanos adeò debiles futuros, ut propter Regis mortem, lex ab eo sancita nõ ampliùs observaretur. Nunc ergò

ergò modum annorum manifestari possit. Africani incipiunt annos suæ Hegiræ, ab anno à nativitate Christi, quingentesimo nonagesimo primo; quia natus est Maumetes in illo anno; adeò quod secundum Africanorum Hegiram, mille anni à Maumete prædicti, finem haberent anno millesimo quingentesimo nonagesimo primo, à nativitate Christi. Sed Alphonsus in suis Astrologicis, incipit Hegiram, non ut Africani, ab anno in quo natus est Maumetes, idest quingentesimo nongesimo primo; sed ab anno sexcentesimo vigesimo primo: existimans Hegiram Maumetanam, habere principium in anno in quo factus fuit Alcoranus, ex tribus legibus compositus, idest Gentilium, Iudæorum & Christianorum; & credunt nonnulli, hunc annum sexcentesimum vigesimum primum, Hegiræ principium esse. Quod si verum esset, finis mille annorum esset, in anno millesimo sexcentesimo vigesimo primo à nativitate Domini, Alii arbitrati sunt, Hegiram principium habuisse, anno in quo Maumetes expeditionem suscepit, pro religionis defensione; quod fuit anno salutis nostræ sexcentesimo trigesimo: ipse autẽ, anno sequenti, cum esset quadragima annorum mortuus est. Vndè cum videamus nunc multa Turcis adversa esse, credendum est finem annorum instare, vel iam præteriisse. Et quamvis non videamus tam citò eorum excidium; tamen credendum est, quòd sicuti paulatim Imperium auxerunt, ita paulatim amittent. Quod autem sit verum, Maumetem prædixisse finem suæ legis post mille annos; Sarmatæ populi qui Tartari vocantur fidem faciunt: qui tempore, quo Galli

Terræ

Terræ sanctæ expeditionem susceperunt, vaticinio Maumetis, & exhortationibus regis Armeniæ impulsi, Christianam religionem amplexi fuerant; sed quia multùm aberat finis mille annorū, à Diabolo decepti, & libertate legis Maumetanæ irretiti, iterùm à Christo defecerunt, & Maumeti se dederunt. Sed quomodocunque sit, ex jam dictis clarum unicuique esse potest, non multum tempus abesse, in quo verum fieri debet Maumetis vaticinium. Itaque (si Deus voluerit) sperādum sit, brevi futurum tempus, in quo fiat unus pastor, & unum ovile. § 3. Onus Ecclesiæ sequentia habet tales inhumanas, contra Deum & eius ecclesiam iniurias, longè retroacto tempore Methodius apertè præconizavit, inquiens; Filii Ismahel. i. e. Turci, intrinsecùs occident sacerdotes sanctorum locorum, & in eisdē concūbent cum mulieribus, in fornicationibus pessimis: virgines stuprabunt, atq; mulieres Deo datas deturpabunt: ex sacris vasis & calicibus, comedent & bibent, jumentaque sua alligabunt ad sanctorum sepulchra, tanquam ad præsepia: & reliquias sanctorum dispergent, & erunt homicidæ & corruptores Christianorum. Cladem itidem Constantinopolitanam, in Typo ruinæ orientalis ecclesiæ, Sibyllæ Erythræa prænovit dicens: ascendent in conspectu altissimi, Byzantii scelera, & trinodum numerum, effusum sanguinem & physis. i. e. naturæ offendiculum, sc. Deus abominabitur Corruent. sc: Turci in Bisantium; decus & gloriam subvertent. ipsius denigrabitur aurum, sanctū prophanabitur, flammis tradentur ædificia, decus fæmineum decalvabitur, & væ resonabit undique: excipietque columna

columna vindictam. Nō erit hircis dux, aut gallus in Byzantio, non erit pax, non decus, sed derisus & subsannatio : usque cum 44. pedes, octo pollices semisque, pertranseant. Quorsùm illa comminatoria & horrenda verba Sibyllina, in perniciem nostri tendant, unusquisque penes se acutiùs trutinet: ego quidem futurorum ignarus, totus tremo atque tin eo, ne hujusmodi prænunciata mala, aliquandò & in brevi ecclesiæ occidentali eveniant, quæ in ecclesiæ orientalis vicem, modò sunt adimpleta. Orientalium namque ecclesiarum ruina, est exemplum futuri lapsus, ecclesiarum occidentalium.

F I N I S.

A. T. S. †. C. T. C.

INDEX RERUM
ET VERBORUM
magis memorabilium.

A.

O

Exte-

Male-

Mu-

O.

P.

Q.

R.

Thes-

Vltio-

X.

Z.

